Riccobonio
In Ariſtotel.
Artis
Rhetoricae

И

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ
ΤΕΧΝΗΣ ΡΗΤΟΡΙΚΗΣ
βιβλία γ.

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICÆ LIBRI TRES;

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

AB

ANTONIO RICCOBONO
Latine conuerſi.

EIVSDEM RHETORICAE Paraphraſis, interiecta rerum explicatione, & collata Riccoboni multis in locis conuerſione cum Maioragij, Sigonii, Victorii & Mureti conuerſionibus, ſeparatim eſt edita.



FRANCOFVRDI
Apud heredes Andreæ Wecheli, Claudium Marnium & Ioannem Aubrium,
ANNO MDLXXXVIII.
Cum priuilegio S. Cæſareæ Maieſtatis.

G. 8. F. 2

LIBRI PRIMI RHET. ARIST.

CAP. PAG.

1. De Rhetoricæ ſimilitudine cũ Dialectica,& de vtilitate. 1.
2. De natura Rhetoricæ, de fide duplici, de fide artificioſa triplici,de argumẽtatione duplici,enthymemate, & exemplo,de materia,& forma vtriuſque. 9.
3. De tribus generibus orationum. 21.
4. De quibus ſit deliberatio. 25.
5. Ex quibus ſit deliberatio,quid ſit felicitas, quæ ſint partes felicitatis. 30.
6. De bonis confeſſis,& controuerſis. 38.
7. De bonis comparatis. 44.
8. De moribus Rerump. 54.
9. De genere demonſtrat.& reb.honeſtis,ac laudabilib. 56.
10. De genere iudiciali, & primũ de cauſſis iniuriarum. 66.
11. De rebus iucundis pertinentibus ad cupiditatem, vnam de cauſſis iniuriarum. 72.
12. Qui faciant iniuriam, quibus faciant, in quibus potiſſimum rebus faciant. 81.
13. De iuſtis,& iniuſtis diſtinctis tùm ratione legum,tùm ratione hominum,& de æquis. 88.
14. De maioribus iniuriis. 93.
15. De fide artis experte, poſita in quinq;, in legib. teſtibus, pactis,quæſtionibus, iureiurando. 95.

CAP. *LIBRI SECVNDI.* PAG.

1. Agendum eſſe de morib.& affectib. qui mores in perſona oratoris ſint exprimendi:qui ſint affectus:quæ de ſingulis affectibus ſint cognoſcenda. 106.
2. De ira. 109.
3. De delinitione. 116.
4. De amore,& odio,& quid interſit inter irã,& odiũ. 120.
5. De metu,& fidentia. 126.
6. De pudore. 132.
7. De gratia. 139.
8. De miſericordia. 141.
9. De ſtomachatione. 145.
10. De inuidia. 150.
11. De æmulatione. 153.
12. De quattuor generibus morum, qui ſpectantur in auditoribus,& de moribus iuuenum. 155.

13. De moribus ſenum. 158.
14. De moribus virorum. 162.
15. De moribus nobilium. 163.
16. De moribus diuitum. 164.
17. De moribus potentium, & fortunatorum. 165.
18. Cur de morib. ſit diſputatũ, & de propoſ. cõmunib. 167.
19. De poſſibili, de facto, de futuro, de magno. 169.
20. De exemplis. 173.
21. De ſententiis. 177.
22. De modis quærendorũ enthymematũ, & de locis. 183.
23. De locis enthymematum verorum. 188.
24. De locis enthymematum adumbratorum. 204.
25. De ſolutionibus enthymematum. 210
26. De amplificatione, de enthymematibus appoſitis ad refellendum, de obiectione. 214.

CAP. *LIBRI TERTII.* PAG.

1. In quot partes Rhetorica ſit diſtributa: de actione relata ad elocutionem: de elocutione oratoria diuerſa ab elocutione poëtica. 216.
2. De elocutione perſpicua, non humili, non elata, de translatis, de epithetis, de diminutiuis. 220.
3. De elocutione frigida. 227.
4. De imagine, ſeu ſimilitudine mollita. 230.
5. De elocutione emendata. 232.
6. De elocutione amplificata. 235.
7. De elocutione decora. 236.
8. De elocutione numeroſa. 239.
9. De elocutione fuſa, & verſa. 241.
10. De elocutione vrbana, & locis vrbanorum præcipuis, & in primis de translatione ex proportione. 247.
11. De ſubiectione ante oculos, & aliis locis vrbanorum. 252.
12. De elocutione conuenienti. 259.
13. De partibus orationis. 263.
14. De prooemiis demõſtratiuis, iudicialib. deliberatiuis. 265.
15. De criminatione pertinente ad prooemia. 270.
16. De narratione demõſtratiua, iudiciali, deliberatiua. 273.
17. De fide, ſeu confirmatione, & refutatione. 277.
18. De interrogatione, & reſponſione, & ridiculis. 283.
19. De peroratione. 286.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΕΧΝΗΣ ῬΗΤΟΡΙΚΗΣ

τῶν εἰς τρία τὸ πρῶτον.

Ἡ ῬΗΤΟΡΙΚΗ' ἐστὶν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ· ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσιν, ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν, καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης. διὸ καὶ πάντες τρόπον τινὰ μετέχουσιν ἀμφοῖν. πάντες γὰρ μέχρι τινὸς καὶ ἐξετάζειν καὶ ὑπέχειν λόγον, καὶ ἀπολογεῖσθαι, καὶ κατηγορεῖν ἐγχειροῦσι. τῶν μὲν οὖν πολλῶν, οἱ μὲν εἰκῇ ταῦτα δρῶσιν· οἱ δὲ, καὶ διὰ συνήθειαν ἀπὸ ἕξεως. ἐπεὶ δὴ ἀμφότερα ἐνδέχεται, δηλονότι εἴη ἂν αὐτὰ καὶ ὁδοποιεῖν. διὸ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν, οἵ τε διὰ συνήθειαν, καὶ οἱ ἀπὸ ταυτομάτου, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται. τὸ δὲ τοιοῦτον ἤδη

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICAE Liber primus; Antonio Riccobono interprete.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

RHETORICA conuenientiam habet cū Dialectica: ambæ enim in eiuſmodi reb. verſantur, quæ communiter quodāmodo cognoſcuntur ab omnibus, & nullius ſunt ſcientiæ definitæ. Quamobrem etiam omnes quodammodo ambarum participes ſunt. Omnes enim quadam tenus & exquirere, & ſuſtinere rationem, & defendere, & accuſare conantur. Ac ex imperita quidem multitudine alij temere hęc faciunt: alij conſuetudine, & habitu. Quoniam vero vtroque modo contingit, manifeſtum eſt licere eadē etiam facere certa via, & ratione. Cur enim finem conſequantur, tū qui hæc faciūt conſuetudine, tū qui caſu, cauſam intueri contingit. Iam vero

omnes confeſſi fuerint huiuſmodi eſſe artis munus. Ac nunc quidem qui artes orationum componunt, exiguam ipſarũ particulã confecerunt. [1] Fides enim artificioſa eſt ſolum: alia vero additamenti ſunt loco. At hi nihil quidẽ de enthymematibus dicunt, id quod eſt robur fidei: de ijs verò, quæ ſunt extra rem, plurima tradunt. Criminatio enim, & miſericordia, & ira, & huiuſmodi animi perturbatiões, non de re ſunt, ſed ad iudicem. [2] Quòd ſi in omnibus iudicijs eueniret, quemadmodum in nonnullis etiam nunc euenit ciuitatibus, maximè verò in ijs, quæ bene ſunt inſtitutæ, nihil haberẽt, quod dicerẽt. Omnes enim partim arbitrantur oportere ſic leges cauere: partim hoc inſtitutum retinent, & prohibent extra rem dicere, vt etiam in Areopago; rectè ſic ſtatuentes. Non enim oportet iudicem peruertere ad iram excitando, vel inuidiam, vel miſericordiam: quia id ſimile eſt, ac ſi quis qua vſurus eſt regula, eam reddat peruerſam. [3] Præterea vero appatet, eius, qui cõtrouerſatur, nihil eſſe, niſi

πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν, τέχνης ἔργον εἶναι. νῦν μὲν οὖν οἱ τὰς τέχνας τῶν λόγων συντιθέντες, ὀλίγον πεποιήκασιν αὐτῆς μόριον. αἱ γὰρ πίστεις, ἔντεχνόν ἐστι μόνον· τὰ δ' ἄλλα προσθήκη. οἱ δὲ περὶ μὲν ἐνθυμημάτων οὐδὲν λέγουσιν, ὅπερ ἐστὶ σῶμα τῆς πίστεως· περὶ δὲ τῶν ἔξω τοῦ πράγματος, τὰ πλεῖστα πραγματεύονται. διαβολὴ γὰρ, καὶ ἔλεος, καὶ ὀργὴ, καὶ τὰ τοιαῦτα πάθη τῆς ψυχῆς, οὐ περὶ τοῦ πράγματός ἐστιν, ἀλλὰ πρὸς τὸν δικαστήν. ὥστ' εἰ περὶ πάσας ἦν τὰς κρίσεις, καθάπερ ἐν ἐνίαις τε νῦν ἐστι τῶν πόλεων, καὶ μάλιστα ταῖς εὐνομουμέναις, οὐδὲν ἂν εἶχον ὅτι λέγουσιν. ἅπαντες γὰρ, οἱ μὲν οἴονται δεῖν οὕτω τοὺς νόμους ἀγορεύειν. οἱ δὲ καὶ χρῶνται καὶ κωλύουσιν ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν. καθάπερ καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ· ὀρθῶς τοῦτο νομίζοντες. οὐ γὰρ δεῖ τὸν δικαστὴν διαστρέφειν εἰς ὀργὴν προάγοντας, ἢ φθόνον ἢ ἔλεον. ὅμοιον γὰρ κἂν εἴ τις ᾧ μέλλει χρῆσθαι κανόνι, τοῦτον ποιήσειε στρεβλόν. ἔτι δὲ φανερὸν, ὅτι τοῦ μὲν ἀμφισβητοῦντος, οὐδέν ἐστιν ἔξω τοῦ

τοῦ δεῖξαι τὸ πρᾶγμα ὅτι ἐστὶν ἢ οὐκ ἔστιν, ἢ γέγονεν ἢ οὐ γέγονεν. εἰ δὲ μέγα ἢ μικρὸν, ἢ δίκαιον ἢ ἄδικον, ὅσα μὴ ὁ νομοθέτης διώρικεν, αὐτὸν δή που τὸν δικαστὴν δεῖ γινώσκειν, καὶ οὐ μανθάνειν παρὰ τῶν ἀμφισβητούντων. μάλιστα μὲν οὖν προσήκει τοὺς ὀρθῶς κειμένους νόμους, ὅσα ἐνδέχεται πάντα διορίζειν αὐτοὺς, καὶ ὅτι ἐλάχιστα καταλείπειν ἐπὶ τοῖς κρίνουσι. πρῶτον μὲν, ὅτι ἕνα λαβεῖν καὶ ὀλίγους ῥᾷον, ἢ πολλοὺς εὖ φρονοῦντας, καὶ δυναμένους νομοθετεῖν καὶ δικάζειν. ἔπειθ' αἱ μὲν νομοθεσίαι ἐκ πολλοῦ χρόνου σκεψαμένων γίνονται· αἱ δὲ κρίσεις, ἐξ ὑπογύου. ὥστε χαλεπὸν ἀποδιδόναι τὸ δίκαιον καὶ τὸ συμφέρον καλῶς κρίνοντας. τὸ δὲ πάντων μέγιστον, ὅτι ἡ μὲν τοῦ νομοθέτου κρίσις οὐ κατὰ μέρος, οὔτε ἐπὶ τῶν παρόντων, ἀλλὰ ἐπὶ μελλόντων τε καὶ καθόλου ἐστίν. ὁ δ' ἐκκλησιαστὴς καὶ δικαστὴς ἤδη, ἐπὶ παρόντων καὶ ἀφωρισμένων κρίνουσι. πρὸς οὓς καὶ τὸ φιλεῖν ἤδη καὶ τὸ μισεῖν, καὶ τὸ ἴδιον συμφέρον συνήρτηται πολλάκις. ὥστε μηκέτι δύνασθαι θεωρεῖν

vt demonſtret rem eſſe, vel non eſſe, vel factam, vel non factam eſſe. At vero, vtrum magna, an parua ſit, vtrum iuſta, an iniuſta, quæcunq; legislator non diſtinxit, ipſū nempe iudicem oportere cognoſcere, & non diſcere à controuerſantibus. Maximè igitur conuenit rectè latas leges, quæcunq; poſſunt omnia ipſas diſtinguere, & quā pauciſſima relinquere ijs qui iudicant. Primū, quia facilius eſt vnum habere, & paucos, quàm multos, qui benè exiſtiment, & poſſint legem ferre, ac ius conformare. Deinde, legumlationes ex longi temporis conſiderationibus fiunt: at iudicia de repente. vt difficulter rectam habeant iuſtitię, & vtilitatis rationem illi, qui iudicant. Atque quod omnium eſt maximum; quia legislatoris iudicium non eſt de rebus ſingularibus nec de præſentibus, ſed de futuris, & de vniuerſalib. at concio, & iudex de præſentibus ac definitis iudicant, quibuſcum & amor, & odium, & propria vtilitas coniuncta ſæpenumero eſt. vt non amplius poſſint perſpicere ſatis id, quod ve-

rum eſt, ſed obſcuret iudicium propria iucunditas, vel moleſtia. Ac de alijs quidem, quemadmodum dicebamus, oportet quàm pauciſſimis efficere dominum diſceptatorem. Verùm de re facta, aut non facta, futura, aut non futura, quæ eſt, aut non eſt, omnino diſceptatorib. relinquendũ iudicium eſt: non enim fieri poteſt, vt hæc legislator prouideat.[4] Iã ſi hæc ita ſe habent, apparet, ea, quę ſunt extra rẽ illos præcipere, quicũq; in alijs reb. verſantur, vt quid oporteat proœmiũ, aut narrationẽ habere, & aliarũ vnãquãq; particularũ. Nihil .n. in ipſis aliud tradũt, niſi quo modo diſceptatorẽ cuiuſdãmodi efficiãt. De artificioſa verò fide nihil demonſtrant, hoc eſt, vnde aliquis fieri enthymematicus poſſit. [5] Hac enim de cauſſa cum eadem ſit via, & ratio in deliberatiuis, & iudicialibus, ſitque pulchrior, ac ciuilior deliberationis traditio, quàm ea, quæ de contractibus eſt, de illa quidem nihil dicunt: at de litigando omnes conantur præcepta tradere: quia minus prodeſt ea, quæ ſunt extra

ἱκανῶς τὸ ἀληθές, ἀλλ' ἐπισκοτεῖν τῇ κρίσει τὸ ἴδιον ἡδὺ ἢ λυπηρόν. περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ὥσπερ λέγομεν, δεῖ ὡς ἐλαχίστων ποιεῖν κύριον τὸν κριτήν. περὶ δὲ τοῦ γεγονέναι ἢ μὴ γεγονέναι, ἢ ἔσεσθαι ἢ μὴ ἔσεσθαι, ἢ εἶναι ἢ μὴ εἶναι, ἀνάγκη ἐπὶ τοῖς κριταῖς καταλείπειν. οὐ γὰρ δυνατὸν ταῦτα τὸν νομοθέτην προϊδεῖν. εἰ δὴ ταῦθ' οὕτως ἔχει, φανερὸν, ὅτι τὰ ἔξω τοῦ πράγματος τεχνολογοῦσιν, ὅσοι τἆλλα διορίζουσιν. οἷον τί δεῖ τὸ προοίμιον ἢ τὴν διήγησιν ἔχειν, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον μορίων. οὐδὲν γὰρ ἐν αὐτοῖς ἄλλο πραγματεύονται, πλὴν ὅπως τὸν κριτὴν, ποιόν τινα ποιήσωσι. περὶ δὲ τῶν ἐντέχνων πίστεων, οὐδὲν δεικνύουσι. τοῦτο δ' ἐστιν, ὅθεν ἄν τις γένοιτο ἐνθυμηματικός. διὰ γὰρ τοῦτο τῆς αὐτῆς οὔσης μεθόδου περὶ τὰ δημηγορικὰ καὶ δικανικὰ, καὶ καλλίονος καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας οὔσης, ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα, περὶ μὲν ἐκείνης οὐδὲν λέγουσι, περὶ δὲ τοῦ δικάζεσθαι, πάντες πειρῶνται τεχνολογεῖν, ὅτι ἧττόν ἐστιν πρὸ ἔργου τὰ ἔξω τοῦ πρά-

πράγματος λέγειν, ἐν τοῖς δημηγορικοῖς. καὶ ἧττόν ἐστι κακοῦργον ἡ δημηγορία δικολογίας, ἀλλὰ κοινότερον. ἐνταῦθα μὲν γὰρ ὁ κριτὴς περὶ οἰκείων κρίνει. ὥστ' οὐδὲν ἄλλο δεῖ πλὴν ἀποδεῖξαι, ὅτι οὕτως ἔχει ὥς φησιν ὁ συμβουλεύων. ἐν δὲ τοῖς δικανικοῖς οὐχ ἱκανὸν τοῦτο. ἀλλὰ πρὸ ἔργου ἐστὶν ἀναλαβεῖν τὸν ἀκροατήν. περὶ ἀλλοτρίων γὰρ ἡ κρίσις. ὥς τι πρὸς τὸ αὑτῶν σκοπούμενοι, καὶ πρὸς χάριν ἀκροώμενοι, διδόασι τοῖς ἀμφισβητοῦσιν, ἀλλ' οὐ κρίνουσι. διὸ καὶ πολλαχοῦ, ὥσπερ καὶ πρότερον εἶπον, ὁ νόμος κωλύει λέγειν ἔξω τοῦ πράγματος. ἐκεῖ δ' αὐτοὶ οἱ κριταὶ τοῦτο τηροῦσιν ἱκανῶς. ἐπεὶ δὲ φανερόν ἐστιν, ὅτι ἡ μὲν ἔντεχνος μέθοδος, περὶ τὰς πίστεις ἐστίν, ἡ δὲ πίστις, ἀπόδειξίς τις· τότε γὰρ πιστεύομεν μάλιστα, ὅταν ἀποδεδεῖχθαι ὑπολάβωμεν· ἔστι δὲ ἀπόδειξις ῥητορικὴ, ἐνθύμημα· καὶ ἔστι τοῦτο, ὡς εἰπεῖν ἁπλῶς, κυριώτατον τῶν πίστεων· τὸ δὲ ἐνθύμημα, συλλογισμός τις· περὶ δὲ συλλογισμοῦ ὁμοίως ἅπαντος τῆς διαλεκτικῆς ἐστιν ἰδεῖν ἢ αὐτῆς ὅλης ἢ μέρους

rem, dicere in deliberatiuis, ac minus malitioſa eſt concio, quam de iure diſceptatio, quia res communior ſit. Hic enim diſceptator de proprijs iudicat; vt nihil aliud opus ſit, niſi demonſtrare, rem ita ſe habere, vt ait is, qui conſulit. In iudicialibus verò id non ſat eſt: ſed operæ precium eſt arripere auditorem. De alienis enim iudicium eſt, vt dum ſe ipſos ſpectant, & ad gratiam audiunt, ſe dent illis, qui controuerſantur, non autem iudicent. Itaque multis in locis, vt etiam prius dicebamus, lex prohibet extra rem dicere. Ibi autem ipſi diſceptatores hoc cuſtodiunt ſatis. Quoniam verò apparet artificioſam methodum ad fidem pertinere, & fides demonſtratio quædam eſt (tunc enim fidem habemus maxime, cũ demonſtratum eſſe arbitramur) & demonſtratio oratoria eſt enthymema, & eſt hoc, vt ſimpliciter dicã, potentiſſimum ad faciendam fidem: & enthymema eſt ſyllogiſmus quidã, & quę ad ſyllogiſmũ pertinẽt æquè omnẽ, Dialecticæ eſt videre, vel ipſius vniuerſæ, vel partis

alicuius: non eſt dubium, qui maximè hoc poteſt intueri, ex quibus, & quomodo fiat ſyllogiſmus, eum etiam enthymematicum eſſe maximè; cum aſſumpſerit, & in cuiuſmodi rebus verſentur enthymemata, & quas habeant differentias ad Logicos ſyllogiſmos. Nã verum, & ſimile vero, eiuſdẽ eſt facultatis videre. Simul autem & homines ad verum natura conformati ſunt ſatis, & plerunq; conſequuntur veritatem. Quamobrẽ ad probabilia conijcienda ſe habere eius eſt, qui eodem modo ſe habeat ad veritatem. Ac alios quidem ea, quæ ſunt extra rem, præcipere, & qua de cauſſa magis deflexerint ad iuris diſputationem, apparet. Vtilis autem eſt Rhetorica[1] propterea quòd natura ſunt meliora vera, & iuſta, quàm contraria. Quare, niſi prout conuenit iudicia fiant, neceſſe eſt per ipſa ſuperari, atque hoc eſt dignum reprehenſione. [2] Præterea verò apud nonnullos nec ſi exquiſitiſſimã haberemus ſcientiam, facile eſt per illam perſuadere dicendo. Doctrinæ .n. eſt ea, quæ à ſcien-

τινός. δῆλον δ᾽ ὅτι ὁ μάλιστα τοῦτο δυνάμενος θεωρεῖν ἐκ τίνων, καὶ πῶς γίνεται συλλογισμὸς, οὗτος καὶ ἐνθυμηματικὸς ἂν εἴη μάλιστα, προσλαβὼν περὶ ποῖά τέ ἐστι τὰ ἐνθυμήματα, καὶ τίνας ἔχει διαφορὰς πρὸς τοὺς λογικοὺς συλλογισμούς. τό, τε γὰρ ἀληθὲς, καὶ τὸ ὅμοιον τῷ ἀληθεῖ, τῆς αὐτῆς ἐστι δυνάμεως ἰδεῖν. ἅμα δὲ καὶ οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸ ἀληθὲς πεφύκασιν ἱκανῶς, καὶ τὰ πλείω τυγχάνουσι τῆς ἀληθείας. διὸ, πρὸς τὰ ἔνδοξα στοχαστικῶς ἔχειν τοῦ ὁμοίως ἔχοντος, καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειάν ἐστιν. ὅτι μὲν οὖν τὰ ἔξω τοῦ πράγματος καὶ οἱ ἄλλοι τεχνολογοῦσι, καὶ διότι μᾶλλον ἀπονενεύκασι πρὸς τὸ δικολογεῖν, φανερόν. χρήσιμος δέ ἐστιν ἡ ῥητορικὴ, διὰ τὸ φύσει εἶναι κρείττω τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια τῶν ἐναντίων. ὥστε ἐὰν μὴ κατὰ τὸ προσῆκον αἱ κρίσεις γίνονται, ἀνάγκη δι᾽ αὐτῶν ἡττᾶσθαι. τοῦτο δ᾽ ἔστιν ἄξιον ἐπιτιμήσεως. ἔτι δὲ πρὸς ἐνίους, οὐδ᾽ εἰ τὴν ἀκριβεστάτην ἔχοιμεν ἐπιστήμην, ῥᾴδιον ἀπ᾽ ἐκείνης πεῖσαι λέγοντας. διδασκαλίας γάρ ἐστιν, ὁ κατὰ τὴν ἐπιστήμην

στήμην λόγος. τοῦτο δ' ἀδύνατον. ἀλλ' ἀνάγκη διὰ τῶν κοινῶν ποιεῖσθαι τὰς πίστεις καὶ τοὺς λόγους. ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς τοπικοῖς ἐλέγομεν περὶ τῆς πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐντεύξεως. ἔτι δὲ τἀναντία δεῖ δύνασθαι πείθειν, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς συλλογισμοῖς. οὐχ ὅπως ἀμφότερα πράττωμεν· οὐ γὰρ δεῖ τὰ φαῦλα πείθειν, ἀλλ' ἵνα μήτε λανθάνῃ πῶς ἔχει, καὶ ὅπως ἄλλου χρωμένου τοῖς λόγοις αὐτοῖς μὴ δικαίως, λύειν ἔχωμεν. τῶν μὲν οὖν ἄλλων τεχνῶν οὐδεμία τἀναντία συλλογίζεται. ἡ δὲ διαλεκτικὴ καὶ ἡ ῥητορικὴ μόναι τοῦτο ποιοῦσιν. ὁμοίως γάρ εἰσιν ἀμφότεραι τῶν ἐναντίων. τὰ μέν τοι ὑποκείμενα πράγματα οὐχ ὁμοίως ἔχει, ἀλλ' αἰεὶ τἀληθῆ καὶ τὰ βελτίω τῇ φύσει, εὐσυλλογιστότερα καὶ πιθανώτερα, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν. πρὸς τούτοις ἄτοπον, εἰ τῷ σώματι μὲν αἰσχρὸν, μὴ δύνασθαι βοηθεῖν ἑαυτῷ, λόγῳ δ' οὐκ αἰσχρόν. ὃ μᾶλλον ἴδιόν ἐστιν ἀνθρώπου τῆς τοῦ σώματος χρείας. εἰ δ' ὅτι μεγάλα βλάψειεν ἂν ὁ χρώμενος ἀδίκως τῇ τοιαύτῃ δυνάμει τῶν λόγων, τοῦτό τε κοινόν ἐστι

tia proficiſcitur, oratio Id autem fieri non poteſt: ſed neceſſe eſt ex communibus duci fidem, & rationem, quemadmodum etiam in Topicis dicebamus de collocutione cum imperita hominum multitudine. [3] Deinde verò contraria oportet poſſe perſuadere, quẽadmodũ etiã in ſyllogiſmis, nõ vt vtraq; faciamꝰ, (nõ.n.oportet mala perſuadere) ſed vt ne lateãt, quomodo ſe habẽt, & alio vtente rationib. ipſis minus iuſte, ſoluere poſſimus. Ac ex alijs quidem artibus nulla contraria ſyllogiſmo concludit. Dialectica verò & Rhetorica, ſolæ id faciunt. æquè enim ſunt ambæ contrariorum. At quæ ſubiectæ ſunt res, non æquè ſe habent, ſed ſemper veræ, & meliores natura, aptiores ad ſyllogiſmum, & magis idoneæ ad perſuaſionem ſunt, vt ſimpliciter dicã. [4] Ad hæc abſurdũ eſt, ſi corpore quidẽ turpe ſit, nõ poſſe opitulari ſibi ipſi, oratione verò turpe non ſit, quæ magis propria eſt hominis, quã corporis vſus. Si vero obijciatur, quòd valde nocebit is, qui vtatur iniuſtè huiuſmodi facultate rationũ, id cõmune

eſt aduerſus omnia bona, præter virtutem,& maxime aduerſus vtiliſſima vt robur, valetudinem, diuitias, diſciplinam militarem. His enim aliquis profuerit maxime, ſi vtatur iuſte, & nocuerit, ſi iniuſte. Ac non eſſe quidem alicuius generis definiti Rhetoricam, ſed talem, qualis eſt Dialectica, & vtilem eſſe, apparet. Neq; verò perſuadere eſſe munus ipſius, ſed videre, quæ poſſunt apponi ad perſuadendum in quaq; re, quẽadmodum etiam in alijs artibus omnibus. Neque enim medicinæ eſt ſanum facere, ſed quouſque fieri poteſt, eouſque perducere. Licet enim etiam illos, qui non poſſunt recuperare ſanitatem, tamen curare bene. Ad hæc autem eiuſdem eſſe tum appoſitum ad perſuadendum, tùm quod videtur appoſitum, videre, vt etiam in Dialectica tum ſyllogiſmũ, tùm qui videtur ſyllogiſmus (Sophiſticus enim non eſt in facultate, ſed in prælectione) Tamen hic quidẽ erit partim ſecundũ ſciẽtiã, partim ſecundũ prælectionẽ orator. Ibi verò ſophiſta quidẽ ſecũdũ prælectionẽ,

κατὰ πάντων τῶν ἀγαθῶν, πλὴν ἀρετῆς. καὶ μάλιστα κατὰ τῶν χρησιμωτάτων, οἷον, ἰσχύος, ὑγιείας, πλούτου, στρατηγίας. τούτοις γὰρ ἄν τις ὠφελήσειε τὰ μέγιστα χρώμενος δικαίως, καὶ βλάψειεν, ἀδίκως. ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἔστιν οὔτε ἑνός τινος γένους ἀφωρισμένου ἡ ῥητορική, ἀλλὰ καθάπερ ἡ διαλεκτική, καὶ ὅτι χρήσιμος, φανερόν, καὶ ὅτι οὐ τὸ πεῖσαι ἔργον αὐτῆς, ἀλλὰ τὸ ἰδεῖν τὰ ὑπάρχοντα πιθανὰ περὶ ἕκαστον, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις τέχναις πάσαις. οὐδὲ γὰρ ἰατρικῆς τὸ ὑγιᾶ ποιῆσαι, ἀλλὰ καὶ μέχρι οὗ ἐνδέχεται, μέχρι τούτου προαγαγεῖν. ἔστι γὰρ καὶ τοὺς ἀδυνάτους μεταλαβεῖν ὑγιείας, ὅμως θεραπεῦσαι καλῶς. πρὸς δὲ τούτοις, ὅτι τῆς αὐτῆς τό γε πιθανὸν καὶ τὸ φαινόμενον ἰδεῖν πιθανὸν ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῆς διαλεκτικῆς συλλογισμόν τε, καὶ φαινόμενον συλλογισμόν. ὁ γὰρ σοφιστικὸς, οὐκ ἐν τῇ δυνάμει ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει. πλὴν ἐνταῦθα μὲν ἔσται ὁ μὲν, κατὰ τὴν ἐπιστήμην, ὁ δὲ, κατὰ τὴν προαίρεσιν ῥήτωρ. ἐκεῖ δὲ σοφιστὴς μὲν, κατὰ τὴν προαίρεσιν,

διαλεκτι-

διαλεκτικὸς δὲ, οὐ κατὰ τὴν προαίρεσιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν δύναμιν. περὶ δὲ αὐτῆς ἤδη τῆς μεθόδου πειρώμεθα λέγειν, πῶς τε καὶ ἐκ τίνων δυνησόμεθα τυγχάνειν τῶν προκειμένων. πάλιν οὖν οἷον ἐξ ὑπαρχῆς ὁρισάμενοι αὐτὴν τίς ἐστι, λέγωμεν τὰ λοιπά.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ β.

Ἔστω δὴ ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. τοῦτο γὰρ οὐδεμιᾶς ἑτέρας ἐστὶ τέχνης ἔργον. τῶν γὰρ ἄλλων ἑκάστη, περὶ τὸ αὐτῇ ὑποκείμενόν ἐστι διδασκαλικὴ καὶ πειστική· οἷον ἰατρικὴ, περὶ ὑγιεινὸν καὶ νοσερόν. καὶ γεωμετρία περὶ τὰ συμβεβηκότα πάθη τοῖς μεγέθεσι. καὶ ἀριθμητικὴ περὶ ἀριθμόν. ὁμοίως δὲ καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν. ἡ δὲ ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν. διὸ καὶ φαμὲν αὐτὴν, οὐ περί τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν. τῶν δὲ πίστεων, αἱ μὲν, ἄτεχνοί εἰσι, αἱ δὲ, ἔντεχνοι.

Dialecticus autem non ſecundũ præelectionem, ſed ſecundum facultatem. Iam verò de ipſa methodo conemur dicere, & quomodo, & ex quibus poterimus conſequi ea, quæ propoſuerimus. Rurſus igitur tanquam de integro ordientes, cum definiuerimus ipſam, quid ſit, reliqua dicamus.

CAPVT II.

SIt autẽ Rhetorica facultas in quaque re videndi, quod contingit eſſe idoneũ ad faciendam fidem. Hoc.n. nullius alterius eſt artis munus. Nam ex alijs vnaquæq; in re ſibi ſubiecta exercet vim docendi, & perſuadẽdi, quemadmodũ Medicina in ſanabili, & morboſo: & Geometria in affectionib. quæ accidunt magnitudinib.: & Arithmetica in numero. Similiter verò etiam reliquæ artes & ſcientiæ. At Rhetorica de re propoſita, vt ita dicam, videtur poſſe intueri, quod appoſitũ eſt ad faciẽdã fidẽ. Quamobrem etiam dicimus ipſam non in aliquo genere proprio definito habere vim artificioſam. Fides autem vna non artificioſa eſt: altera artificioſa.

Res

Res non artificioſas voco, quęcunq; non à nobis excogitatæ ſunt, ſed antè erant, vt teſtes, quæſtiones, ſyngraphæ, & quæcunque ſunt huiuſmodi. Artificioſas verò, quæcunq;, vt methodo, & opera noſtra comparentur, fieri poteſt. Quare oportet illis quidem vti: has verò etiã inuenire. Ac quę ratione excogitatur, fides triplex eſt. Nã partim conſiſtit in morib. eius, qui dicit: partim in eo, vt auditor afficiatur aliquo modo: partim in ipſa ratione, quid demõſtret, vel videatur demonſtrare. Ac propter mores quidẽ, quoties ita prolata ſit oratio, vt fide dignũ reddat eũ, qui dicit. Probis .n. magis, & celerius credimus in omnib. quidem ſimpliciter, ſed in ijs, in quibus certi nihil ſit, verũ opinio dubia, etiã præcipue. Oportet verò etiã id accidere propter orationem, ſed non quia anticipatũ opinione ſit cuiuſdã modi eſſe eũ, qui dicit. Non .n. rectè ſe habet, ꝙ nonnulli faciunt ex dicendi magiſtris. Ponunt in arte probitatem eius, qui dicit, quaſi nihil conferat ad id, quod eſt appoſitum ad fidẽ: ſed propemodum, vt ita dicam, potentiſſimam continent

ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν· οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συγγραφαί, καὶ ὅσα τοιαῦτα. ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου, καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν. ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν, χρήσασθαι, τὰ δὲ, εὑρεῖν. τῶν δὲ διὰ τοῦ λόγου ποριζομένων πίστεων, τρία εἴδη ἐστίν. αἱ μὲν γάρ εἰσιν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος· αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως· αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. διὰ μὲν οὖν τοῦ ἤθους, ὅταν οὕτω λεχθῇ ὁ λόγος, ὥστε ἀξιόπιστον ποιῆσαι τὸν λέγοντα. τοῖς γὰρ ἐπιεικέσι πιστεύομεν μᾶλλον καὶ θᾶττον, περὶ πάντων μὲν ἁπλῶς· ἐν οἷς δὲ τὸ ἀκριβὲς μὴ ἔστι, ἀλλὰ τὸ ἀμφιδοξεῖν, καὶ παντελῶς. δεῖ δὲ καὶ τοῦτο συμβαίνειν διὰ τὸν λόγον, ἀλλὰ μὴ διὰ τὸ προδεδοξάσθαι ποιόν τινα εἶναι τὸν λέγοντα. οὐ γὰρ ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων, τιθέασι ἐν τῇ τέχνῃ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος, ὡς οὐδὲν συμβαλλομένου πρὸς τὸ πιθανόν. ἀλλὰ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πί-

ειν τὸ ἦθος. διὰ δὲ τῶν ἀκροατῶν, ὅταν εἰς πάθος ὑπὸ τοῦ λόγου προαχθῶσιν. οὐ γὰρ ὁμοίως ἀποδίδομεν τὰς κρίσεις λυπούμενοι καὶ χαίροντες, ἢ φιλοῦντες καὶ μισοῦντες. πρὸς ὃ καὶ μόνον πειρᾶσθαί φαμεν πραγματεύεσθαι τοὺς νῦν τεχνολογοῦντας. περὶ μὲν οὖν τούτων, δηλωθήσεται καθέκαστον, ὅταν περὶ τῶν παθῶν λέγωμεν. διὰ δὲ τῶν λόγων πιστεύουσιν, ὅταν ἀληθὲς ἢ φαινόμενον δείξωμεν, ἐκ τῶν περὶ ἕκαστα πιθανῶν. ἐπεὶ δ' αἱ πίστεις διὰ τούτων εἰσὶ, φανερὸν ὅτι τρία ταῦτά ἐστι λαβεῖν. τοῦ συλλογίσασθαι δυναμένου, καὶ τοῦ θεωρῆσαι περὶ τὰ ἤθη καὶ τὰς ἀρετὰς, καὶ τρίτον τοῦ περὶ τὰ πάθη. τί τε ἕκαστόν ἐστι τῶν παθῶν, καὶ ποῖόν τι, καὶ ἐκ τίνων ἐγγίνεται, καὶ πῶς. ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν, οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν. διὸ καὶ ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς, ἡ ῥητορική. καὶ οἱ ἀντιποιούμενοι ταύτης, τὰ μὲν, δι' ἀπαιδευσίαν,

fidem mores. propter auditores autem, quoties in affectum ab oratione perducti ſint. Non enim ſimiliter iudicamus, dum mœremus, & gaudemus, aut amamus, & odio habemus. Qua de re etiam ſola conari dicimus præcepta tradere eos, qui nunc artẽ conſcribunt. Atq; hæc quidem declarabuntur ſingillatim, cum de affectib. dicemus. Propter rationes verò fidem habent, cum verum, aut id, quod apparet, demonſtrauerimus ex ijs, quæ in quaq; re ſunt appoſita ad perſuadendum. Quoniam verò fides ex his eſt, apparet tria hæc conſequi eſſe eius, qui concludere ſyllogiſmo poſſit, & qui ſpeculari de morib. & virtutib. & tertiò loco, qui de affectibus nempe quid vnusquisq; ſit ex affectibus & qualis, & ex quibus excitetur, & quomodo. Quo fit, vt Rhetorica tanquam agnatum quiddã Dialecticæ ſit, & eius, quę de morib. eſt, traditionis, quã iuſtum eſt appellare Politicam. Quare etiam ſubit perſonam Politicæ Rhetorica, & qui ſibi hanc vẽdicãt, partim propter ignorantiã,

partim

partim propter arrogantiam, partim etiam propter alias cauſſas humanas. Eſt enim particula quædam Dialecticæ, & ſimilitudo, quemadmodum etiam exordientes dicebamus. De aliqua enim re definita neutra ipſarum eſt ſcientia, quomodo ſe habeat, ſed facultates quædam ſunt parandi rationes. Ac de facultate quidem ipſarum, & quomodo ſe habeant inter ſe, dictum eſt propemodum ſatis. Quæ verò cernuntur in eo, quòd demonſtrent, vel appareant demonſtrare, quemadmodum etiam in Dialecticis, eorum quidem vnum inductio eſt, alterum autem ſyllogiſmus, & qui apparet ſyllogiſmus, ita hic quoque ſimiliter ſe res habet. Nam exemplum eſt inductio, enthymema ſyllogiſmus eſt. Ac enthymema quidem voco oratorium ſyllogiſmum: exemplum verò inductionem oratoriam. Omnes autem fidem faciunt demonſtrãdo, aut exempla proferẽtes, aut enthymemata, & prȩter hȩc nihil quodammodo. Quare ſi etiam omnino neceſſe eſt, ſyllogiſmo aut inductione vtentem demonſtrare quodcunque, aut quemcunq; (manifeſtum

τὰ δὲ, δι' ἀλαζονείαν, τὰ δὲ καὶ ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς. ἔστι γὰρ μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ ὁμοίωμα, καθάπερ καὶ ἀρχόμενοι εἴπομεν. περὶ οὐδενὸς γὰρ ὡρισμένου οὐδετέρα αὐτῶν ἐστὶν ἐπιστήμη, πῶς ἔχει. ἀλλὰ δυνάμεις τινὲς τοῦ πορίσαι λόγους. περὶ μὲν οὖν τῆς δυνάμεως αὐτῶν, καὶ πῶς ἔχουσι πρὸς ἀλλήλας, εἴρηται σχεδὸν ἱκανῶς. τῶν δὲ διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς, τὸ μὲν, ἐπαγωγή ἐστι, τὸ δὲ συλλογισμός· τὸ δὲ φαινόμενος συλλογισμός· καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως ἔχει. ἔστι γὰρ παράδειγμα μὲν ἐπαγωγὴ, ἐνθύμημα δὲ συλλογισμός. καλῶ δ' ἐνθύμημα μὲν, ῥητορικὸν συλλογισμὸν, παράδειγμα δὲ, ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. πάντες δὲ τὰς πίστεις ποιοῦνται, διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ παραδείγματα λέγοντες, ἢ ἐνθυμήματα. καὶ παρὰ ταῦτα, οὐδέν πως. ὥστ' εἴπερ καὶ ὅλως ἀνάγκη συλλογιζόμενον, ἢ ἐπάγοντα δεικνύναι ὁτιοῦν, ἢ ὁντινοῦν (δῆλον δ'

ἡμῖν τοῦτο ἐκ τῶν ἀναλυτικῶν) ἀναγκαῖον ἑκάτερον αὐτῶν ἑκατέρῳ τούτων τὸ αὐτὸ εἶναι. τίς δ' ἐστὶ διαφορὰ παραδείγματος καὶ ἐνθυμήματος, φανερὸν ἐκ τῶν τοπικῶν. ἐκεῖ γὰρ περὶ συλλογισμοῦ καὶ ἐπαγωγῆς εἴρηται πρότερον. ὅτι τὸ μὲν τὸ ἐπὶ πολλῶν καὶ ὁμοίων ἐπιδείκνυται, ὅτι οὕτως ἔχει, ἐκεῖ μὲν ἐπαγωγή ἐστιν, ἐνταῦθα δὲ παράδειγμα. τὸ δὲ τινῶν ὄντων, ἕτερόν τι διὰ ταῦτα συμβαίνειν παρὰ ταῦτα, τῷ ταῦτα εἶναι, ἢ καθόλου, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, ἐκεῖ μὲν συλλογισμός, ἐνταῦθα δὲ ἐνθύμημα καλεῖται. φανερὸν δὲ, ὅτι καὶ ἑκάτερον ἔχει ἀγαθὸν τὸ εἶδος τῆς ῥητορικῆς. καθάπερ γὰρ ἐν τοῖς μεθοδικοῖς εἴρηται, καὶ ἐν τούτοις ὁμοίως ἔχει. εἰσὶ γὰρ, αἱ μὲν παραδειγματώδεις ῥητορεῖαι· αἱ δὲ, ἐνθυμηματικαί. καὶ ῥήτορες ὁμοίως, οἱ μὲν παραδειγματώδεις, οἱ δὲ ἐνθυμηματικοί. καὶ πιθανοὶ μὲν οὐχ ἧττον οἱ λόγοι οἱ διὰ τῶν παραδειγμάτων, θορυβοῦνται δὲ μᾶλλον οἱ ἐνθυμηματικοί. τὴν δ' αἰτίαν αὐτῶν, καὶ πῶς

feſtum autẽ eſt nobis id ex Analyticis) neceſſario vtrũque ipſorum cum vtroq; horum idem eſt. Quæ verò ſit differentia exempli, & enthymematis apparet ex Topicis. Ibi.n. de ſyllogiſmo, & inductione dictum eſt priꝰ. Nempe cũ in multis & ſimilib. demonſtratur, rem ita ſe habere, ibi quidẽ inductionẽ eſſe, hic verò exemplum. At cum quibuſdam poſitis aliud quid ex his euenit præter hæc, eo quòd hæc ſint, vel in vniuerſum, vel plerunque, ibi quidem ſyllogiſmum, hic verò enthymema vocari. Apparet autem etiam vtrumque habere bonum ſpeciem Rhetoricæ. Nam, quemadmodum in Methodicis dictum eſt, etiam in his ſimiliter res ſe habet. Sunt enim aliæ quidem exemplorum plenæ orationes: aliæ verò enthymematum. & oratores ſimiliter, alij quidem exemplis delectantur, alij verò enthymematib. Et ad perſuadendum quidem non minus valent orationes, quę exemplis conſtant: perturbant vero magis, quæ enthymematib. Cauſam autem ipſorum, &

quomodo

quomodo vtroq; vtendum, dicemus poſterius. Nunc vero de his ipſis apertiùs, & diſtinctiùs differemus. Quoniam enim quod appoſitũ eſt ad perſuadendum, alicui appoſitum eſt, & vnum quidem ſtatim eſt appoſitum ad perſuadendum per ſe, & credibile, alterũ vero, quod demonſtrari videatur ex talibus, & nulla ars conſiderat ſingulare, vt Medicina, quid Socrati ſalubre ſit, vel Callię, ſed quid tali, vel talibus (hoc n. artificioſum eſt: ſingulare autem infinitum, & ſub ſcientiam non cadens) ne Rhetorica quidẽ ſingulare probabile intuebitur, vt Socrati, vel Hippiæ, ſed quod talibus, quemadmodum etiam Dialectica. Etenim illa ſyllogiſmo concludit non ex quibuslibet (apparent enim quædam etiam ijs, qui delirant) ſed illa quidem ex ijs, quæ ratione indigent: Rhetorica vero ex ijs, quæ in cõſultationem venire conſueuerunt. Eſt autẽ munus ipſius & de eiuſmodi rebus, de quib. conſultamus, & artes non habemus, & apud eiuſmodi auditores, qui nõ poſſunt ex multis contueri, neque ratiocinari longiùs. At

ἑκατέρῳ χρηστέον, ἐροῦμεν ὕστερον. νῦν δὲ περὶ τούτων αὐτῶν μᾶλλον διορίσομεν καθαρῶς. ἐπεὶ γὰρ τὸ πιθανὸν, τινὶ πιθανόν ἐστι, καὶ τὸ μὲν, εὐθὺς ὑπάρχει πιθανὸν δι' αὐτὸ καὶ πιστόν· τὸ δὲ τῷ δείκνυσθαι δοκεῖν διὰ τοιούτων. οὐδεμία δὲ τέχνη σκοπεῖ τὸ καθέκαστον· οἷον ἰατρικὴ τί σωκράτῃ τὸ ὑγιεινόν ἐστιν ἢ καλλίᾳ· ἀλλὰ τί τῷ τοιῷδε, ἢ τοῖς τοιοῖσδε. τοῦτο μὲν γὰρ ἔντεχνον. τὸ δὲ καθέκαστον, ἄπειρον καὶ οὐκ ἐπιστητόν. οὐδὲ ἡ ῥητορικὴ τὸ καθ' ἕκαστον ἔνδοξον θεωρήσει. οἷον σωκράτει ἢ ἱππίᾳ. ἀλλὰ τὸ τοιοῖσδε, καθάπερ καὶ ἡ διαλεκτική. καὶ γὰρ ἐκείνη συλλογίζεται, οὐκ ἐξ ὧν ἔτυχε. φαίνεται γὰρ ἄττα καὶ τοῖς παραληροῦσιν. ἀλλ' ἐκείνη μὲν, ἐκ τῶν λόγου δεομένων, ἡ δὲ ῥητορικὴ, ἐκ τῶν ἤδη βουλεύεσθαι εἰωθότων. ἔστι δὲ τὸ ἔργον αὐτῆς, περί τε τοιούτων περὶ ὧν βουλευόμεθα, καὶ τέχνας μὴ ἔχομεν. καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις ἀκροαταῖς οἳ οὐ δύνανται διὰ πολλῶν συνορᾶν, οὐδὲ λογίζεσθαι πόρρωθεν. βουλευόμεθα

μεθα δὲ περὶ τῶν φαινομένων ἐνδέχεσθαι ἀμφοτέρως ἔχειν. περὶ γὰρ τῶν ἀδυνάτων ἄλλως ἢ γενέσθαι ἢ ἔσεσθαι ἢ ἔχειν, οὐδεὶς βούλεται οὕτως ὑπολαμβάνων. οὐδὲν γὰρ πλέον, ἢ οὕτως ἐνδέχεται συμβουλεύειν. ἐνδέχεται δὲ συλλογίζεσθαι καὶ συνάγειν, τὰ μὲν, ἐκ συλλελογισμένων πρότερον, τὰ δὴ ἐξ ἀσυλλογίστων μὲν, δεομένων δὲ συλλογισμοῦ, διὰ τὸ μὴ εἶναι ἔνδοξα. ἀνάγκη δὲ τούτων τὸ μὲν μὴ εἶναι εὐπαρακολούθητον διὰ τὸ μῆκος. ὁ γὰρ κριτὴς, ὑπόκειται εἶναι ἁπλοῦς, τὰ δὲ μὴ πιθανὰ, διὰ τὸ μὴ ἐξ ὁμολογουμένων εἶναι μηδ' ἐνδόξων. ὥστε ἀναγκαῖον τό τε ἐνθύμημα εἶναι καὶ τὸ παράδειγμα περὶ τῶν ἐνδεχομένων ὡς τὰ πολλὰ ἔχειν καὶ ἄλλως. τὸ μὲν παράδειγμα, ἐπαγωγὴν, τὸ δὴ ἐνθύμημα, συλλογισμόν. καὶ ἐξ ὀλίγων τε καὶ πολλάκις ἐλαττόνων, ἢ ἐξ ὧν ὁ πρῶτος συλλογισμός. ἐὰν γὰρ ᾖ τι τούτων γνώριμον, οὐδὲ δεῖ λέγειν. αὐτὸς γὰρ τοῦτο προστίθησιν ὁ ἀκροατής. οἷον ὅτι Δωριεὺς στεφανίτην ἀγῶνα νενίκηκεν,

conſultamus de ijs, quæ videntur poſſe ſe vtroq; modo habere. De ijs verò, quæ fieri non poteſt vt aliter vel facta ſint, vel futura ſint, vel ſe habeant, nemo conſultat ſic exiſtimans. Nullo .n. alio modo niſi ſic contingit conſulere. Contingit autē concludere ſyllogiſmo, & colligere alia quidem ex ſyllogiſmo concluſis prius, alia verò ex non concluſis quidē ſyllogiſmo, ſed indigentib. ſyllogiſmo, propterea quod non ſint probabilia. Ac neceſſe eſt illud quidem nō eſſe facile ad conſequendum propter longitudinem. Nā diſceptator ſupponitur eſſe ſimplex: hæc vero minus appoſita ad perſuadendū, quia nec ex confeſſis ſint, nec probabilibus. Quare neceſſarium eſt enthymema eſſe & exemplum de ijs, quæ contingunt ita, vt ſæpe ſe habeant etiam aliter, exemplum quidem inductionē, enthymema vero ſyllogiſmū. Et ex paucis, & ſæpe pauciorib. quàm ex quibus eſt primus ſyllogiſmus. Si enim ſit aliquid horum notum, non oportet dicere. Ipſe enim id ſupplet auditor. Quemadmodū, quòd Dorieus coronarium

narium certamen vicit, ſatis
eſt dicere, eum Olympia viciſſe, coronarium autẽ certamen
eſſe Olympia nõ oportet adiungere. Cognoſcunt
enim omnes. Quoniam aũt
ſunt pauca neceſſaria, ex
quibus oratorij ſyllogiſmi
conficiuntur (multa enim,
de quibus iudicia, ac deliberationes ſunt, contingit etiã
aliter ſe habere, quæ enim
agũt, de ijs conſultãt, & deliberant; quæ vero agũtur, omnia huiuſce generis ſunt,
&, nihil horum prope dixerim, ex neceſſitate eſt; quæ
aũt plerunq; accidunt, & cõtingũt, ex talibus neceſſe eſt
alijs ſyllogiſmo concludi,
neceſſaria vero ex neceſſariis; id quod manifeſtum eſt
nobis ex Analyticis) apparet, ex quib. enthymemata
ducuntur, alia quidem neceſſaria futura eſſe, plurima
vero quæ plerunq; ſe habẽt.
Ducuntur .n. enthymemata
ex veriſimilib. & ſignis; vt
neceſſe ſit horum vtrunque
cum vtroq; idem eſſe. Veriſimile enim eſt, quod pleiũque fit, non ſimpliciter aũt
quemadmodum definiunt
nonnulli, ſed quod in ijs, quę
contingit aliter ſe habere,
ſic ſe habet ad illud, cui eſt

ἱκανὸν εἰπεῖν, ὅτι ὀλύμπια νενίκηκε. τὸ δ' ὅτι στεφανίτης ἐστὶ
τὰ ὀλύμπια, οὐ δεῖ προσθεῖναι.
γινώσκουσι γὰρ πάντες. ἐπεὶ δ'
ἐστὶν ὀλίγα μὲν τῶν ἀναγκαίων,
ἐξ ὧν οἱ ῥητορικοὶ συλλογισμοί
εἰσιν· τὰ γὰρ πολλὰ περὶ ἂν αἱ
κρίσεις καὶ αἱ σκέψεις, ἐνδέχεται
καὶ ἄλλως ἔχειν· περὶ ἂν μὲν γὰρ
πράττουσι, βουλεύονται καὶ σκοποῦσι· τὰ δὲ πραττόμενα πάντα
τοιούτου γένους ἐστί· καὶ οὐδὲν ὡς
ἔπος εἰπεῖν ἐξ ἀνάγκης τούτων,
τὰ δ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ συμβαίνοντα καὶ ἐνδεχόμενα, ἐκ τοιούτων
ἀνάγκη ἑτέρων συλλογίζεσθαι,
τὰ δ' ἀναγκαῖα ἐξ ἀναγκαίων· δῆλον δ' ἡμῖν καὶ τοῦτο, ἐκ
τῶν ἀναλυτικῶν· φανερὸν ὅτι
ἐξ ὧν τὰ ἐνθυμήματα λέγεται,
τὰ μὲν, ἀναγκαῖα ἔσται, τὰ δὲ
πλεῖστα ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. λέγεται
γὰρ ἐνθυμήματα, ἐξ εἰκότων καὶ
σημείων. ὥστε ἀνάγκη τούτων
ἑκάτερον, ἑκατέρῳ ταὐτὸ εἶναι.
τὸ μὲν γὰρ, εἰκός ἐστιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γινόμενον. οὐχ ἁπλῶς δὲ καθάπερ ὁρίζονταί τινες, ἀλλὰ τὸ
περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν,
οὕτως ἔχον πρὸς ἐκεῖνο πρὸς ὃ
εἰκὸς

εἰκός, ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος. τῶν δὲ σημείων, τὸ μὲν, οὕτως ἔχει, ὡς τῶν καθέκαστόν τι πρὸς τὸ καθόλου· τὸ δὲ, ὡς τῶν καθόλου τι πρὸς τὸ κατὰ μέρος. τούτων δὲ, τὸ μὲν ἀναγκαῖον τεκμήριον· τὸ δὲ μὴ ἀναγκαῖον, ἀνώνυμόν ἐστι κατὰ τὴν διαφοράν. ἀναγκαῖα μὲν οὖν λέγω, ἐξ ὧν γίνεται συλλογισμός. διὸ καὶ τεκμήριον τὸ τοιοῦτον τῶν σημείων ἐστίν. ὅταν γὰρ μὴ ἐνδέχεσθαι οἴονται λῦσαι τὸ λεχθὲν, τότε φέρειν οἴονται τεκμήριον ὡς δεδειγμένον καὶ πεπερασμένον. τὸ γὰρ τέκμαρ καὶ πέρας, ταὐτόν ἐστι κατὰ τὴν ἀρχαίαν γλῶτταν. ἔστι δὲ τῶν σημείων, τὸ μὲν, ὡς τὸ καθ' ἕκαστον πρὸς τὸ καθόλου ὧδε· οἷον, εἴ τις εἴποι σημεῖον εἶναι ὅτι σοφοὶ δίκαιοι. σωκράτης γὰρ καὶ σοφὸς ἦν καὶ δίκαιος, τοῦτο μὲν οὖν σημεῖον ἐστί. λυτὸν δὲ κἂν ἀληθὲς ᾖ τὸ εἰρημένον· ἀσυλλόγιστον γάρ. τὸ δὲ οἷον εἴ τις εἴποιε σημεῖον ὅτι νοσεῖ, πυρέττει γάρ, ἢ τέτοκεν, ὅτι γάλα ἔχει, ἀναγκαῖον ὅπερ τῶν σημείων τεκμήριον μόνον ἐστίν. μόνον γὰρ ἂν ἀληθὲς ᾖ

veriſimile, vt vniuerſale ad ſingulare. Ex ſignis autem vnum quidem ita ſe habet, vt ſingularium aliquid ad vniuerſale: alterum vero vt vniuerſale aliquid ad ſingulare. Atque ex his quod neceſſarium eſt, tecmerium eſt: at quod non eſt neceſſarium, nomine caret, quo diſtingui poſſit. Ac neceſſaria quidem voco, ex quibus fit ſyllogiſmus. Quamobrem etiam tecmerium tale ex ſignis eſt. Cum enim non contingere arbitrantur, vt ſoluatur id, quod dictum eſt, tunc ſe afferre putant tecmerium, tanquam demonſtratum, & terminatum; quia tecmar, & terminus idem eſt iuxta antiquam linguam. Eſt autem ex ſignis vnum quidem vt ſingulare ad vniuerſale, non ſecus ac ſi quis diceret ſignum eſſe, ſapientes eſſe iuſtos, quia Socrates ſapiens erat, & iuſtus. Atque hoc quidem ſignum eſt, ſed ſolui poteſt, etiamſi verum ſit, quod dictum eſt. Non enim cadit in ſyllogiſmum. Hoc autem, vt ſi quis diceret, ſignũ eſſe, aliquem ægrotare, quia febrẽ habet, vel aliquam peperiſſe, quia lac habet, neceſſariũ eſt, quod ex ſignis tecmerium ſolum eſt: ſolum .n. ſi verũ ſit,

ſolui non poteſt. Alterum vero, vt vniuerſale ad id, quod ſingulariter ſe habet, vt ſi quis diceret, aliquem febre laborare, ſignum eſſe, quia frequenter anhelat, ac ſolui poteſt quoque hoc, etiam ſi verum ſit. Contingit enim etiam non laborantem febri anhelare. Quid igitur veriſimile ſit, & quid ſignum, & tecmerium, & quid differant, dictum eſt adhuc. Apertius vero etiã de his, & qua de cauſſa alia ſyllogiſmo concludi poſſint, alia non poſſint in Analyticis diſputatũ eſt. Iam exemplũ eſſe inductionem, & in qualibus ſit inductio, dictum eſt. Atque eſt neque vt pars ad totum, neque vt totum ad partem, neque vt totum ad totum, ſed vt pars ad partem, ſimile ad ſimile, cum ambo ſubſint eidem generi, ſed notius alterum ſit altero. Exemplum eſt, quemadmodum affectare tyrannidem Dionyſium, cum poſtulet cuſtodiam. Etenim Piſiſtratus prius affectans poſtulauit cuſtodiam, & cum obtinuiſſet, tyrannidem occupauit. Et Theagenes Megaris. Et alij, quoſcunque ſciunt, exemplum omnes fiunt Dionyſij, quem nondum ſciunt ob id poſtulare.

ἄλυτόν ἐστι. τὸ δὲ ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος ἔχον, οἷον εἴ τις εἴποιεν ὅτι πυρέττει, σημεῖον εἶναι, πυκνὸν γὰρ ἀναπνεῖ. λυτὸν δὲ καὶ τοῦτο κἂν ἀληθὲς ᾖ. ἐνδέχεται γὰρ καὶ μὴ πυρέττοντα πνευστιᾶν. τί μὲν οὖν εἰκός ἐστι, καὶ τί σημεῖον καὶ τεκμήριον, καὶ τί διαφέρουσιν, εἴρηται μὲν καὶ νῦν. μᾶλλον δὲ φανερῶς καὶ περὶ τούτων, καὶ διὰ τίνα αἰτίαν, τὰ μὲν ἀσυλλόγιστά ἐστι, τὰ δὲ, συλλελογισμένα, ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς διώρισται περὶ αὐτῶν. παράδειγμα δὲ, ὅτι μέν ἐστιν ἐπαγωγὴ καὶ περὶ ποῖα ἐπαγωγή, εἴρηται. ἔστι δὲ οὔτε ὡς μέρος πρὸς ὅλον, οὔθ᾽ ὡς ὅλον πρὸς μέρος, οὔθ᾽ ὡς ὅλον πρὸς ὅλον· ἀλλ᾽ ὡς μέρος πρὸς μέρος, ὅμοιον πρὸς ὅμοιον. ὅταν ἄμφω μὲν ᾖ ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος, γνωριμώτερον δὲ θάτερον ἢ θατέρου, παράδειγμά ἐστι· οἷον, ὅτι ἐπεβούλευε τυραννίδι Διονύσιος αἰτῶν τὴν φυλακήν. καὶ γὰρ Πεισίστρατος πρότερον ἐπιβουλεύων, ᾔτει τὴν φυλακὴν, καὶ λαβὼν, ἐτυράννησε. καὶ Θεαγένης ἐν Μεγάροις. καὶ ἄλλοι ὅσους ἴσασι, παράδειγμα πάντες

λέγονται τοῦ Διονυσίου, οὐκ ἴσασί πω, εἰ διὰ τοῦτο αἰτεῖ. πάντα δὲ ταῦτα, ὑπὸ τὸ αὐτὸ καθόλου, ὅτι ἐπιβουλεύων τυραννίδι, φυλακὴν αἰτεῖ. ἐξ ὧν μὲν οὖν λέγονται αἱ δοκοῦσαι εἶναι πίστεις ἀποδεικτικαὶ, εἴρηται· τῶν δὲ ἐνθυμημάτων, μεγάλη διαφορά. καὶ μάλιστα λεληθυῖα σχεδὸν πάντας ἐστὶν, ἥπερ καὶ περὶ τὴν διαλεκτικὴν μέθοδον τῶν συλλογισμῶν. τὰ μὲν γὰρ, αὐτῶν ἐστι κατὰ τὴν ῥητορικὴν, ὥσπερ καὶ κατὰ τὴν διαλεκτικὴν μέθοδον τῶν συλλογισμῶν. τὰ δὲ κατ' ἄλλας τέχνας καὶ δυνάμεις, τὰς μὲν, οὔσας, τὰς δὲ, οὔπω κατειλημμένας. διὸ καὶ λανθάνουσι τοὺς ἀκροατὰς, καὶ μᾶλλον ἁπτόμενοι κατὰ τρόπον, μεταβαίνουσιν ἐξ αὐτῶν. μᾶλλον δὲ σαφὲς ἔσται τὸ λεγόμενον, διὰ πλειόνων ῥηθέν. λέγω γὰρ διαλεκτικούς τε καὶ ῥητορικοὺς συλλογισμοὺς εἶναι, περὶ ὧν τοὺς τόπους λέγομεν. οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ κοινῇ περὶ δικαίων καὶ φυσικῶν, καὶ περὶ πολιτικῶν, καὶ περὶ πολλῶν διαφερόντων τῷ εἴδει· οἷον, ὁ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον τόπος. οὐδὲν γὰρ μᾶλλον ἔσται ἐκ τούτου συλλογίζεσθαι ἢ ἐν-

late. Omnia autem hæc ſubſunt eidem vniuerſali; quòd affectans tyrannidem cuſtodiam petit. Ac ex quibus quidem ducatur, quæ videtur eſſe fides demonſtratiua, dictum eſt. Enthymematum vero magna eſt differentia, & maxime latet ferme omnes, quæ etiam eſt in Dialectica methodo ſyllogiſmorum. Alia enim ipſorum ſunt in Rhetorica, vt etiam in Dialectica methodo ſyllogiſmorum: alia in alijs artibus & facultatibus, partim extantibus, partim nondum compertis. Quamobrem etiam latent auditores, & qui magis eà attingunt quàm par eſt, recedunt à ſe ipſis. Magis autem aperietur, quod dicitur, ſi id pluribus fuerit explicatum. Dico enim Dialecticos, & Rhetoricos ſyllogiſmos eſſe, de quibus locos dicimus. Atque hi ſunt communiter de iuſtis, & naturalibus, & de ciuilibus, & de multis differentibus ſpecie, vt maioris, & minoris locus: nihil enim magis licebit ex hoc concludere ſyllogiſmo, vel en-

thymema dicere de iuſtis, quàm naturalibus aut de quacunque re. Atque hæc ſpecie differunt. Propria vero, quæcunque ex propoſitionibus vnicuique ſpeciei, aut generi inſitis ſunt. vt de naturalibus ſunt propoſitiones, ex quibus neque enthymema, neq; ſyllogiſmus eſt de moralibus, & de his aliæ, ex quibus non erit de naturalibus. ſimiliterque id ſe habet in omnibus. Atque illa quidem non efficiunt in aliquo genere prudentem: quia nullam certam materiam habent. Hæc vero quò quis meliora ſeligat ad propoſitiones conficiendas clã efficiet diuerſam ſcientiam à Dialectica & Rhetorica. Nam ſi incidat in principia, non eſt Dialectica, neque Rhetorica, ſed illa erit, cuius habet principia. Sunt autem plura enthymemata ex his formis ducta, quæ ſingulares ſunt, & propriæ: ex communibus vero pauciora. Vt igitur etiam in Topicis, ſic his in libris diſtinguendæ ſunt enthymematum & formæ, & loci, ex quibus aſſumendum eſt. Voco autem formas vniuſcuiuſque generis proprias propoſitiones. At locos communes ſimiliter omnium. Ac

θύμημα εἰπεῖν περὶ δικαίων, ἢ φυσικῶν, ἢ περὶ ὁτουοῦν. καίτοι ταῦτα εἴδει διαφέρουσι. ἴδια δὲ, ὅσα ἐκ τῶν περὶ ἕκαστον εἶδος καὶ γένος προτάσεών ἐστιν· οἷον, περὶ φυσικῶν εἰσι προτάσεις, ἐξ ὧν οὔτε ἐνθύμημα οὔτε συλλογισμός ἐστι περὶ τῶν ἠθικῶν, καὶ περὶ τούτων, ἄλλαι, ἐξ ὧν οὐκ ἔσται περὶ τῶν φυσικῶν. ὁμοίως δὲ τοῦτο ἔχει ἐπὶ πάντων. κἀκεῖνα μὲν οὐ ποιήσει περὶ οὐδὲν γένος ἔμφρονα. περὶ οὐδὲν γὰρ ὑποκείμενόν ἐστι. ταῦτα δὲ ὅσῳ τις ἂν βέλτιον ἐκλέγηται τὰς προτάσεις, λήσει ποιήσας ἄλλην ἐπιστήμην τῆς διαλεκτικῆς καὶ ῥητορικῆς. ἂν γὰρ ἐντύχῃ ἀρχαῖς, οὐκ ἔτι διαλεκτικὴ, οὐδὲ ῥητορική. ἀλλ' ἐκείνη ἔσται, ἧς ἔχει τὰς ἀρχάς. ἔστι δὲ τὰ πλεῖστα τῶν ἐνθυμημάτων, ἐκ τούτων τῶν εἰδῶν λεγόμενα, τῶν κατὰ μέρος καὶ ἰδίων. ἐκ δὲ τῶν κοινῶν ἐλάττω. καθάπερ οὖν καὶ ἐν τοῖς τοπικοῖς καὶ ἐνταῦθα διαιρετέον, τῶν ἐνθυμημάτων τά τε εἴδη καὶ τοὺς τόπους, ἐξ ὧν ληπτέον. λέγω δὲ εἴδη μὲν, τὰς καθ' ἕκαστον γένος ἰδίας προτάσεις. τόπους δὲ τοὺς

κοινοὺς ὁμοίως πάντων. πρότερον οὖν εἴπωμεν περὶ τῶν εἰδῶν. πρότερον δὲ λάβωμεν τὰ γένη τῆς ῥητορικῆς. ὅπως διελόμενοι πόσα ἐστὶ, περὶ τούτων χωρὶς λαμβάνωμεν τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς προτάσεις.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ γ.

Ἔστι δὲ τῆς ῥητορικῆς εἴδη τρία τὸν ἀριθμόν. τοσοῦτοι γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τῶν λόγων ὑπάρχουσιν ὄντες. σύγκειται μὲν γὰρ ἐκ τριῶν ὁ λόγος· ἔκ τε τοῦ λέγοντος, καὶ περὶ οὗ λέγει, καὶ πρὸς ὅν, καὶ τὸ τέλος πρὸς τοῦτόν ἐστιν· λέγω δὲ τὸν ἀκροατήν. ἀνάγκη δὲ τὸν, ἀκροατὴν, ἢ θεωρὸν εἶναι, ἢ κριτήν. κριτὴν δὲ, ἢ τῶν γεγενημένων, ἢ τῶν μελλόντων. ἔστι δ᾽ ὁ μὲν περὶ τῶν μελλόντων κρίνων· οἷον ἐκκλησιαστής. ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων· οἷον, ὁ δικαστής. ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως, ὁ θεωρός. ὥστ᾽ ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν. συμβουλῆς δὲ, τὸ μὲν, προτροπή· τὸ δὲ, ἀποτροπή. ἀεὶ γὰρ καὶ οἱ ἰδίᾳ συμβουλεύοντες, καὶ οἱ κοινῇ δημηγοροῦντες, τούτων θάτερον ποιοῦσι. δίκης δὲ, τὸ μὲν

prius quidem explicemus formas. Sed prius aſſumamus genera Rhetoricæ, vt cum diſtinxerimus, quot ſint, de his ſeparatim aſſumamus elementa, & propoſitiones,

CAPVT III.

Iam vero Rhetoricæ ſunt tres numero formæ. Totidem enim auditores ſunt orationum. Etenim conſtat ex tribus oratio, tum ex eo, qui loquitur, tum ex eo de quo loquitur, tum ex eo, ad quem. Ac finis ad hunc refertur, id eſt ad auditorem. Neceſſe autem eſt auditorem aut auſcultatorem eſſe, aut diſceptatorem. & quidem diſceptatorem aut præteritorũ, aut futurorum. Eſt vero qui futura diſceptat, vt concio: qui præterita, vt iudex: qui facultatem, auſcultator. itaque ex neceſſitate ſunt tria genera orationum oratoriarum, deliberatiuum, iudiciale, demonſtratiuum. Ac deliberationis quidem vna pars eſt ſuaſio: altera diſſuaſio. Semper enim tum qui priuatim deliberant, tum qui publice concionãtur, horum alterum faciunt,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

κατηγορία· τὸ δὲ, ἀπολογία. τούτων γὰρ ὁποτερονοῦν ποιεῖν ἀνάγκη τοὺς ἀμφισβητοῦντας. ἐπιδεικτικοῦ δὲ, τὸ μὲν, ἔπαινος· τὸ δὲ, ψόγος. χρόνοι δὲ ἑκάστου τούτων εἰσὶ, τῷ μὲν συμβουλεύοντι, ὁ μέλλων. περὶ γὰρ τῶν ἐσομένων συμβουλεύει, ἢ προτρέπων, ἢ ἀποτρέπων. τῷ δὲ δικαζομένῳ, ὁ γινόμενος. περὶ γὰρ τῶν πεπραγμένων ἀεὶ ὁ μὲν κατηγορεῖ, ὁ δὲ ἀπολογεῖται. τῷ δ' ἐπιδεικτικῷ, κυριώτατος μὲν ὁ παρών. κατὰ γὰρ τὰ ὑπάρχοντα, ἐπαινοῦσιν ἢ ψέγουσι πάντες. προσχρῶνται δὲ πολλάκις καὶ τὰ γενόμενα ἀναμιμνήσκοντες, καὶ τὰ μέλλοντα προεικάζοντες. τέλος δὲ ἑκάστοις τούτων ἕτερόν ἐστι. καὶ τρισὶν οὖσι τρία. τῷ μὲν συμβουλεύοντι, τὸ συμφέρον καὶ βλαβερόν. ὁ μὲν γὰρ προτρέπων, ὡς βέλτιον συμβουλεύει· ὁ δὲ ἀποτρέπων, ὡς χεῖρον ἀποτρέπει. τὰ δ' ἄλλα, πρὸς τοῦτο συμπαραλαμβάνει ἢ δίκαιον, ἢ ἄδικον, ἢ καλὸν, ἢ αἰσχρόν. τοῖς δὲ δικαζομένοις, τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον. τὰ δ' ἄλλα, καὶ οὗτοι συμπαραλαμβάνουσι πρὸς ταῦτα. τοῖς δὲ ἐπαινοῦσι καὶ ψέγουσι, τὸ

Iudicij vero vna pars accuſatio, altera defenſio. Horum enim alterum facere neceſſe eſt eos, qui controuerſantur. At demonſtratiui vna pars eſt laus, altera vituperatio. Tempora etiam vnicuique horum accommodantur. Deliberandi quidem futurum: nam de futuris deliberat aut ſuadens, aut diſſuadens. Iudicia vero tractanti præteritum. nam de factis ſemper vnus accuſat, alter defendit. At demõſtratiuo maximè proprium quidem eſt præſens (ex ijs enim, quæ inſunt, laudant, aut vituperant omnes) ſed aſſumunt ſæpe etiam præterita, quæ in memoriam reuocant, & futura, quæ coniectant. Finis præterea ſingulis his diuerſus eſt, & tribus ſunt tres. deliberanti quidem vtile, & pernicioſum. Etenim ſuadens, vt melius deliberat: diſſuadens, vt peius diſſuadet. Alia autem ad hoc ſimul aſſumit, vel iuſtũ, vel iniuſtũ vel honeſtũ, vel turpe. Iudicia vero tractantibus iuſtum, & iniuſtum. Alia vero etiam hi ſimul aſſumunt ad hæc. At laudantibus & vituperantibus honeſtum, & turpe. Alia autem & hi ad hæc re-

καλὸν καὶ τὸ αἰσχρόν. τὰ δ᾽ ἄλλα καὶ οὗτοι πρὸς ταῦτα ἐπαναφέρουσι. σημεῖον δὲ, ὅτι τὸ εἰρημένον ἑκάστοις τέλος. περὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων, ἐνίοτε οὐκ ἂν ἀμφισβητήσαιεν· οἷον, ὁ δικαζόμενος, ὡς οὐ γέγονεν ἢ ὡς οὐκ ἔβλαψεν. ὅτι δ᾽ ἀδικεῖ, οὐδέποτε ἂν ὁμολογήσαιεν. οὐδὲ γὰρ ἂν ἔδει δίκης. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ συμβουλεύοντες, τὰ μὲν ἄλλα πολλάκις προΐενται, ὡς δὲ ἀσύμφορα συμβουλεύουσιν, ἢ ἀπ᾽ ὠφελίμων ἀποτρέπουσιν, οὐκ ἂν ὁμολογήσαιεν. ὡς δ᾽ οὐκ ἄδικον, τοὺς ἀστυγείτονας καταδουλοῦσθαι, καὶ τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας, πολλάκις οὐδὲν φροντίζουσιν. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ ἐπαινοῦντες καὶ οἱ ψέγοντες, οὐ σκοποῦσιν, εἰ συμφέροντα ἔπραξεν ἢ βλαβερά· ἀλλὰ καὶ ἐν ἐπαίνῳ πολλάκις τιθέασιν, ὅτι ὀλιγωρήσας τοῦ αὐτῷ λυσιτελοῦντος, ἔπραξέ τι καλόν· οἷον, ἀχιλλέα ἐπαινοῦσιν, ὅτι ἐβοήθησε τῷ ἑταίρῳ πατρόκλῳ, εἰδὼς, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀποθανεῖν, ἐξὸν ζῆν. τούτῳ δὲ, ὁ μὲν τοιοῦτος θάνατος, κάλλιον· τὸ δὲ ζῆν, συμφέρον. Φανερὸν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων,

hæc referunt. Signum vero eſt, quem diximus, ſingulis finem eſſe, quod de alijs interdum non controuerſabuntur, vt qui iudicio prouocatus, ſe non feciſſe, aut nō nocuiſſe: at ſe iniuſte feciſſe, nunquã cõfitebitur: nihil enim opus eſſet iudicio. Similiter etiam qui deliberant, alia quidem ſæpenumero dimittunt: ſe vero inutilia deliberare, aut ab vtilibus diſſuadere, non confitebuntur. Non eſſe autem iniuſtum finitimos in ſeruitutem redigere, & nullam iniuriam inferentes, ſæpe non cogitant. Eodem modo etiam qui laudant, & qui vituperant, non conſiderant, vtiliáne egerit, an pernicioſa, ſed in laude ſæpe ponunt, aliquem neglecto eo, quod ſibi prodeſſet, egiſſe aliquid honeſti, quemadmodum Achillem laudant, quod adiuuerit ſodalem Patroclum, cum ſciret, ſe mori oportere, & ipſi liceret viuere. At ei eiuſmodi quidem mors honeſtior fuit: ſed viuere vtile. Apparet autem ex ijs, quæ dicta ſunt,

neceſſe eſſe, de his vt habe-
antur prius propoſitiones.
Tecmeria enim,& veriſimi-
lia & ſigna propoſitiones
ſunt oratoriæ. Etenim o-
mnino ſyllogiſmus ex pro-
poſitionibus conſtat: en-
thymema vero ſyllogiſmus
eſt, conſtitutus ex ijs, quæ
dictæ ſunt,propoſitionibus.
Et quoniam fieri non po-
teſt, vt facta ſint, neque vt
in futurum fiant, quæ fieri
non poſſunt, ſed quæ poſ-
ſunt; neque ea, quæ non
facta ſunt, nec erunt, fieri
poteſt, vt facta ſint, neque
vt in futurum fiant: ne-
ceſſarium eſt tum delibe-
ranti, tùm iudicia tractanti,
tùm demonſtratiuo habere
propoſitiones de eo, quod
fieri, & non fieri poteſt: &
an factum ſit, nec ne: & an
erit, nec ne. Præterea vero,
quoniam omnes tùm qui
laudant, & qui vituperant,
tùm qui ſuadent, & qui
diſſuadent, tùm qui accu-
ſant, & qui defendunt, non
ſolum, quæ dicta ſunt de-
monſtrare conantur,ſed et-
iam rem magnam eſſe, vel
paruam eam, quæ eſt vel
bona, vel mala, vel honeſta,
vel turpis, vel iuſta, vel iniuſta, ſiue per ſe dicant, ſiue inuicem
ex altera parte comparent; manifeſtũ eſt,oportere etiã de ma-
gno, &

ὅτι ἀνάγκη περὶ τούτων ἔχειν
πρῶτον προτάσεις. τὰ γὰρ τεκ-
μήρια, καὶ τὰ εἰκότα, καὶ τὰ ση-
μεῖα, προτάσεις εἰσὶ ῥητορικαί.
ὅλως μὲν γὰρ συλλογισμός, ἐκ
προτάσεών ἐστι. τὸ δ' ἐνθύμη-
μα, συλλογισμός ἐστι, συνεστη-
κὼς ἐκ τῶν εἰρημένων προτάσε-
ων. ἐπεὶ δὲ οὔτε πραχθῆναι οἷόν
τε οὔτε πραχθήσεσθαι τὰ ἀδύ-
νατα, ἀλλὰ τὰ δυνατά· οὐδὲ τὰ
μὴ γενόμενα ἢ μὴ ἐσόμενα οὐχ
οἷόν τε, τὰ μὲν πεπρᾶχθαι, τὰ δὲ
πραχθήσεσθαι, ἀναγκαῖον καὶ
τῷ συμβουλεύοντι, καὶ τῷ δικαζο-
μένῳ, καὶ τῷ ἐπιδεικτικῷ, ἔχειν
προτάσεις περὶ δυνατοῦ καὶ ἀδυ-
νάτου. καὶ εἰ γέγονεν ἢ μή, καὶ εἰ
ἔσται ἢ μή. ἔτι δ' ἐπεὶ ἅπαντες. καὶ
ἐπαινοῦντες, καὶ ψέγοντες, καὶ προ-
τρέποντες, καὶ ἀποτρέποντες, καὶ κα-
τηγοροῦντες, καὶ ἀπολογούμενοι, οὐ
μόνον τὰ εἰρημένα δεικνύναι πει-
ρῶνται, ἀλλὰ καὶ ὅτι μέγα ἢ μι-
κρὸν, ἢ τὸ ἀγαθὸν, ἢ τὸ κακὸν, ἢ τὸ
καλὸν, ἢ τὸ αἰσχρὸν, ἢ τὸ δίκαιον,
ἢ τὸ ἄδικον, ἢ καθ' αὑτὰ λέγοντες
ἢ πρὸς ἄλληλα ἀντιπαραβάλ-
λοντες, δῆλον, ὅτι δέοι ἂν καὶ περὶ

μεγέθους καὶ σμικρότητος, καὶ τοῦ μείζονος καὶ τοῦ ἐλάττονος, προτάσεις ἔχειν, καὶ καθόλου καὶ περὶ ἑκάστου· οἷον, τί μεῖζον ἀγαθὸν ἢ ἔλαττον, ἢ ἀδίκημα ἢ δικαίωμα. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων. περὶ ὧν μὲν οὖν ἐξ ἀνάγκης δεῖ λαβεῖν τὰς προτάσεις, εἴρηται. μετὰ δὲ ταῦτα διαιρετέον ἰδίᾳ περὶ ἑκάστου τούτων· οἷον, περὶ ὧν συμβουλὴ, καὶ περὶ ὧν οἱ ἐπιδεικτικοὶ λόγοι. τρίτον δὲ, περὶ ὧν αἱ δίκαι.

gno, & paruo, & maiori, & minori propoſitiones habere, tùm in vniuerſum, tùm de vnaquaque re, vt quódnam ſit maius bonum vel minus, aut iniuria, vel ius, & ſimiliter de alijs. Ac de quibus quidem neceſſario oportet aſſumere propoſitiones, dictum eſt. Poſt hæc vero diſtinguendum eſt ſeparatim vnumquodque horum, vt de quibus deliberatio ſit: & de quibus demonſtratiuæ orationes: tertio autē, de quib. iudicia.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ δ.

⁴ Præterea conuenit animaduertere, an contrariæ alicui ſint aut ex ſcriptis legibus, aut ex communibus & iuſtis, aut honeſtis. Præterea an alijs pactis poſterioribus, aut prioribus. aut enim poſteriora rata ſunt, & irrita priora: aut priora recta ſunt, & poſteriora falſa. Vtroque modo erit vtile. Deinde expediet videre, ſi qua in parte aduerſentur iudicibus, & quæcunque alia huiuſmodi. Etenim hæc facilia cognitu ſimiliter ſunt. Quæſtiones autem teſtimonia quædam ſunt. Habere vero videntur fidem, quia neceſſitas quædam in eis ineſt. Non eſt igitur difficile earum vim intelligere, & quæ de eis dici poſſunt, explicare. ex quibus ſi ſint propriæ, eas augere licet, quia veræ ſolæ ex teſtimonijs ſint: ſi aduerſentur, & cum aduerſario faciant; euerterit aliquis veritatem, dicens de vniuerſo genere quæſtionum. Nihil enim minus, qui coguntur, falſa dicunt, quam vera, & tolerantes, ne dicant vera, & facile mentientes, vt requieſcant citius.

θῆκαι δὲ γίγνονται, καὶ ἐξαπατηθέντων, καὶ ἀναγκασθέντων. πρὸς δὲ τούτοις σκοπεῖν εἰ ἐναντία τινί ἐστιν, ἢ τῶν γεγραμμένων νόμων, ἢ τῶν κοινῶν, καὶ τοῖς δικαίοις ἢ καλοῖς. ἔτι τε, εἰ ἄλλαις συνθήκαις ὑστέραις ἢ προτέραις. ἢ γὰρ αἱ ὕστεραι κύριαι, ἄκυροι δ᾽ αἱ πρότεραι. ἢ αἱ πρότεραι ὀρθαί, αἱ δ᾽ ὕστεραι ἠπατήκασιν, ὁποτέρως ἂν ᾖ χρήσιμον. ἔτι δὲ τὸ συμφέρον, ὁρᾷν εἴ πῃ ἐναντιοῦται τοῖς κριταῖς, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. καὶ γὰρ ταῦτα εὐθεώρητα ὁμοίως. αἱ δὲ βάσανοι, μαρτυρίαι τινές εἰσιν. ἔχειν δὲ δοκοῦσι πίστιν, ὅτι ἀνάγκη τις πρόσεστιν. οὔκουν χαλεπὸν οὐδὲν περὶ τούτων ἰδεῖν, καὶ τὰ ἐνδεχόμενα εἰπεῖν· ἐξ ὧν ἄν τε ὑπάρχωσιν οἰκεῖαι, αὔξειν ἐστὶν ὅτι ἀληθεῖς μόναι τῶν μαρτυριῶν εἰσιν αὗται, ἐάν τε ὑπεναντίαι ὦσι, καὶ μετὰ τοῦ ἀμφισβητοῦντος διαλύοι ἄν τις τἀληθῆ λέγων καθόλου τοῦ γένους τῶν βασάνων. οὐδὲν γὰρ ἧττον ἀναγκαζόμενοι τὰ ψευδῆ λέγουσιν, ἢ τἀληθῆ, καὶ διακαρτεροῦντες μὴ λέγειν τἀληθῆ, καὶ ῥᾳδίως καταψευδόμενοι ὡς παυσόμενοι θᾶτ-

τοι θᾶττον. δεῖ δ' ἔχειν ἐπαναφέρειν ἐπὶ τοιαῦτα γεγενημένα παραδείγματα, ἃ ἴσασιν οἱ κρίνοντες. περὶ δὲ ὅρκων τετραχῶς ἔστι διελεῖν. ἢ γὰρ δίδωσι καὶ λαμβάνει, ἢ οὐδέτερον· ἢ τὸ μὲν, τὸ δ' οὔ. καὶ τούτων, ἢ δίδωσιν μὲν, οὐ λαμβάνει δὲ, ἢ λαμβάνει μὲν, οὐ δίδωσι δέ. ἔτι ἄλλως περὶ ταῦτα εἰ ὀμώμοσται. καὶ οὗτος ἢ ὑφ' αὐτοῦ, ἢ ἐπ' ἐκείνου. οὐ δίδωσι μὲν οὖν, ὅτι ῥᾳδίως ἐπιορκοῦσι. καὶ ὅτι ὁ μὲν ὀμόσας, οὐκ ἀποδίδωσι, τοὺς δὲ, μὴ ὀμόσαντος, οἴεται καταδικάσειν. καὶ ὡς οὗτος ὁ κίνδυνος κρείττων ὁ ἐν τοῖς δικασταῖς. τοῖς μὲν γὰρ, πιστεύει, τῷ δ' οὔ. οὐ λαμβάνει δ' ὅτι ἀντὶ χρημάτων ὅρκος. καὶ ὅτι εἰ ἦν φαῦλος, κατομόσαιτο ἄν. κρεῖττον γὰρ ἕνεκά του φαῦλον εἶναι, ἢ μηδενός. ὀμόσας μὲν γὰρ ἕξει· μὴ ὀμόσας δ', οὔ. ὥστε δὲ, δι' ἀρετὴν ἂν εἴη, ἀλλ' οὐ δι' ἐπιορκίαν τὸ μή, καὶ τὸ τοῦ Ξενοφάνους ἁρμόττει, ὅτι οὐκ ἴση πρόσκλησις αὕτη, ἀσεβεῖ πρὸς εὐσεβῆ, ἀλλ' ὁμοία· καὶ εἰ ἰσχυρὸς, ἀσθενῆ πατάξαι, ἢ πληγῆναι

Oportet autem habere facultatem referendorum ad hæc præteritorum exemplorum, quæ ſciunt iudicantes. Iuriſiurandi vero ratio, quadripartita diſtributio eſt. aut enim offert, & accipit, aut neutrum: aut vnum quidem, alterum vero nequaquam. Et ex his aut offert, non accipit: aut accipit, non offert. Præterea alius eſt conſiderandi modus, an iuratum ſit, & ſic aut ab ipſo, aut ab illo. Ac non offert quidem, [1] quòd facile peierant, [2] & quòd iuratus non reddit, hos autem etiam non iuratum arbitratur damnaturos. [3] Et quòd hoc periculum melius eſt in iudicib[9], quia his quidem credit, illi vero nequaquam. Non accipit, [1] quòd pro pecuniis iuſiurandum eſt. [2] Et quòd ſi eſſet improbus, iuraret, quia melius eſt cauſſa alicuius rei improbum eſſe, quã nullius. iuratus enim habebit: non iuratus nequaquam. [3] Quare ob virtutem erit, ſed non ob periurium non iurare. [4] Et illud Xenophanis quadrat, quòd non æqualis prouocatio ipſa eſt, impio aduerſus pium, ſed ſimilis, ac ſi robuſtus debilem ad verberandum, vel

vapulandum prouocaret. Si accipit, illud conuenit, [2] quod credit ſibi, illi nequaquam. Et illud Xenophanis inuertendo dicendum ſic, æquum eſſe, ſi impius offerat, pius iuret. [2] Graueque eſſe, nolle iurare ipſum, de quibus illos dignum iudicat iuratos iudicare. Si offert, [1] quòd pium ſit, velle Dijs rem committere, & quòd non oportet ipſum alios iudices rogare: ipſi enim offert, vt iudicet. [2] Et quòd abſurdum eſt, eum nolle iurare, de quibus alios dignum iudicet iurare. Et quoniam de ſingulis manifeſtum eſt, quomodo dicendum ſit, etiam copulando, quomodo dicendum ſit, patet, vt ſi ipſe quidem vult accipere, aut non offerre: &, ſi offert quidem, accipere vero recuſat: & ſi accipere, & offerre vult: & ſi neutrum. Ex iis enim, quæ dicta ſunt, neceſſe eſt, vt copulentur. Iraque etiam rationes neceſſe eſt copulari ex ijs, quæ dicta ſunt. Quòd ſi ſuſceptum fuerit ab ipſo contrarium, quòd non eſt periurium. Sponte enim eſt iniuriam facere, & peierare eſt iniuriam facere. Quæ vero vi, & fraude fiunt, non ſponte ſunt. Hic igitur concludendum eſt

προσκαλέσαιτο. εἰ δὲ λαμβάνει, ὅτι πιστεύει αὐτῷ, ἐκείνῳ δ᾽ οὔ. καὶ τὸ τοῦ Ξενοφάνους μεταστρέψαντα, φατέον οὕτως, ἴσον εἶναι, ἐὰν μὲν ὁ ἀσεβὴς διδῷ, ὁ εὐσεβὴς δ᾽ ὀμνύῃ. δεινόν τε τὸ μὴ ἐθέλειν αὐτὸν, ὑπὲρ ὧν ἐκείνους ἀξιοῖ ὀμόσαντας δικάζειν. εἰ δὲ δίδωσιν, ὅτι εὐσεβὲς τὸ θέλειν τοῖς θεοῖς ἐπιτρέπειν. καὶ ὅτι, οὐδὲν δεῖ αὐτὸν ἄλλων κριτῶν δεῖσθαι. αὐτῷ γὰρ δίδωσι κρίνειν. καὶ ὅτι, ἄτοπον τὸ μὴ θέλειν ὀμνύναι, περὶ ὧν ἄλλους ἀξιοῖ ὀμνύναι. ἐπεὶ δὲ καθ᾽ ἕκαστον δῆλον πῶς λεκτέον, καὶ συνδυαζόμενον, πῶς λεκτέον, δῆλον· οἷον, εἰ αὐτὸς μὲν θέλει λαμβάνειν, διδόναι δὲ μή. καὶ εἰ δίδωσι μὲν, λαμβάνειν δὲ μὴ θέλει, καὶ εἰ λαμβάνειν καὶ διδόναι θέλει, εἴτε μὴ δ᾽ ἕτερον. ἐκ γὰρ τῶν εἰρημένων, ἀνάγκη συγκεῖσθαι. ὥστε καὶ τοὺς λόγους ἀνάγκη συγκεῖσθαι ἐκ τῶν εἰρημένων. ἐὰν δὲ ᾖ γεγενημένος ὑπ᾽ αὐτοῦ ὁ ἐναντίος, ὅτι οὐκ ἐπιορκία. ἑκούσιον γὰρ τὸ ἀδικεῖν ἐστι. τὸ δὲ ἐπιορκεῖν, ἀδικεῖν ἐστι. τὰ δὲ βίᾳ καὶ τὰ ἀπάτῃ, ἀκούσια. ἐνταῦθα οὖν συνακτέον καὶ τὸ ἐπιορκεῖν,

ὅτι ἐστὶ τὸ τῇ διανοίᾳ ἀλλ' οὐ τῷ στόματι. ἐὰν δὲ τῷ ἀντιδίκῳ ᾖ ὀμωμοσμένος, ὅτι πάντα ἀναιρεῖ ὁ μὴ ἐμμένων, οἷς ὤμοσε. διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τοῖς νόμοις χρῶνται ὀμόσαντες. καὶ, ὑμᾶς μὲν ἀξιοῦμεν ἐμμένειν, οἷς ἂν ὀμόσαντες δικάζητε. αὐτοὶ δ' οὐκ ἐμμενοῦμεν; καὶ ὅσα ἄλλα ἂν αὔξων τις εἴπειε. περὶ μὲν οὖν τῶν ἀτέχνων πίστεων, εἰρήσθω τοσαῦτα.

dum eſt etiam periurium eſſe in mente, & non ore. Si vero ab aduerſario iuratum fuerit, quòd omnia ſubuertit, qui non ſtat illis, quæ iurauit: quia hac de cauſſa etiam legibus vtuntur iurati. &, Vos quidem dignum iudicamus ſtare illis, quæ iurati iudicetis: ipſi vero non ſtabimus? Et quæcunque alia amplificando aliquis dixerit. Ac de artis quidem experte fide tam multa dicta ſint.

Finis Libri Primi.

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICAE Antonio Riccobono interprete Lib. II.

CAPVT I.

EX [1] quibus quidem oporteat tùm ſuadere, tùm diſſuadere, tùm vituperare, tùm laudare, tùm accuſare, tùm defendere, & cuiuſmodi opiniones, ac propoſitiones vtiles ſint ad faciendam harum rerum fidem, hæc ſunt. De his enim, & ex his enthymemata ducuntur, vt in vnoquoque loquamur proprie genere orationum. [2] Quoniam vero cauſſa iudicationis eſt Rhetorica (etenim conſilia iudicant, & iudicium iudicatio eſt) neceſſe eſt non ſolum ad orationem reſpicere, quomodo apta ſit ad demonſtrandum, & ad fidem faciendam: ſed etiam ipſum cuiuſdam modi, & iudicem

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΕ'ΧΝΗΣ ῬΗΤΟΡΙΚῆς τῶν εἰς τρία τὸ δεύτερον.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ α.

ΕΚ τίνων μὲν δεῖ καὶ προτρέπειν καὶ ἀποτρέπειν, καὶ ψέγειν καὶ ἐπαινεῖν, καὶ κατηγορεῖν, καὶ ἀπολογεῖσθαι, καὶ ποῖαι δόξαι καὶ προτάσεις χρήσιμοι πρὸς τὰς τούτων πίστεις, ταῦτ᾽ ἐστί. περὶ γὰρ τούτων καὶ ἐκ τούτων, τὰ ἐνθυμήματα λέγεται, ὡς περὶ ἕκαστον εἰπεῖν ἰδίᾳ τὸ γένος τῶν λόγων. ἐπεὶ δ᾽ ἕνεκα κρίσεώς ἐστιν ἡ ῥητορική, καὶ γὰρ τὰς συμβουλὰς κρίνουσι, καὶ ἡ δίκη κρίσις ἐστίν, ἀνάγκη μὴ μόνον πρὸς τὸν λόγον ὁρᾶν, ὅπως ἀποδεικτικὸς ἔσται καὶ πιστός, ἀλλὰ καὶ αὑτὸν ποιόν τινα καὶ τὸν κριτὴν

κατασκευάζειν. πολὺ γὰρ διαφέρει πρὸς πίστιν. μάλιστα μὲν, ἐν ταῖς συμβουλαῖς. εἶτα δὲ, καὶ ἐν ταῖς δίκαις, τό τε ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα, καὶ τὸ πρὸς αὐτοὺς ὑπολαμβάνειν ἔχειν πως αὐτόν. πρὸς δὲ τούτοις ἐὰν καὶ αὐτοὶ διακείμενοί πως τυγχάνωσι. τὸ μὲν οὖν ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα, χρησιμώτερον εἰς τὰς συμβουλάς ἐστι· τὸ δὲ διακεῖσθαί πως τὸν ἀκροατὴν, εἰς τὰς δίκας. οὐ γὰρ ταὐτὰ φαίνεται φιλοῦσιν καὶ μισοῦσιν. οὐδ᾽ ὀργιζομένοις καὶ πράως ἔχουσιν. ἀλλ᾽ ἢ τὸ παράπαν ἕτερα, ἢ κατὰ τὸ μέγεθος ἕτερα. τῷ μὲν γὰρ φιλοῦντι περὶ οὗ ποιεῖται τὴν κρίσιν, ἢ οὐκ ἀδικεῖν, ἢ μικρὰ δοκεῖ ἀδικεῖν. τῷ δὲ μισοῦντι, τοὐναντίον. καὶ τῷ μὲν ἐπιθυμοῦντι καὶ εὐέλπιδι, ἐὰν ᾖ τὸ ἐσόμενον ἡδὺ, καὶ ἔσεσθαι, καὶ ἀγαθὸν ἔσεσθαι φαίνεται. τῷ δ᾽ ἀπαθεῖ καὶ δυσχεραίνοντι τοὐναντίον. τοῦ μὲν οὖν αὐτοὺς εἶναι πιστοὺς τοὺς λέγοντας, τρία εἰσὶ τὰ αἴτια. τοσαῦτα γάρ ἐστι δι᾽ ἃ πιστεύομεν ἔξω τῶν ἀποδείξεων. ἔστι δὲ ταῦτα, φρόνησις,

iudicem comparare.[3] Multum enim intereſt ad fidem maxime quidem in conſiliis, deinde vero etiam in iudicijs, tùm ſi cuiuſdam modi appareat is, qui dicit, tùm ſi erga ſe exiſtiment ſe habere quodammodo ipſum, tùm vero ſi etiam ipſi affecti quodammodo ſint. [4] Ac cuiuſdam quidem modi apparere oratorem, vtilius in conſilijs eſt: affectum vero eſſe aliquo modo auditorem, in iudicijs. Non enim eadem videntur amantibus, & odio habentibus, neque iraſcentibus, & leniter ſe habentibus, ſed aut omnino diuerſa, aut magnitudine diuerſa. Amanti enim is, de quo habet iudicationem, aut non iniuſte agere, aut parum videtur iniuſte agere. Odio autem habenti, contrarium. Et cupienti quidem, & bene ſperanti, ſi ſit futurum iucundum, etiam fore, & bonum fore videtur. Affectus vero experti, & dubitanti contrarium. [4] Cur igitur ipſi ſint fide digni, qui dicunt, tres ſunt cauſſæ. Tot enim ſunt, propter quæ fidem præſtamus præter demonſtrationes, nempe prudentia,

& virtus, & beneuolentia. Nam falſum ſequuntur in ijs, de quibus dicunt, vel conſultant, aut propter omnia hæc, aut propter horum aliquid. Aut enim propter imprudentiam non recte id opinantur; aut opinantes recte, propter improbitatem, quæ videntur, non dicunt: aut prudentes quidem, & probi ſunt, ſed non beneuoli. Itaque contingit, vt optima conſilia non dent, qui ea cognoſcunt. Et præterea nihil eſt. Neceſſe igitur eſt, qui omnia videatur hæc habere, eum eſſe apud auditores fide dignum. Iam vnde prudentes, & probi appareant, ex ijs, quæ de virtutibus explicata ſunt, ſumendum eſt: ex ijſdem enim & alterum aliquis, & ſe ipſum comparabit talem. De beneuolentia autem, & amicitia in ijs, quæ pertinent ad affectus, dicendum nunc eſt. [6] Sunt vero affectus, per quos cum ſe immutent, differunt in iudicationibus quos ſequitur moleſtia, & voluptas, vt ira, miſericordia, metus, & quæcunq; alia eiuſmodi, & his contraria. [7] Oportet autem diuidere ea, quæ de vnoquoque tradentur, in tria, vt quæratur, exempli cauſſa, de ira, tùm quomodo

καὶ ἀρετὴ, καὶ εὔνοια. διαψεύδονται γὰρ περὶ ὧν λέγουσιν ἢ συμβουλεύουσιν, ἢ διὰ πάντα ταῦτα, ἢ διὰ τούτων τι. ἢ γὰρ δι' ἀφροσύνην οὐκ ὀρθῶς τοῦτο δοξάζουσιν, ἢ δοξάζοντες ὀρθῶς, διὰ μοχθηρίαν οὐ τὰ δοκοῦντα λέγουσιν. ἢ φρόνιμοι μὲν καὶ ἐπιεικεῖς εἰσιν ἀλλ' οὐκ εὖνοι. διόπερ ἐνδέχεται, μὴ τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν γινώσκοντας, καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν. ἀνάγκη ἄρα τὸν ἅπαντα δοκοῦντα ταῦτα ἔχειν, εἶναι τοῖς ἀκροωμένοις πιστόν. ὅθεν μὲν τοίνυν φρόνιμοι καὶ σπουδαῖοι φανεῖεν ἂν ἐκ τῶν περὶ τὰς ἀρετὰς διῃρημένων ληπτέον. ἐκ τῶν αὐτῶν γὰρ, κἂν ἕτερόν τις κἂν ἑαυτὸν κατασκευάσειε τοιοῦτον. περὶ δ' εὐνοίας καὶ φιλίας, ἐν τοῖς περὶ τὰ πάθη λεκτέον νῦν. ἔστι δὲ τὰ πάθη, δι' ὅσα μεταβάλλοντες, διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις, οἷς ἕπεται λύπη καὶ ἡδονή· οἷον ὀργὴ, ἔλεος, φόβος, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. καὶ τὰ τούτοις ἐναντία. δεῖ δὲ διαιρεῖν τὰ περὶ ἕκαστον, εἰς τρία· λέγω δ' οἷον περὶ ὀργῆς, πῶς τε διακεί-

μενοι ὀργίλοι εἰσί, καὶ τίσιν εἰώθασιν ὀργίζεσθαι, καὶ ἐπὶ ποίοις. εἰ γὰρ τὸ μὲν ἓν ἢ τὰ δύο ἔχοιμεν τούτων, ἅπαντα δὲ μή, ἀδύνατον ἂν εἴη τὴν ὀργὴν ἐμποιεῖν. ὁμοίως δέ, καὶ περὶ τῶν ἄλλων. ὥσπερ οὖν καὶ ἐπὶ τῶν προειρημένων διεγράψαμεν τὰς προτάσεις, οὕτω καὶ ἐπὶ τούτων ποιήσωμεν, καὶ διέλωμεν τὸν εἰρημένον τρόπον.

modo affecti iracundi ſint, tùm quibus conſueuerint iraſci, tùm in quibus. Si enim vnum, vel duo teneamus ex his, & non omnia, fieri non poterit, vt iram excitemus. Similiter vero etiam de alijs. Quemadmodum igitur, & in iis, quæ ante dicta ſunt, deſcripſimus propoſitiones: Sic etiam in ijs faciemus, & diuidemus eo, qui dictus eſt, modo.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ β.

Ἔστω δὴ ἡ ὀργή, ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν ἢ εἰς αὐτοῦ τινα μὴ προσηκόντως. ἐπεὶ δὲ τοῦτ᾽ ἔστιν ὀργή, ἀνάγκη τὸν ὀργιζόμενον, ὀργίζεσθαι ἀεὶ τῶν καθέκαστον τινί· οἷον κλέωνι, ἀλλ᾽ οὐκ ἀνθρώπῳ. καὶ ὅτι αὐτόν, ἢ τῶν αὐτοῦ τινά τι πεποίηκεν ἢ ἔμελλε. καὶ πάσῃ ὀργῇ ἕπεσθαί τινα ἡδονὴν τὴν ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ τιμωρήσασθαι. ἡδὺ μὲν γὰρ τὸ οἴεσθαι τεύξεσθαι, ὧν ἐφίεται. οὐδεὶς δὲ τῶν φαινομένων ἀδυνάτων ἐφίεται. ὁ δ᾽ ὀργιζόμενος ἐφίεται αὐτῷ δυνατῶν. διὸ καλῶς εἴρηται περὶ θυ-

CAPVT II.

IAm [1] vero ſit ira appetitio cum dolore coniuncta eius, quæ apparet, vltionis propter eam, quæ apparet deſpicientiam vel in ſe, vel in ſuorũ quẽpiam non conuenienter. [2] Et quoniam talis eſt ira, neceſſe eſt, vt is, qui iraſcitur, iraſcatur ſemper ſingularium alicui, vt Cleoni, ſed non homini. [3] Et quia ſibi, aut ſuorum alicui fecit, aut facturus fuit. [4] Præterea vero, vt omnem iram conſequatur aliqua voluptas ex ſpe vlciſcendi. Iucundum enim eſt exiſtimare ſe conſecuturum eſſe, quæ appetit. Nemo autem quæ videntur fieri non poſſe, appetit. At qui iraſcitur, appetit quæ à ſe fieri poſſunt. Quamobrem recte dictum eſt

de ira; Dulcior effuſo quæ melle in pectore creſcit. Conſequitur enim voluptas quædam & ex hoc, & ex eo, quia verſantur in vlciſcendo cogitatione. Quæ igitur tunc fit phantaſia, voluptatem parit, vt quæ in ſomnijs. [5] Et quoniam deſpicientia eſt actus opinionis in eo, quod nihil æſtimandum videtur (etenim mala, & bona digna arbitramur ſtudio eſſe, & quæ referuntur ad hæc, quæ vero ſunt nihil, aut admodum parua, nulla re digna exiſtimamus) tres ſunt ſpecies deſpicientiæ, contemptioque, & incommodatio, & contumelia. [1] Qui enim contemnit, deſpicit: quæ enim arbitrantur nulla re digna eſſe, ea contemnunt. Quæ vero nulla re digna ſunt, deſpiciunt. [2] Et qui incommodat, videtur contemnere. Eſt enim incommodatio impedimentum, quod fit voluntatibus, non vt aliquid ſibi eueniat, ſed vt ne illi. Quoniam igitur non ſpectat, vt ſibi aliquid eueniat, deſpicit. Id enim manifeſtum eſt, quia nec obfuturum exiſtimat. nam timeret, & non deſpiceret: nec profuturum vlla in re, quæ vllum habeat momentum.

μοῦ. ὥστε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο, ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται. ἀκολουθεῖ γὰρ καὶ ἡδονή τις διά τε τοῦτο, καὶ διότι διατρίβουσιν ἐν τῷ τιμωρεῖσθαι τῇ διανοίᾳ. ἡ οὖν τότε ἐγγινομένη φαντασία, ἡδονὴν ποιεῖ, ὥσπερ ἡ τῶν ἐνυπνίων. ἐπεὶ δ' ἡ ὀλιγωρία ἐστὶν ἐνέργεια δόξης περὶ τὸ μηδενὸς ἄξιον φαινόμενον. καὶ γὰρ τὰ κακὰ καὶ τἀγαθὰ ἄξια οἰόμεθα σπουδῆς εἶναι, καὶ τὰ συντείνοντα πρὸς ταῦτα· ὅσα δὲ μηδὲν ἢ πάνυ μικρά, οὐδενὸς ἄξια ὑπολαμβάνομεν. τρία δ' ἐστὶν εἴδη ὀλιγωρίας, καταφρόνησίς τε, καὶ ἐπηρεασμός, καὶ ὕβρις. ὅ, τε γὰρ καταφρονῶν ὀλιγωρεῖ. ἃ γὰρ οἴονται μηδενὸς ἄξια εἶναι, τούτων καταφρονοῦσι. τῶν δὲ μηδενὸς ἀξίων, ὀλιγωροῦσι. καὶ ὁ ἐπηρεάζων, φαίνεται καταφρονεῖν. ἔστι γὰρ ὁ ἐπηρεασμός, ἐμποδισμὸς ταῖς βουλήσεσιν, οὐχ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλ' ἵνα μὴ ἐκείνῳ. ἐπεὶ οὖν οὐχ ἵνα αὐτῷ τι ὀλιγωρεῖ. δῆλον γάρ, ὅτι οὔτε βλάψειν ὑπολαμβάνει· ἐφοβεῖτο γὰρ καὶ οὐκ ὠλιγώρει· οὔτ' ὠφελῆσαι ἂν οὐδὲν ἄξιον

ἀξίου λόγου. ἐφρόντισε γὰρ ἂν ὥστε φίλον εἶ). καὶ ὁ ὑβρίζων δὲ ὀλιγωρεῖ. ἔστι γὰρ ὕβρις, τὸ βλάπτειν καὶ λυπεῖν, ἐφ' οἷς αἰσχύνη ἐστὶ τῷ πάσχοντι, μὴ ἵνα τι γένηται αὐτῷ ἄλλο, ἢ ὅτι ἐγένετο, ἀλλ' ὅπως ἡσθῇ. οἱ γὰρ ἀντιποιοῦντες οὐχ ὑβρίζουσιν, ἀλλὰ τιμωροῦνται. αἴτιον δὲ τῆς ἡδονῆς τοῖς ὑβρίζουσιν, ὅτι οἴονται κακῶς δρῶντες αὐτοὺς ὑπερέχειν μᾶλλον. διὸ οἱ νέοι καὶ οἱ πλούσιοι, ὑβρισταί. ὑπερέχειν γὰρ οἴονται ὑβρίζοντες. ὕβρεως δὲ ἀτιμία. ὁ δὲ ἀτιμάζων, ὀλιγωρεῖ. τὸ γὰρ μηδενὸς ἄξιον, οὐδεμίαν ἔχει τιμὴν, οὔτε κακοῦ οὔτε ἀγαθοῦ. διὸ λέγει ὀργιζόμενος ὁ ἀχιλλεὺς, ἠτίμησεν. ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας αὐτὸς ἀπούρας, καὶ ὡς εἴ τιν' ἀτίμητον μετανάστην, ὡς διὰ ταῦτα ὀργιζόμενος. προσήκειν δ' οἴονται πολυωρεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἡττόνων κατὰ γένος, κατὰ δύναμιν, κατ' ἀρετὴν, καὶ ὅλως ἐν ᾧ ἂν ταὐτῷ ὑπερέχῃ πολύ· οἷον ἐν χρήμασιν ὁ πλούσιος, πένητος· καὶ ἐν τῷ λέγειν ῥητορικὸς, ἀδυνάτου εἰπεῖν. καὶ ἄρχων, ἀρχομένου·

nam curaret, vt amicus eſſet. [3] Et qui contumeliam infert, deſpicit. Eſt enim contumelia nocere, & moleſtum eſſe in ijs, in quibus dedecus eſt patienti, non vt aliquid fiat ſibi aliud, niſi quod fit, ſed vt voluptatem percipiat. Etenim referentes non faciunt contumeliam, ſed vlciſcuntur. Cauſſa vero voluptatis eſt contumeliam facientibus, quòd arbitrantur malefaciendo ſe excellere magis. Quamobrem iuuenes, & diuites contumelioſi ſunt. excellere enim ſe arbitrantur, contumeliam inferendo. Contumeliæ vero eſt non æſtimare. Et qui non æſtimat, deſpicit. Quod enim nulla re dignum eſt, nullam habet æſtimationem nec mali, nec boni. Quamobrem ait iraſcens Achilles, Non æſtimauit, Quoniam ereptum donum ipſe retinet, &, Tanquam non æſtimandum profugum. Vt qui propterea iraſcatur. [6] Conuenire autem arbitrãtur, ſe magnifieri ab inferiorib. genere, facultate, virtute, & omnino eo, in quo aliquis lõge excellit, vt in pecunijs diues pauperi, & in dicendo eloquens ei, qui dicendo non valet, & imperãs ei, cui imperatur,

& qui exiſtimatur eſſe dignus qui imperet, ei qui dignus, cui imperetur. Quamobrem dictum eſt, Ira eſt magna ab Ioue natorum regum. Et alibi, Conceptam tamen iram ſeruat. Moleſtiam enim habent propter excellentiam, præterea à quibus aliquis putat benigne fieri oportere. Iſti autem ſunt, quos beneficio afficit, vel facit, aut ipſe, aut ſuorum aliquis, aut propter ipſum vel vult, vel voluit. Apparet igitur iam ex his quomodo ſe habentes iraſcantur ipſi, & quibus & propter quæ. [1] Ipſi enim, cum dolent. Nam appetit aliquid dolens. [2] Siue igitur directo obſtiterit aliquis, vt ſitienti ad bibendum, ſiue non directo, ſimiliter idem videatur efficere, &, ſi refragetur aliquis, &, ſi non ſuffragetur, & ſi qua alia in re turbarit ſic ſe habentem: omnibus iraſcitur. [3] Quamobrem ægrotantes, paupertate laborantes, amantes, ſitientes, omnino cupientes, & non recte agentes, iracundi ſunt, & qui concitentur, idonei. [4] Maxime quidem aduerſus eos, qui præſentem ſtatum deſpiciunt, vt ægrotans quidem in ijs, quæ pertinent ad morbum; paupertate autem laborans in ijs, quæ ad paupertatem;

καὶ ἄρχειν ἄξιος οἰόμενος, τοῦ ἄρχεσθαι ἀξίου. διὸ εἴρηται, θυμὸς δὲ μέγας ἐστὶ διοτρεφέων βασιλήων, καὶ ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον. ἀγανακτοῦσι γὰρ διὰ τὴν ὑπεροχήν. ἔτι ἀφ' ὧν τις οἴεται εὖ πάσχειν δεῖν. οὗτοι δέ εἰσιν οὓς εὖ πεποίηκεν ἢ ποιεῖ. ἢ αὐτὸς, ἢ τῶν αὐτοῦ τις, ἢ δι' αὐτοῦ, ἢ βούλεται, ἢ ἐβουλήθη. φανερὸν οὖν ἐκ τούτων ἤδη, πῶς τ' ἔχοντες ὀργίζονται αὐτοὶ, καὶ τίσι, καὶ διὰ ποῖα. αὐτοὶ μὲν γὰρ ὅταν λυπῶνται. ἐφίεται γάρ τινος ὁ λυπούμενος. ἐάν τε κατ' εὐθυωρίαν οὖν ἀντικρούῃ τις· οἷον, τῷ διψῶντι πρὸς τὸ πιεῖν, ἐάν τε μὴ, ὁμοίως ταὐτὸ φαίνεται ποιεῖν, καὶ ἄν τε ἀντιπράττῃ τις, ἄν τε μὴ συμπράττῃ ἐάν τε ἄλλο τι ἐνοχλῇ οὕτως ἔχον, τοῖς πᾶσιν ὀργίζεται. διὸ κάμνοντες, πενόμενοι, ἐρῶντες, διψῶντες, ὅλως ἐπιθυμοῦντες καὶ μὴ κατορθοῦντες, ὀργίλοι εἰσὶ καὶ εὐπαρόρμητοι. μάλιστα μὲν πρὸς τοὺς τοῦ παρόντος ὀλιγωροῦντας· οἷον, κάμνων μὲν, τοῖς πρὸς τὴν νόσον· πενόμενος δὲ τοῖς πρὸς

τῇ πενίᾳ· πολεμῶν δὲ τοῖς πρὸς τὸν πόλεμον· ἐρῶν δὲ τοῖς πρὸς τὸν ἔρωτα. ὁμοίως δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις. προοδοποιεῖται γὰρ ἕκαστος πρὸς τὴν ἑκάστου ὀργὴν ὑπὸ τοῦ ὑπάρχοντος πάθους. ἔτι δὲ ἐὰν τἀναντία τύχῃ προσδεχόμενος. λυπεῖ γὰρ μᾶλλον τὸ πολὺ καὶ παρὰ δόξαν, ὥσπερ καὶ τέρπει τὸ πολὺ παρὰ δόξαν, ἐὰν γένηται ὃ βούλεται. διὸ καὶ ὧραι, καὶ χρόνοι, καὶ διαθέσεις, καὶ ἡλικίαι, ἐκ τούτων φανεραὶ, ποῖαι εὐκίνητοι πρὸς ὀργὴν, καὶ πότε, καὶ ποῦ, καὶ ὅτι ὅτε μᾶλλον ἐν τούτοις εἰσὶ, μᾶλλον καὶ εὐκίνητοι. αὐτοὶ μὲν οὖν οὕτως ἔχοντες, εὐκίνητοι πρὸς ὀργήν. ὀργίζονται δὲ, τοῖς τε καταγελῶσι, καὶ χλευάζουσι, καὶ σκώπτουσιν. ὑβρίζουσι γὰρ, καὶ τοῖς τὰ τοιαῦτα βλάπτουσι ὅσα ὕβρεως σημεῖα. ἀνάγκη δὲ τοιαῦτα εἶναι, ἃ μήτε ἀντί τινος, μήτ᾽ ὠφέλιμα τοῖς ποιοῦσιν. ἤδη γὰρ δοκεῖ δι᾽ ὕβριν. καὶ τοῖς κακῶς λέγουσι καὶ καταφρονοῦσι, περὶ ἃ αὐτοὶ μάλιστα σπουδάζουσιν· οἷον, οἱ ἐπὶ φιλοσοφίᾳ φιλοτιμούμενοι, ἐὰν

tatem; bellator in ijs, quæ ad bellum; amator in ijs, quæ ad amorem. Similiter vero etiam in alijs: præparatur enim quiſque ad ſuam cuiuſque iram ab inhærente affectu. [5] Præterea vero ſi contraria acceperit. moleſtiam enim affert maiorem, quod multum etiam præter opinionem eſt, quẽadmodum etiam delectat, quod multum præter opinionem eſt, ſi factum ſit, quod vult. [6] Quamobrem & horæ, & tempora, & affectiones, & ætates ex his apparent, quales aptæ ſint ad commotionem iræ, & quando, & vbi, & vt, quò magis in eis ſunt, aptiores etiam ſunt ad commotionem. Ac ipſi quidem ſic ſe habentes facile ad iram concitantur. [1] Iraſcuntur autem & ijs, qui irrident, & ijs, qui ſubſannant, & ijs qui illudunt. Contumeliam enim faciunt. [2] Et ijs, qui in eis nocent, quæ contumeliæ ſigna ſunt. Neceſſe autem eſt, vt talia ſint, quæ neque pro re aliqua, neque vtilia agentibus ſunt. Iam enim videntur propter contumeliam. [3] Et maledicentib. & contemnentib. in ijs, quibus ipſi maxime ſtudent, vt qui in philoſophia cupiũt alios ſuperare, ſi quis inuehatur in philoſophiam: qui vero in

forma corporis, ſi quis in formam, ſimiliter vero etiam in alijs. Atque hæc multo magis, ſi ſuſpicentur ea non adeſſe ſibi, vel omnino, vel non firme, vel non exiſtimari. Quòd ſi valde exiſtiment ſe hærere in ijs, in quibus illuduntur, non curant. [4] Et amicis magis, quam non amicis: arbitrantur enim conuenire magis, ſe ab ipſis beneficio affici, quam non. [5] Et ijs, qui conſueuerint honorare, aut curare, ſi non amplius ſic conuerſentur. Etenim ab his arbitrantur ſe cōtemni. idem enim facturos. [6] Et ijs, qui non reddunt beneficium, nec par reddunt, & ijs, qui contraria faciunt ac ipſi, ſi inferiores ſint. Contemnere enim omnes eiuſmodi videntur. Atque hi quidem, vt eos qui inferiores ſint: illi vero tanquam ab inferioribus beneficio affecti. [7] Et ijs, qui in nulla ſunt exiſtimatione, ſi deſpiciant, magis. Poſitum enim eſt, iram eſſe deſpicientiæ aduerſus non conuenienter ſe gerentes. Conuenit autem inferioribus non deſpicere.

τις εἰς τὴν φιλοσοφίαν. οἱ δ' ἐπὶ τῇ ἰδέᾳ, ἐάν τις εἰς τὴν ἰδέαν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. ταῦτα δὲ πολλῷ μᾶλλον, ἐὰν ὑποπτεύωσι, μὴ ὑπάρχειν αὐτοῖς, ἢ ὅλως, ἢ μὴ ἰσχυρῶς, ἢ μὴ δοκεῖν. ἐπειδὰν δὲ σφόδρα οἴονται ὑπάρχειν ἐν τούτοις, ἐν οἷς σκόπτονται, οὐ φροντίζουσι. καὶ τοῖς φίλοις μᾶλλον, ἢ τοῖς μὴ φίλοις. οἴονται γὰρ προσήκειν μᾶλλον ὑπ' αὐτῶν εὖ πάσχειν, ἢ μή. καὶ τοῖς εἰθισμένοις τιμᾶν ἢ φροντίζειν, ἐὰν πάλιν μὴ οὕτως ὁμιλῶσι. καὶ γὰρ, ὑπὸ τούτων οἴονται καταφρονεῖσθαι. ταῦτα γὰρ ἂν ποιεῖν. καὶ τοῖς μὴ ἀντιποιοῦσιν εὖ. μηδὲ τὴν ἴσην ἀποδιδοῦσι. καὶ τοῖς τἀναντία ποιοῦσιν αὐτοῖς, ἐὰν ἥττους ὦσι. καταφρονεῖν γὰρ πάντες οἱ τοιοῦτοι φαίνονται. καὶ οἱ μὲν, ὡς ἡττόνων· οἱ δ' ὡς παρὰ ἡττόνων. καὶ τοῖς ἐν μηδενὶ λόγῳ οὖσιν, ἄν τι ὀλιγωροῦσι μᾶλλον. ὑπόκειται γὰρ ἡ ὀργὴ τῆς ὀλιγωρείας πρὸς τοὺς μὴ προσήκοντας· προσήκει δὲ τοῖς ἥττοσι μὴ ὀλιγωρεῖν. τοῖς δὲ φίλοις, ἐάν τε μὴ εὖ λέγωσιν ἢ ποιῶσι, καὶ ἔτι μᾶλλον, ἐὰν τἀναντία, καὶ ἐὰν μὴ αἰσθάνονται δεομένων. ὥσπερ

[8] Et amicis, ſi non benedicant, aut faciant, & præterea magis, ſi contraria faciant, &, ſi non ſentiant ipſos indigere, vt Antiphontis

ὁ Ἀντιφῶντος Πλήξιππος τῷ Μελεάγρῳ. ὀλιγωρίας γὰρ τὸ μὴ αἰσθάνεσθαι σημεῖον. ὧν γὰρ φροντίζομεν, οὐ λανθάνει. καὶ τοῖς ἐπιχαίρουσι ταῖς ἀτυχίαις. καὶ ὅλως ἐνθυμουμένοις ἐν ταῖς ἑαυτῶν ἀτυχίαις. ἢ γὰρ ἐχθροῦ, ἢ ὀλιγωροῦντος σημεῖον. καὶ τοῖς μὴ φροντίζουσιν, ἐὰν λυπήσωσι. διὸ καὶ τοῖς κακὰ ἀγγέλλουσιν ὀργίζονται. καὶ τοῖς ἢ ἀκούουσι περὶ αὐτῶν, ἢ θεωμένοις τὰ αὐτῶν φαῦλα. ὅμοιοι γάρ εἰσιν ἢ ὀλιγωροῦσιν, ἢ ἐχθροῖς. οἱ γὰρ φίλοι, συναλγοῦσι. θεώμενοι δὲ τὰ οἰκεῖα φαῦλα πάντες, ἀλγοῦσιν. ἔτι τοῖς ὀλιγωροῦσι, πρὸς πέντε, πρὸς οὓς φιλοτιμοῦνται, πρὸς οὓς θαυμάζουσιν, ὑφ' ὧν βούλονται θαυμάζεσθαι, πρὸς οὓς αἰσχύνονται, ἢ ἐν τοῖς αἰσχυνομένοις αὐτούς. ἐν τούτοις ἐάν τις ὀλιγωρῇ, ὀργίζονται μᾶλλον. καὶ τοῖς εἰς τὰ τοιαῦτα ὀλιγωροῦσιν, ὑπὲρ ὧν αὐτοῖς αἰσχρὸν μὴ βοηθοῦσιν· οἷον γονεῖς, τέκνα, γυναῖκας, ἀρχομένους. καὶ τοῖς χάριν μὴ ἀποδιδοῦσι. παρὰ τὸ προσῆκον γὰρ ἡ ὀλιγωρία. καὶ τοῖς εἰρωνευομένοις,

tiphontis Plexippus Meleagro. deſpicientiæ enim non ſentire ſignum eſt. quæ enim curamus, non latent. 9 Et ijs, qui gaudent rebus aduerſis, & omnino ijs, qui bono animo ſunt in ipſorum rebus aduerſis. aut enim inimici, aut deſpicientis ſignum eſt. 10 Et ijs, qui non curant, ſi moleſti ſint. Quamobrem & mala nunciantibus iraſcuntur. 11 Et ijs, qui aut auſcultant de ipſis, aut ſpectant ipſorum mala. ſimiles enim ſunt, aut ijs, qui deſpiciunt, aut inimicis. Amici enim condolent. Spectantes vero propria mala omnes dolent. 12 Præterea deſpicientibus apud quinque hominum genera; apud eos, quibuscum de honore concertant, apud eos, quos admirātur, apud eos, quib. volūt ſe admirationi eſſe, apud eos, quos reuerētur, & inter eos qui reuerentur ipſos. Inter hos ſi quis deſpiciat, iraſcuntur magis. 13 Et ijs, qui in eiuſmodi rebus deſpiciunt, quas ipſis turpe eſt non adiuuare, vt parentes, filios, vxores, ſubditos. 14 Et gratiam non agentibus. præter conueniens enim eſt deſpicientia. 15 Et diſſimulatione vtentibus

apud eos, qui ſerio agunt: quia pertinet ad contemptionem diſſimulatio. [16] Et ijs, qui de alijs benemeriti ſunt, ſi non etiam de ipſis. etenim id pertinet ad contemptionem, non æſtimare dignum ijs, quibus omnes dignos æſtimet, etiam ipſum. [17] Conficiens vero iræ, etiam obliuio eſt, vt quæ etiam nominum fere eſt. deſpicientiæ enim videtur etiam obliuio ſignum eſſe. Nam propter non curantiam, obliuio fit. at non curantia deſpicientia eſt. Ac quibus quidem iraſcuntur, & quomodo ſe habentes, & propter quæ, dictum eſt. Manifeſtum autem eſt, oporrere ipſos parare oratione tales, quales cum ſunt, iracunde ſe habent, & aduerſarios iis rebus affines, in quibus iraſcuntur, & tales, qualibus iraſcuntur.

πρὸς τοὺς σπουδάζοντας. καταφρονητικὸν γὰρ ἡ εἰρωνεία. καὶ τοῖς τῶν ἄλλων εὖ ποιητικοῖς, ἂν μὴ καὶ αὐτῶν. καὶ γὰρ τοῦτο καταφρονητικόν, τὸ μὴ ἀξιοῦν ὧν πάντας καὶ αὐτόν. ποιητικὸν δ' ὀργῆς, καὶ ἡ λήθη, οἷον καὶ τῶν ὀνομάτων οὕτω περὶ μικρόν. ὀλιγωρείας γὰρ δοκεῖ καὶ ἡ λήθη σημεῖον εἶναι. διὰ μὲν γὰρ ἀμέλειαν ἡ λήθη γίνεται. ἡ δ' ἀμέλεια, ὀλιγωρεία ἐστίν. οἷς μὲν οὖν ὀργίζονται, καὶ ὡς ἔχοντες, καὶ διὰ ποῖα, εἴρηται. δῆλον δ' ὡς δέοι ἂν, αὐτὸν κατασκευάζειν τῷ λόγῳ τοιούτους, οἷοι ὄντες ὀργίλως ἔχουσι, καὶ τοὺς ἐναντίους τούτοις ἐνόχους ὄντας, ἐφ' οἷς ὀργίζονται, καὶ τοιούτους, οἵοις ὀργίζονται.

CAPVT III.

QVoniam vero iraſci, & deliniri contraria ſunt, & ira, & delinitio, ſumendum eſt, & quomodo ſe habentes lenes ſint, & erga quos leniter ſe habeant, & per quæ leniantur. Sit igitur delinitio, ſedatio, & remiſſio iræ. [1] Si ergo iraſcuntur deſpicientibus, Deſpicientia vero eſt ſponte, manifeſtum eſt, &

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ γ.

Ἐπεὶ δὲ τὸ ὀργίζεσθαι ἐναντίον τοῦ πραΰνεσθαι, καὶ ὀργὴ πραότητος, ληπτέον πῶς τε ἔχοντες πρᾶοί εἰσι, καὶ πρὸς τίνας πράως ἔχουσι, καὶ διὰ τίνων πραΰνονται. ἔστω δὴ πράϋνσις, κατάστασις καὶ ἠρέμησις ὀργῆς. εἰ οὖν ὀργίζονται τοῖς ὀλιγωροῦσιν, ὀλιγω-

ρία δὲ ἐστὶν ἑκούσιον, φανερὸν, ὅτι καὶ τοῖς μηδὲν τούτων ποιοῦσιν, ἢ ἀκουσίως ποιοῦσιν, ἢ φαινομένοις τοιούτοις πρᾶοί εἰσι, καὶ τοῖς τἀναντία ὧν ἐποίησαν βουλομένοις. καὶ ὅσοι καὶ εἰς αὐτοὺς τοιοῦτοι. οὐδεὶς γὰρ αὐτὸς αὑτοῦ δοκεῖ ὀλιγωρεῖν, καὶ τοῖς ὁμολογοῦσι, καὶ μεταμελομένοις. ὡς γὰρ ἔχοντες δίκην τὸ λυπεῖσθαι ἐπὶ τοῖς πεποιημένοις, παύονται τῆς ὀργῆς. σημεῖον δὲ ἐπὶ τῆς τῶν οἰκετῶν κολάσεως. τοὺς μὲν γὰρ ἀρνουμένους καὶ ἀντιλέγοντας, μᾶλλον κολάζομεν. πρὸς τοὺς δὲ ὁμολογοῦντας δικαίως κολάζεσθαι, παυόμεθα θυμούμενοι. αἴτιον δ' ὅτι, ἀναισχυντία τὸ τὰ φανερὰ ἀρνεῖσθαι. ἡ δ' ἀναισχυντία, ὀλιγωρία καὶ καταφρόνησις. ὧν γοῦν πολὺ καταφρονοῦμεν, οὐκ αἰσχυνόμεθα. καὶ τοῖς ταπεινουμένοις πρὸς αὐτοὺς, καὶ μὴ ἀντιλέγουσι. φαίνονται γὰρ ὁμολογεῖν ἥττους εἶναι. οἱ δ' ἥττους, φοβοῦνται. φοβούμενος δὲ οὐδεὶς ὀλιγωρεῖ. ὅτι δὲ πρὸς τοὺς ταπεινουμένους παύεται ἡ ὀργὴ, καὶ οἱ κύνες δηλοῦσιν, οὐ δάκνοντες τοὺς καθίζοντας. καὶ τοῖς σπουδάζουσι πρὸς τοὺς σπουδάζοντας. δοκεῖ

& ijs, qui nihil horum faciunt, vel non ſponte faciunt, vel apparent tales, lenes eſſe. [2] Et contraria ijs, quæ fecerunt, volentibus. [3] Et quicunq; etiam in ſe tales ſunt. nemo enim ſe videtur deſpicere. [4] Et confitentibus & quos pœnitet. Quaſi enim loco pœnæ moleſtia afficiantur in ijs quæ facta ſunt, requieſcunt ab ira. Signum vero eſt in famulorum caſtigatione. Inficiantes enim, & contradicentes magis caſtigamus. Verum aduerſus confitentes iuſte ſe caſtigari, conquieſcimus excandeſcentes. Cauſſa vero eſt, quòd impudentia eſt manifeſta negare: at impudentia eſt deſpicientia, & contemptio. Quos igitur valde contemnimus, apud eos pudore non afficimur. [5] Et ſe ſubmittentibus & non contradicentibus. Videntur enim confiteri ſe inferiores eſſe. At inferiores timent. qui vero timet, nemo deſpicit. Aduerſus autem ſe ſubmittentes, requieſcere iram, etiam canes manifeſtum faciunt, non mordentes eos, qui proſtrati ſunt. [6] Et ſerio agentibus cum ſerio agentibus. Videtur enim curari, ſed non

contemni. 7 Et iis, qui in re maiore gratificati ſunt. 8 Et rogantibus ac deprecantibus. ſubmiſſiores enim ſunt. 9 Et contumelioſis, ac ſubſannantibus atque deſpicientibus aut nullius, aut non bonorum, aut non talium, quales ipſi ſunt. Omnino autem ex contrariis oportet conſiderare ea, quæ pertinent ad leniendum. 10 Et iis, quos timent, & propter quos pudore afficiuntur. quoad n. ita ſe habeant, non iraſcuntur. Fieri enim non poteſt, vt ſimul timeant, & iraſcantur. 11 Et iis, qui per iram fecerunt, aut non iraſcuntur, aut minus iraſcuntur: non enim propter deſpicientiam videntur egiſſe. Nemo enim qui iraſcitur, deſpicit. etenim deſpicientia vacat dolore; ira vero cum dolore eſt. 12 Et iis, qui propter ipſos pudore afficiuntur. 1 Et qui ſe habent contrario modo, ac illi, qui iraſcuntur, profecto lenes ſunt, vt in ludo, in riſu, in feſto, in felici die, in recta actione, in ſaturitate, omnino in indolentia, & voluptate ſine contumelia, & in ſpe æqua. 2 Præterea vero qui commorati ſunt in ira, & non recenter iraſcuntur. Sedat enim iram tempus. 3 Sedat vero etiam alterius

γὰρ σπουδάζεσθαι, ἀλλ' οὐ καταφρονεῖσθαι. καὶ τοῖς μείζω κεχαρισμένοις. καὶ τοῖς δεομένοις, καὶ παραιτουμένοις. ταπεινότεροι γάρ. καὶ τοῖς μὴ ὑβρισταῖς, μηδὲ χλευασταῖς, μηδ' ὀλιγώροις, ἢ εἰς μηδένα, ἢ μὴ εἰς χρηστούς, ἢ μὴ τοιούτους, οἷοί περ αὐτοί. ὅλως δ' ἐκ τῶν ἐναντίων δεῖ σκοπεῖν τὰ πραϋντικά, καὶ οὓς φοβοῦνται, καὶ οὓς αἰσχύνονται. ἕως γὰρ ἂν οὕτως ἔχωσιν, οὐκ ὀργίζονται. ἀδύνατον γὰρ ἅμα φοβεῖσθαι καὶ ὀργίζεσθαι. καὶ τοῖς δι' ὀργὴν ποιήσασιν, ἢ οὐκ ὀργίζονται, ἢ ἧττον ὀργίζονται· οὐ γὰρ δι' ὀλιγωρίαν φαίνονται πρᾶξαι. οὐδεὶς γὰρ ὀργιζόμενος ὀλιγωρεῖ. ἡ μὲν γὰρ ὀλιγωρία, ἄλυπος· ἡ δ' ὀργὴ, μετὰ λύπης. καὶ τοῖς αἰσχυνομένοις αὐτούς, καὶ ἔχοντες δὲ ἐναντίως τῷ ὀργίζεσθαι, δῆλον ὅτι πρᾶοί εἰσιν· οἷον ἐν παιδιᾷ, ἐν γέλωτι, ἐν ἑορτῇ, ἐν εὐημερίᾳ, ἐν κατορθώσει, ἐν πληρώσει. ὅλως ἐν ἀλυπίᾳ καὶ ἡδονῇ μὴ ὑβριστικῇ, καὶ ἐν ἐλπίδι ἐπιεικεῖ. ἔτι δὲ κεχρονικότες, καὶ μὴ ὑπόγυιοι τῇ ὀργῇ ὄντες. παύει γὰρ ὀργὴν ὁ χρόνος. παύει δὲ καὶ

ἑτέρου ὀργὴν μείζω, ἢ παρ' ἄλλου ληφθεῖσα τιμωρία πρότερον. διὸ εὖ Φιλοκράτης, εἰπόντος τινὸς ὀργιζομένου τοῦ δήμου τί οὐκ ἀπολογῇ; οὔπω γε ἔφη. ἀλλὰ πότε; ὅταν ἄλλον ἴδω διαβεβλημένον. πρᾶοι γὰρ γίγνονται, ὅταν εἰς ἄλλον τὴν ὀργὴν ἀναλώσωσιν· οἷον συνέβη ἐπὶ Ἐργοφίλου. μᾶλλον γὰρ χαλεπαίνοντες, ἢ Καλλισθένης ἀφεῖσαν, διὰ τὸ Καλλισθένους τῇ προτεραίᾳ καταγνῶναι θάνατον. καὶ ἐὰν ἕλωσι, καὶ ἐὰν μεῖζον κακὸν πεποιθότες ὦσιν, ἢ ὀργιζόμενοι ἔδρασαν ἄν. ὥσπερ γὰρ εἰληφέναι τιμωρίαν οἴονται, καὶ ἐὰν ἀδικεῖν οἴονται αὐτοὶ καὶ δικαίως πάσχειν. οὐ γίγνεται γὰρ ἡ ὀργὴ πρὸς τὸ δίκαιον. οὐ γὰρ ἔτι παρὰ τὸ προσῆκον οἴονται πάσχειν. ἡ δ' ὀργὴ τοῦτο ἦν. διὸ τῷ λόγῳ δεῖ προκολάζειν. ἀγανακτοῦσι γὰρ ἧττον κολαζόμενοι καὶ οἱ δοῦλοι. καὶ ἐὰν μὴ αἰσθήσεσθαι οἴονται, ὅτι δι' αὐτοὺς, καὶ ἀνθ' ὧν ἔπαθον. ἡ γὰρ ὀργὴ, τῶν καθ' ἕκαστόν ἐστι. δῆλον δ' ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ. διὸ ὀρθῶς πεποίηται φάσθαι Ὀδυσσῆα πτολίπορθον. ὡς οὔτε τιμωρημένος,

alterius iram maiorem de alio ſumpta pœna prius. Quamobrem recte Philocrates, dicente quodam, dum iraſceretur populus, quid te non defendis? Nondum, inquit. Verum quando? cum alium videro in crimen vocatum. Lenes enim fiunt, cum in alium iram conſumpſerunt, quemadmodum contigit in Ergophili caſu. Magis enim ei ſuccenſentes, quam Calliſtheni, eum dimiſerunt, propterea quòd Calliſthenem pridie morte mulctauerant. [4] Et, ſi conuicerint. [5] Et, ſi maius malum paſſi ſint, quam ij, qui iraſcuntur, attuliſſent. quaſi enim ſe ſumpſiſſe pœnam putant. [6] Et, ſi ſe iniuſte agere arbitrantur, & iuſte pati. non oritur enim ira aduerſus iuſtum: quia non amplius præter id, quod conuenit, putant ſe pati. ira autem id ipſum erat. Quamobrem oratione oportet prius caſtigare. moleſte enim ferunt minus, dum caſtigātur etiam ſerui. [7] Et ſi eos non ſenſuros eſſe putant ſe ab ipſis offendi, & pro quibus paſſi ſint. Nam ira ſingularium eſt. idque patet ex definitione. Quamobrem recte ſcriptum eſt, Dicito Vlyſſem euerſorē. quaſi nō vltus eſſet,

ſi non ſenſiſſet, & à quo, & pro quo. Quare neque alijs, quicunque non ſentiunt, iraſcuntur, neq; mortuis amplius, quippe qui paſſi ſint extremum, & non ſint dolituri, neque ſenſuri, quod illi, qui iraſcuntur, appetunt. Itaque bene de Hectore Poeta, dum mitigare vellet Achillem ab ira aduerſus mortuum, Mutam equidem terram verberat. Manifeſtum igitur eſt, ijs, qui lenire volunt, ex his locis dicendum eſſe, ipſos quidem parantibus eiuſmodi: illos vero, quibus iraſcuntur, aut metuendos, aut reuerentia dignos, aut benemeritos, aut inuitos, aut valde dolentes ijs, quæ facta ſunt.

CAPVT IIII.

IAm quos ament, & odio habeant, & quamobrem, Amicitiam, & ipſum Amare cum definiuerimus, dicamus. Sit igitur amare, velle alicui quæ putat bona illius cauſſa, ſed non ipſius, & pro viribus effectorem eſſe eorum. Amicus vero eſt qui amat, & redamatur. Et putãtur amici eſſe, qui ſic ſe habere exiſtimantur inuicẽ.

εἰ μὴ ᾔσθετο καὶ ὑφ' οὗ, καὶ ἀνθ' ὅτου. ὥστ' οὔτε τοῖς ἄλλοις ὅσοι μὴ αἰσθάνονται, ὀργίζονται, οὔτε τοῖς τεθνεῶσιν ἔτι, ὡς πεπονθόσι τε τὸ ἔσχατον, καὶ οὐκ ἀλγήσουσιν, οὐδ' αἰσθησομένοις, οὗ οἱ ὀργιζόμενοι ἐφίενται. διὸ εὖ περὶ τοῦ ἕκτορος ὁ ποιητὴς παῦσαι βουλόμενος τὸν ἀχιλλέα τῆς ὀργῆς τεθνεῶτος, κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων. δῆλον οὖν ὅτι τοῖς πραΰνειν βουλομένοις, ἐκ τούτων τῶν τόπων λεκτέον, αὐτοὺς μὲν παρασκευάζουσι τοιούτους, οἷς δ' ὀργίζονται. ἢ φοβερούς, ἢ αἰσχύνης ἀξίους, ἢ κεχαρισμένους, ἢ ἄκοντας, ἢ ὑπεραλγοῦντας τοῖς πεποιημένοις.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ δ.

ΤΙ'νας δὲ φιλοῦσι καὶ μισοῦσι, καὶ διὰ τί, τὴν φιλίαν καὶ τὸ φιλεῖν ὁρισάμενοι, λέγωμεν. ἔστω δὴ τὸ φιλεῖν, τὸ βούλεσθαί τινι ἃ οἴεται ἀγαθὰ ἐκείνου ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ αὑτοῦ, καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων. φίλος δ' ἐστὶν, ὁ φιλῶν καὶ ἀντιφιλούμενος. οἴονται δὲ φίλοι εἶναι, οἱ οὕτως ἔχειν οἰόμενοι πρὸς ἀλλήλους. τούτων δὲ ὑποκει-

ὑποκειμένων, ἀνάγκη φίλον εἶναι, τὸν συνηδόμενον τοῖς ἀγαθοῖς, καὶ συναλγοῦντα τοῖς λυπηροῖς, μὴ διά τι ἕτερον, ἀλλὰ δι' ἐκεῖνον. γινομένων γὰρ ὧν βούλονται, χαίρουσι πάντες. τῶν ἐναντίων δὲ, λυποῦνται. ὥστε τῆς βουλήσεως σημεῖον αἱ λῦπαι καὶ αἱ ἡδοναί. καὶ οἷς ἤδη τὰ αὐτὰ ἀγαθὰ καὶ κακά. καὶ οἱ τοῖς αὐτοῖς φίλοι, καὶ οἱ τοῖς αὐτοῖς ἐχθροί. ταῦτα γὰρ τούτοις βούλεσθαι ἀνάγκη. ὥστε ἅπερ αὑτῷ καὶ ἄλλῳ βουλόμενος, τούτῳ φαίνεται φίλος εἶναι. καὶ τοὺς πεποιηκότας εὖ φιλοῦσιν, ἢ αὐτοὺς, ἢ ὧν κήδονται, ἢ εἰ μεγάλα, ἢ εἰ προθύμως, ἢ εἰ ἐν τοιούτοις καιροῖς, καὶ αὐτῶν ἕνεκα, ἢ οὓς ἂν οἴονται βούλεσθαι ποιεῖν εὖ, καὶ τοὺς τῶν φίλων φίλους, καὶ τοὺς φιλοῦντας οὓς αὐτοὶ φιλοῦσι, καὶ τοὺς φιλουμένους ὑπὸ τῶν φιλουμένων ἑαυτοῖς, καὶ τοὺς τοῖς αὐτοῖς ἐχθροὺς, καὶ μισοῦντας οὓς αὐτοὶ μισοῦσι, καὶ τοὺς μισουμένους, ὑπὸ τῶν ἑαυτοῖς μισουμένων. πᾶσι γὰρ τούτοις, ταῦτα ἀγαθὰ φαίνεται εἶναι καὶ ἑαυτοῖς, ὥστε βούλεσθαι τὰ αὐτοῖς ἀ-

[1] His poſitis, neceſſe eſt, amicum eſſe, ſimul lætantem bonis, & ſimul dolentem moleſtis non propter aliquid aliud, ſed propter illum. Secutis enim ijs, quæ volunt, gaudent omnes: contrarijs vero dolent. Quare & voluntatis ſignum ſunt dolores, & voluptates. [2] Et quibus iam ſunt eadem bona, & mala. [3] Et qui ſunt ijſdē amici, & qui ijſdem inimici: neceſſe enim eſt, vt hi eadem velint. Quare qui ea, quæ ſibi, etiam alij vult, ei videtur amicus eſſe. [1] Et eos, qui benefecerunt, amant, aut ipſis, aut ijs, quos charos habent, aut ſi valde, aut ſi prompte, aut ſi in talibus occaſionibus, & ipſorum cauſſa, aut eos, quos putant velle benefacere. [2] Et amicorum amicos. [3] Et amantes eos, quos ipſi amant. [4] Et qui amantur ab ijs, qui amantur à ſeipſis. [5] Et eiſdem inimicos. [6] Et odio habentes eos, quos ipſi odio habent. [7] Et qui odio habentur ab eis, qui à ſe ipſis odio habentur. Omnibus enim his eadē bona vidētur eſſe, ac ſibi ipſis, vt velint, quæ ipſis bona ſunt, id quod erat amici. [8] Præterea

beneficos in pecunias, & ſalutem. Quamobrem liberales, & fortes honorant, & iuſtos. Tales autem exiſtimant non aliunde viuentes. Et tales ſunt, qui viuunt ex labore, & inter hos qui ex agricultura, & inter alios opifices maxime. [9] Et temperantes, quia non iniuſti. [10] Et ab agendo remotos propter idem. [11] Et quibus volumus amici eſſe, ſi videantur velle. Sunt autem eiuſmodi, tùm boni ex virtute, tùm qui bona exiſtimatione ſunt, aut apud omnes, aut apud optimos, aut apud eos, qui ſuſpiciuntur ab ipſis, aut apud eos, qui ſuſpiciunt ipſos. [12] Præterea iucundos in communi vita, & communi conſuetudine. Tales vero ſunt & faciles, & non repræhenſores peccatorum, & non ſtudioſi victoriæ, neque litigioſi. Omnes enim tales pugnaces ſunt; & pugnaces velle contraria videntur, & dextri tùm in eludendo, tùm in ſuſtinendo. Eiſdem enim rebus ambo ſtudent, ac is, qui proximus eſt, tùm qui poſſunt laceſſi, tùm qui

γαθὰ, ὅσπερ ἦν τοῦ φίλου. ἔτι τοὺς εὖ ποιητικοὺς εἰς χρήματα καὶ σωτηρίαν. διὸ τοὺς ἐλευθερίους καὶ τοὺς ἀνδρείους τιμῶσι. καὶ τοὺς δικαίους. τοιούτους δ' ὑπολαμβάνουσι, τοὺς μὴ ἀφ' ἑτέρου ζῶντας. τοιοῦτοι δ' οἱ ἀπὸ τοῦ ἐργάζεσθαι. καὶ τούτων, οἱ ἀπὸ γεωργίας καὶ τῶν ἄλλων οἱ αὐτουργοὶ μάλιστα. καὶ τοὺς σώφρονας, ὅτι οὐκ ἄδικοι. καὶ τοὺς ἀπράγμονας διὰ τὸ αὐτὸ, καὶ οἷς βουλόμεθα φίλοι εἶναι, ἐὰν φαίνονται βουλόμενοι. εἰσὶ δὲ τοιοῦτοι, οἵτε ἀγαθοὶ κατ' ἀρετὴν, καὶ οἱ εὐδόκιμοι ἢ ἐν πᾶσιν, ἢ ἐν τοῖς βελτίστοις, ἢ ἐν τοῖς θαυμαζομένοις ὑπ' αὐτῶν, ἐν οἷς θαυμάζουσιν αὐτούς. ἔτι τοὺς ἡδεῖς, συνδιάγειν καὶ συνδιημερεῦσαι. τοιοῦτοι δὲ καὶ οἱ εὔκολοι, καὶ μὴ ἐλεγκτικοὶ τῶν ἁμαρτανομένων, καὶ μὴ φιλόνικοι, μὴ δὲ δυσέριδες. πάντες γὰρ οἱ τοιοῦτοι μαχητικοί. οἱ δὲ μαχόμενοι, τἀναντία φαίνονται βουλεύεσθαι. καὶ οἱ ἐπιδέξιοι, καὶ τῷ τωθάσαι, καὶ τῷ ὑπομεῖναι. περὶ ταῦτα γὰρ ἀμφότεροι σπεύδουσι

σκώπτουσι τὸν πλησίον, δυνάμενοί τε σκώπτεσθαι, καὶ ἐμμελῶς σκώπτοντες. καὶ τοὺς ἐπαινοῦντας τὰ ὑπάρχοντα ἀγαθὰ, καὶ τούτων μάλιστα, ἃ φοβοῦνται μὴ ὑπάρχειν αὐτοῖς. καὶ τοὺς καθαρείους περὶ ὄψιν, περὶ ἀμπεχόνην, περὶ ὅλον τὸν βίον. καὶ τοὺς μὴ ὀνειδιστὰς, μήτε τῶν ἁμαρτημάτων, μήτε τῶν εὐεργετημάτων. ἀμφότεροι γὰρ ἐλεγκτικοί. καὶ τοὺς μὴ μνησικάκους, μηδὲ φυλακτικοὺς τῶν ἐγκλημάτων, ἀλλ' εὐκαταλλάκτους. οἵους γὰρ ἂν ὑπολάβωσιν εἶναι πρὸς ἄλλους, καὶ πρὸς τοὺς αὐτοὺς οἴονται. καὶ τοὺς μὴ κακολόγους μηδὲ εἰδότας, μήτε τὰ τῶν πλησίον κακὰ, μήτε τὰ αὐτῶν, ἀλλὰ τὰ ἀγαθά. ὁ γὰρ ἀγαθὸς, τοῦτο δρᾷ. καὶ τοὺς μὴ ἀντιτείνοντας τοῖς ὀργιζομένοις, ἢ τοῖς σπουδάζουσι· μαχητικοὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι. καὶ τοὺς πρὸς αὐτοὺς ὡσαύτως ἔχοντας, οἷον θαυμάζοντας αὐτοὺς καὶ σπουδαίους ὑπολαμβάνοντας, καὶ χαίροντας αὐτοῖς, καὶ ταῦτα μάλιστα πεπονθότας, περὶ ἃ μάλιστα βούλονται αὐτοὶ ἢ θαυμάζεσθαι, ἢ σπουδαῖοι δοκεῖν εἶναι, ἢ ἡδεῖς. καὶ τοὺς ὁμοίους καὶ ταὐτὰ

eleganter laceſſunt. [13] Et laudantes præſentia bona, & ex his maxime, quæ timent non adeſſe ipſis. [14] Et mundos in viſu, in veſtitu, in tota vita. [15] Et non exprobratores neque peccatorum, neque beneficiorum. ambo enim contentioſi. [16] Et non memores malorum, neque obſeruatores criminum, ſed, qui reconcilientur, idoneos: quales enim exiſtimant eſſe erga alios, etiam erga ipſos putant. [17] Et non maledicos, neque ſcientes propinquorum mala, neque ipſorum, ſed bona. bonus enim hoc facit. [18] Et non aduerſantes iraſcentibus aut ſerio agentibus: pugnaces enim ſunt tales. [19] Et ſe erga ipſos aliquo modo habentes, vt admirantes ipſos, & virtute præditos exiſtimantes, & gaudentes ipſis. [20] Et ita maxime affectos in ijs rebus, in quibus maxime volunt ipſi aut ſuſpici, aut virtute præditi videri eſſe, aut iucundi. [21] Et ſimiles. [22] Et eadem

profitentes, ſi non impediant, neque ex eodem ſit vita. Fit enim ſic illud, Figulus figulo. 23 Et eadem appetentes, quorum contingit ſimul ipſos participes eſſe: ſin minus, id etiam ſic accidit. 24 Et apud quos ſic ſe habent, vt pudore non afficiantur eorum, quæ ſunt ad opinionem, cum minime contemnant. 25 Et apud quos pudore afficiuntur eorum, quæ ſunt ad veritatem. 26 Et quibuſcum de honore concertant, & quorum æmulationem volunt, & non inuidiam, aut eos amant, aut eis volunt amici eſſe. 27 Et quibus bona procurarent, niſi futura ipſis eſſent maiora mala. 28 Et volunt amici eſſe ijs, qui ſimiliter abſentes, & præſentes amant. Quamobrem tales etiam erga mortuos, omnes amant. 29 Et omnino valde ſtudioſos amicorũ, & nõ derelinquentes. maxime.n.amant ex bonis amicos bonos. 30 Et non fingentes apud ſe ipſos. Tales autem ſunt etiam vitia ſua ipſorum dicentes. Nam dictum eſt, apud amicos nos eorum, quæ ſunt ad opinionẽ non affici pudore. Si igitur is, quem pudet, non amat, is quem

ἐπιτηδεύοντας, ἂν μὴ παρενοχλῶσι, μηδ᾽ ἀπὸ ταὐτοῦ ᾖ ὁ βίος. γίνεται γὰρ οὕτω, τὸ κεραμεὺς κεραμεῖ. καὶ τοὺς τῶν αὐτῶν ἐπιθυμοῦντας, ὧν ἐνδέχεται ἅμα μετέχειν αὐτούς. εἰ δὲ μή, ταὐτὸ καὶ οὕτω συμβαίνει. καὶ πρὸς οὓς οὕτως ἔχουσιν, ὥστε μὴ αἰσχύνεσθαι τὰ πρὸς δόξαν, μὴ καταφρονοῦντες, καὶ πρὸς οὓς αἰσχύνονται, τὰ πρὸς ἀλήθειαν, καὶ πρὸς οὓς φιλοτιμοῦνται, καὶ ὑφ᾽ ὧν ζηλοῦσθαι βούλονται, καὶ μὴ φθονεῖσθαι, τούτους ἢ φιλοῦσιν, ἢ βούλονται φίλοι εἶναι. καὶ οἷς ἂν τἀγαθὰ συμπράττωσιν, ἐὰν μὴ μέλλωσιν αὐτοῖς ἔσεσθαι μείζω κακά. καὶ τοῖς ὁμοίως τοὺς ἀπόντας καὶ τοὺς παρόντας φιλοῦσι. διὸ καὶ τοὺς περὶ τοὺς τεθνεῶτας τοιούτους, πάντες φιλοῦσι. καὶ ὅλως τοὺς σφόδρα φιλοφίλους καὶ μὴ ἐγκαταλείποντας. μάλιστα γὰρ φιλοῦσι τῶν ἀγαθῶν τοὺς φίλους ἀγαθούς. καὶ τοὺς μὴ πλαττομένους πρὸς ἑαυτούς. τοιοῦτοι δὲ καὶ οἱ τὰ φαῦλα τὰ ἑαυτῶν λέγοντες. εἴρηται γὰρ ὅτι πρὸς τοὺς φίλους, τὰ πρὸς δόξαν οὐκ αἰσχυνόμεθα. εἰ οὖν

ὁ αἰσχυνόμενος μὴ φιλεῖ, ὁ μὴ αἰσχυνόμενος φιλοῦντι ἔοικε. καὶ τοὺς μὴ φοβερούς, καὶ οἷς θαῤῥοῦμεν. οὐδεὶς γὰρ ὃν φοβεῖται, φιλεῖ. εἴδη δὲ φιλίας, ἑταιρία, καὶ οἰκειότης, καὶ συγγένεια, καὶ ὅσα τοιαῦτα. ποιητικὰ δὲ φιλίας, χάρις, καὶ τὸ μὴ δεηθέντος ποιῆσαι, καὶ τὸ ποιήσαντα μὴ δηλῶσαι. αὐτοῦ γὰρ οὕτως ἕνεκα φαίνεται, καὶ οὐ δι᾽ ἕτερον. περὶ δὲ ἔχθρας καὶ τοῦ μισεῖν, φανερόν, ὡς ἐκ τῶν ἐναντίων δεῖ θεωρεῖν. ποιητικὰ δὲ ἔχθρας, ὀργή, ἐπηρεασμός, διαβολή. ὀργὴ μὲν οὖν ἐστιν, ἐκ τῶν πρὸς ἑαυτόν. ἔχθρα δέ, καὶ ἄνευ τῶν πρὸς ἑαυτόν. ἐὰν γὰρ ὑπολάβωμεν εἶναι τοιόνδε, μισοῦμεν. καὶ ἡ μὲν ὀργή, ἀεὶ περὶ τὰ καθ᾽ ἕκαστα· οἷον καλλίαν, σωκράτην. τὸ δὲ μῖσος καὶ πρὸς τὰ γένη. τὸν γὰρ κλέπτην μισεῖ καὶ τὸν συκοφάντην ἕκαστος. καὶ τὸ μὲν ἰατὸν χρόνῳ, τὸ δ᾽ ἀνίατον. καὶ ἡ μὲν, τοῦ λυπῆσαι ἐφίεται, ἡ δὲ τοῦ κακῶσαι μᾶλλον. αἰσθέσθαι γὰρ βούλεται ὁ ὀργιζόμενος. τῷ δ᾽ οὐδὲν διαφέρει. ἔστι δὲ τὰ μὲν λυπηρά, αἰσθητὰ πάντα. τὰ δὲ μάλιστα κακά, ἥκιστα αἰσθητά,

quem non pudet, amanti ſimilis eſt. [31] Et non metuendos. [32] Et quibus confidimus. Nemo enim eum, quem metuit, amat. Species autem amicitiæ ſunt ſodalitas, & familiaritas, & cognatio, & quæcunque talia. Conficientia vero amicitiæ ſunt gratia, & non rogatum feciſſe, & cum fecerit, non indicaſſe. Ipſius enim cauſſa ſic videtur, & non propter aliud. De inimicitia vero, & odio conſtat ex contrarijs contemplandum eſſe. Et conficientia inimicitiæ ſunt ira, incommodatio, criminatio. [1] Ac ira quidem eſt ex ijs, quæ ſunt ad ſeipſum: inimicitia vero etiam ſine ijs, quæ ad ſeipſum: ſi enim exiſtimemus eſſe talem, odio habemus. [2] Et ira quidē ſemper aduerſus ſingularia, vt Calliā, Socratē: odium vero etiam aduerſus genera. Nam furem odio habet, & ſycophantam quiſque. [3] Et illa quidem ſanabilis tempore: hoc vero inſanabile. [4] Et illa moleſtia afficere appetit: hæc malo potius. Sentiri enim vult, qui iraſcitur. huius vero nihil intereſt. Sunt autem moleſta eiuſmodi vt ſentiantur omnia. Et quæ maxime mala

ſunt, minime ſub ſenſum cadunt, iniuſtitia, & imprudentia: non enim moleſtia afficit præſentia vitij. 5 Et illa quidem cum moleſtia: hæc vero non cum moleſtia. qui enim iraſcitur, moleſtia afficitur: qui odio habet, non afficitur. 6 Et ille quidem, ſi multa fiant, miſereſcit: hic vero nullius. Ille enim talionem pati vult eum, cui iraſcitur; hic non eſſe. Aperte igitur ex his contingit inimicos, & amicos, tùm qui ſunt, demonſtrare, tùm qui non ſunt, efficere, & qui dicunt ſe eſſe, diſſoluere, & qui an ob irã, an ob inimicitiam factum ſit, controuerſantur, in vtram partem quis præeligat, ducere. Qualia vero metuant, & quos, & quomodo ſe habentes, ſic apparet.

ἀδικία καὶ ἀφροσύνη. οὐδὲν γὰρ λυπεῖ ἡ παρουσία τῆς κακίας. καὶ τὸ μὲν, μετὰ λύπης, τὸ δ' οὐ μετὰ λύπης. ὁ μὲν γὰρ ὀργιζόμενος, λυπεῖται· ὁ δὲ μισῶν, οὔ. καὶ ὁ μὲν πολλῶν ἂν γινομένων, ἐλεήσειεν· ὁ δ' οὐδενός. ὁ μὲν γὰρ ἀντιπαθεῖν βούλεται ᾧ ὀργίζεται· ὁ δὲ, μὴ εἶναι. φανερὸν οὖν ἐκ τούτων, ὅτι ἐνδέχεται ἐχθροὺς, καὶ φίλους, καὶ ὄντας ἀποδεικνύναι, καὶ μὴ ὄντας ποιεῖν, καὶ φάσκοντας διαλύειν, καὶ ἢ δι' ὀργὴν, ἢ δι' ἔχθραν ἀμφισβητοῦντας ἐφ' ὁπότερ' ἂν προαιρῆται τις ἄγειν. ποῖα δὲ φοβοῦνται, καὶ τίνα, καὶ πῶς ἔχοντας, ὧδ' ἐστὶ φανερόν.

CAPVT V.

Sit ergo metus, moleſtia quædam, & perturbatio ex phantaſia futuri mali, vel idonei ad interimendum, vel moleſti. Non enim omnia mala metuuntur, vt ne ſit iniuſtus, aut tardus, ſed quæcunque vel moleſtias magnas, vel interitus poſſunt. & hæc, quæ non longe, ſed prope apparent, vt futura ſint Nã quæ longe

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ ε.

Ἔστω δὴ φόβος λύπη τις καὶ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ ἢ φθαρτικοῦ. οὐ γὰρ πάντα τὰ κακὰ φοβεῖται· οἷον εἰ ἔσται ἄδικος ἢ βραδὺς, ἀλλ' ὅσα ἢ λύπας μεγάλας, ἢ φθορὰς δύνανται. καὶ ταῦτα, ἂν μὴ πόῤῥω, ἀλλὰ σύνεγγυς φαίνεται, ὥστε μέλλειν. τὰ γὰρ πόῤῥω σφόδρα, οὐ φοβοῦνται. ἴσασι γὰρ πάντες, ὅτι

ἀποθα

ἀποθανοῦνται. ἀλλ' ὅτι οὐκ ἐγγύς, οὐδὲ φροντίζουσιν. εἰ δὲ ὁ φόβος τοῦτ' ἐστὶν, ἀνάγκη τὰ τοιαῦτα φοβερὰ εἶναι, ὅσα φαίνεται δύναμιν ἔχειν μεγάλην τοῦ φθείρειν ἢ βλάπτειν βλάβας, εἰς λύπην μεγάλην συντεινούσας. διὸ καὶ τὰ σημεῖα τῶν τοιούτων, φοβερά. ἐγγὺς γὰρ φαίνεται τὸ φοβερόν. τοῦτο γάρ ἐστι κίνδυνος, φοβεροῦ πλησιασμός. τοιαῦτα δὲ ἔχθρα. καὶ ὀργὴ δυναμένων ποιεῖν τι. δῆλον γὰρ ὅτι βούλονταί τε καὶ δύνανται. ὥστε ἐγγύς εἰσι τοῦ ποιεῖν. καὶ ἀδικία δύναμιν ἔχουσα. τῷ προαιρεῖσθαι γὰρ ὁ ἄδικος, ἄδικος. καὶ ἀρετὴ ὑβριζομένη δύναμιν ἔχουσα. δῆλον γὰρ ὅτι προαιρεῖται μὲν ὅταν ὑβρίζηται ἀεὶ, δύναται δὲ νῦν. καὶ φόβος, τῶν δυναμένων τι ποιῆσαι. ἐν παρασκευῇ γὰρ ἀνάγκη εἶναι καὶ τὸν τοιοῦτον. ἐπεὶ δ' οἱ πολλοὶ χείρους καὶ ἥττους τοῦ κερδαίνειν, καὶ δειλοὶ ἐν τοῖς κινδύνοις, φοβερὸν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τὸ ἐπ' ἄλλῳ αὐτὸν εἶναι. ὥστε οἱ συνειδότες πεποιηκότι τι δεινὸν, φοβεροὶ, ἢ κατειπεῖν, ἢ ἐγκαταλιπεῖν. καὶ οἱ δυνάμενοι ἀδικεῖν, ἀεὶ

admodum,non metuuntur. Sciunt enim omnes ſe mori turos. ſed quia non prope, non curant. [1] Quod ſi metus huiuſmodi eſt,neceſſe eſt,vt ea metuenda ſint, quæcunque apparent facultatem habere magnam interimendi, vel afferendi detrimenta ad moleſtiam magnam perducentia. [2] Quamobrem& ſigna huiuſmodi rerum metuenda: prope enim apparet quod metuendum eſt,idque periculum eſt , nempe rei metuendæ appropinquatio. [1] Eiuſmodi vero ſunt, inimicitia,& ira eorũ, qui poſſunt efficere aliquid. Manifeſtũ enim eſt,eos,& velle, & poſſe, vt parati ſint ad efficiendum. [2] Et iniuſtitiā facultatē habens.Nam eo quia præligit iniuſtus,eſt iniuſtus. [3] Et virtus contumeliam paſſa, facultatē habens.Manifeſtũ n. eſt eam præeligere ſemper,cum cõtumeliā patitur, poteſt autem nunc. [4] Et metus eorum , qui poſſunt aliquid efficere.in appatu.n.neceſſe eſt, vt ſit etiam ille, qui talis eſt. [1] Quoniā autē multi ſunt peiores, & auidiores lucri,& timidi in periculis,metuendum eſt plerunque ipſum aliunde pendere.Quare conſcij ei, qui fecit aliquid atrox metuendi, ne aut indicent, aut deſerant. [2] Et qui poſſunt iniuriam facere, ſemper ijs,

qui poſſunt iniuriam pati. Nam plerunque iniuriam faciunt homines, quando poſſunt. [3] Et qui iniuriam patiuntur, vel exiſtimant ſe iniuriam pati: ſemper enim obſeruant occaſionem. [4] Et qui iniuriam fecerunt, ſi facultatem habeant, metuendi ſunt, quippe qui reformident talionem. Poſitum enim eſt, eiuſmodi eſſe, quod metuendum eſt. [5] Et earundem rerum competitores quaſcunque non contingit ſimul ineſſe ambob⁹: ſemper enim certant cũ his. [6] Et præſtantioribus metuẽdi etiam ipſis metuendi. magis enim potuerint nocere ipſis, quam præſtantioribus. [7] Et quos metuunt præſtantiores ipſis propter idem. [8] Et qui præſtantiores ipſis ſuſtulerunt. [9] Et qui inferiores ipſis inuaſerũt: aut enim iam metuendi ſunt, aut cum creuerint. [10] Et ex ijs, qui iniuriam paſſi ſunt, & ex inimicis, vel aduerſarijs, non ad excandeſcendum procliues, & libere loquentes, ſed manſueti, & diſſimulatores, & malitioſi: obſcuri enim ſunt, an prope ſint. Quare nunquam manifeſti ſunt, quia longe abſunt. [1] Ex omnibus autem metuendis illa magis metuenda ſunt, quæcunque

τοῖς δυναμένοις ἀδικεῖσθαι. ὡς γὰρ ἐπιτοπολὺ, ἀδικοῦσιν οἱ ἄνθρωποι ὅταν δύνωνται. καὶ οἱ ἠδικούμενοι ἢ νομίζοντες ἀδικεῖσθαι. ἀεὶ γὰρ τηροῦσι καιρόν. καὶ οἱ ἠδικηκότες, ἐὰν δύναμιν ἔχωσι, φοβεροὶ, δεδιότες τὸ ἀντιπαθεῖν. ὑπέκειτο γὰρ τὸ τοιοῦτο φοβερόν. καὶ οἱ τῶν αὐτῶν ἀνταγωνισταὶ, ὅσα μὴ ἐνδέχεται ἅμα ὑπάρχειν ἀμφοῖν. ἀεὶ γὰρ πολεμοῦσι πρὸς τοιούτους. καὶ οἱ τοῖς κρείττοσι φοβεροὶ, καὶ αὐτοῖς φοβεροί. μᾶλλον γὰρ ἂν δύναιντο βλάπτειν αὐτοὺς, ἢ τοὺς κρείττους. καὶ οὓς φοβοῦνται οἱ κρείττους αὐτῶν διὰ ταὐτὸ, καὶ οἱ τοὺς κρείττους αὐτῶν ἀνῃρηκότες καὶ, οἱ τοῖς ἥττοσιν αὐτῶν ἐπιτιθέμενοι. ἢ γὰρ ἤδη φοβεροὶ, ἢ αὐξηθέντες. καὶ τῶν ἠδικημένων καὶ ἐχθρῶν ἢ ἀντιπάλων, οὐχ οἱ ὀξύθυμοι καὶ παῤῥησιαστικοί. ἀλλ᾽ οἱ πρᾶοι καὶ εἴρωνες καὶ πανοῦργοι. ἄδηλοι γὰρ ἢ ἐγγύς. ὥστ᾽ οὐδέποτε φανεροὶ ὅτι πόῤῥω. πάντα δὲ τὰ φοβερὰ, φοβερώτερα ὅσα ἂν ἁμαρτοῦσιν, ἐπανορθώσασθαι μὴ ἐνδέχεται. ἀλλ᾽ ἢ ὅλως ἀδύνατα,

ἢ μὴ ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις. καὶ ὧν βοήθειαι μὴ εἰσὶν, ἢ μὴ ῥᾴδιαι. ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, φοβερά ἐστιν, ὅσα ἐφ' ἑτέρων γιγνόμενα ἢ μέλλοντα ἐλεεινά ἐστιν. τὰ μὲν οὖν φοβερὰ καὶ ἃ φοβοῦνται σχεδὸν ὡς εἰπεῖν τὰ μέγιστα, ταῦτά ἐστιν· ὡς δὲ διακείμενοι αὐτοὶ φοβοῦνται, νῦν λέγομεν. εἰ δή ἐστιν ὁ φόβος μετὰ προσδοκίας τοῦ πείσεσθαί τι φθαρτικὸν πάθος, φανερὸν ὅτι οὐδεὶς φοβεῖται τῶν οἰομένων μηδὲν ἂν παθεῖν, οὐδὲ ταῦτα ἃ μὴ οἴονται παθεῖν, οὐδὲ τούτους ὑφ' ὧν μὴ οἴονται, οὐδὲ τότε ὅτε μὴ οἴονται. ἀνάγκη τοίνυν φοβεῖσθαι τοὺς οἰομένους τι παθεῖν ἂν, καὶ τοὺς ὑπὸ τούτων, καὶ ταῦτα, καὶ τότε. οὐκ οἴονται δὲ παθεῖν ἂν, οὔτε οἱ ἐν εὐτυχίαις μεγάλαις ὄντες. διὸ ὑβρισταὶ καὶ ὀλίγωροι, καὶ θρασεῖς. ποιεῖ δὲ τοὺς τοιούτους, πλοῦτος, ἰσχὺς, πολυφιλία, δύναμις, οὔτε οἱ ἤδη πεπονθέναι πάντα νομίζοντες τὰ δεινὰ, καὶ ἀπεψυγμένοι πρὸς τὸ μέλλον, ὥσπερ οἱ ἀποτυμπανιζόμενοι ἤδη. ἀλλὰ δεῖ

ſi errauerint, corrigi non contingit, ſed aut omnino fieri non poſſunt, aut non in ipſorum, ſed in aduerſariorum ſunt poteſtate. [2] Et quorũ auxilia non ſunt, vel non facilia. [3] Vt autem ſimpliciter dicam, metuenda ſunt, quæ cum alijs eueniunt, vel euentura ſunt, miſerabilia ſunt. Ac quæ quidem metuenda ſint, & quæ metuant, ferme, vt ita dicã, maxima hæc ſunt. Quomodo vero affecti ipſi metuant, nunc dicamus. Si ergo eſt metus cum expectatione habendi aliquam ad interimendum idoneam perpeſſionem, apparet neminem metuere ex ijs, qui arbitrantur nihil ſe paſſuros, neq; ea, quæ non arbitrantur ſe paſſuros, neque eos, à quibus non arbitrantur, neq; tunc, cum minime arbitrantur. Neceſſe igitur eſt metuere eos, qui arbitrantur aliquid ſe paſſuros, & qui ab his, & hæc, & tunc. Non arbitrantur autem ſe paſſuros, neque qui in proſperitatibus magnis ſunt. Itaque contumelioſi ſunt, & paruifactores, & audaces. Atque efficiunt tales diuitiæ, robur, multitudo amicorum, potentia. Neque qui iam ſe paſſos eſſe omnia exiſtimãt atrociã, & qui obriguerũt ad futurũ, vt qui tympano iã

torquentur, ſed oportet aliquam ſubeſſe ſpem ſalutis in ea re, de qua angantur. Signum autem eſt, quia metus paratos ad conſultandū reddit. Atqui nemo conſultat de rebus deſperatis. Quare oportet tales parare, cum fuerit melius, eos metuere, quòd tales poſſunt pati, quia alij maiores paſſi ſint. & oſtendere ſimiles pati, aut paſſos eſſe, & ab ijs, à quibus non arbitrabantur, & hæc, & tunc, cum minime arbitrabantur. Quoniam vero metus apparet, quid ſit, & metuenda, & quo modo ſinguli ſe habentes timeant, apparet ex his etiam, Fidere quid ſit, & in quibus verſentur fidentes, & quomodo affecti fidentes. Fidentia enim contraria eſt metui, & quod fidentiam habet, ei, quod metum. Quare eſt ſpes cum phantaſia rerum ſalutarium, vt quæ prope ſint, metuendarum vero, aut quæ non ſint, aut quæ longe ſint.[1] Sunt autem quę fidentiam afferunt, & atrocia quæ ſunt longe, & fidentiam afferentia quæ prope. [2] Et emendationes ſi adſint. [3] Et auxilia vel multa, vel magna, vel vtraque. [4] Et ſi neque iniuriam acceperint, neque intulerint. [5] Et, ſi competitores aut

τινα ὑπεῖναι ἐλπίδα σωτηρίας περὶ οὗ ἀγωνιῶσι. σημεῖον δέ, ὁ γὰρ φόβος βουλευτικοὺς ποιεῖ. καίτοι οὐδεὶς βουλεύεται περὶ τῶν ἀνελπίστων. ὥστε δεῖ τοιούτους παρασκευάζειν, ὅταν ᾖ βέλτιον τὸ φοβεῖσθαι αὐτούς, ὅτι τοιοῦτοί εἰσιν, οἷοι παθεῖν. καὶ γὰρ ἄλλοι μείζους ἔπαθον. καὶ τοὺς ὁμοίους δεικνύναι πάσχοντας, ἢ πεπονθότας, καὶ ὑπὸ τοιούτων, ὑφ' ὧν οὐκ ᾤοντο, καὶ ταῦτα καὶ τότε, ὅτε οὐκ ᾤοντο. ἐπεὶ δὲ περὶ φόβου φανερὸν, τί ἐστι, καὶ τῶν φοβερῶν, καὶ ὡς ἕκαστοι ἔχοντες δεδίασι. φανερὸν ἐκ τούτων καὶ τὸ θαῤῥεῖν τί ἐστι, καὶ περὶ ποῖα θαῤῥαλέοι, καὶ πῶς διακείμενοι θαῤῥαλέοι εἰσίν. τό τε γὰρ θάρσος ἐναντίον τῷ φόβῳ καὶ τὸ θαῤῥαλέον τῷ φοβερῷ, ὥστε μετὰ φαντασίας ἡ ἐλπὶς τῶν σωτηρίων ἐστὶν, ὡς ἐγγὺς ὄντων. τῶν δὲ φοβερῶν, ἢ μὴ ὄντων, ἢ πόῤῥω ὄντων. ἔστι δὲ θαῤῥαλέα, τά τε ὄντα δεινὰ πόῤῥω, καὶ θαῤῥαλέα ἐγγὺς, καὶ ἐπανορθώσεις ἐὰν ὦσι, καὶ βοήθειαι, ἢ πολλαὶ ἢ μεγάλαι, ἢ ἄμφω. καὶ μήτε ἠδικημένοι μήτε ἠδικηκότες ὦσιν. ἀν-

ἠδικήκασί τι, ἢ μὴ ὦσιν ὅλως, ἢ μὴ ἔχωσι δύναμιν, ἢ δύναμιν ἔχοντες ὦσι φίλοι, ἢ πεποιηκότες ὦσιν εὖ, ἢ πεπονθότες, ἢ ἐὰν πλείους ὦσιν οἷς ταῦτα συμφέρει, ἢ κρείττους, ἢ ἄμφω. αὐτοὶ δ' οὕτως ἔχοντες, θαρραλέοι εἰσίν, ἐὰν πολλὰ κατωρθωκέναι οἴονται καὶ μὴ πεπονθέναι, ἢ ἐὰν πολλάκις ἐληλυθότες ὦσιν εἰς τὰ δεινὰ καὶ διαπεφευγότες. διχῶς γὰρ ἀπαθεῖς γίνονται οἱ ἄνθρωποι, ἢ τῷ μὴ πεπειρᾶσθαι, ἢ τῷ βοηθείας ἔχειν. ὥσπερ ἐν τοῖς κατὰ θάλατταν κινδύνοις, οἵ τε ἄπειροι χειμῶνος θαρροῦσι τὰ μέλλοντα, οἵ τε βοηθείας ἔχοντες διὰ τὴν ἐμπειρίαν. καὶ ὅταν τοῖς ὁμοίοις μὴ ᾖ φοβερὸν, μηδὲ τοῖς ἥττοσι, καὶ ὧν κρείττους οἴονται εἶναι. οἴονται δὲ ὧν κεκρατήκασιν, ἢ αὐτῶν, ἢ τῶν κρειττόνων, ἢ τῶν ὁμοίων. καὶ ἐὰν ὑπάρχειν αὐτοῖς οἴωνται πλείω καὶ μείζω, οἷς ὑπερέχοντες φοβεροί εἰσι. ταῦτα δ' ἐστὶ, πλῆθος χρημάτων, καὶ ἰσχὺς σωμάτων, καὶ χώρας, καὶ φίλων, καὶ τῶν πρὸς πόλεμον

aut non ſint omnino, aut non habeant facultatem; aut facultatem habentes ſint amici, aut beneficium fecerint, aut acceperint. [2] Aut ſi plures ſint, quibus eadem proſint, aut præſtantiores, aut vtrique. Ipſi autem ſic ſe habentes fidentes ſunt, ſi multa ſe recte egiſſe arbitrentur, & non paſſos eſſe. [2] Aut ſi ſæpe inciderint in atrocia, & euaſerint. Bifariam enim homines perturbationis expertes fiunt, vel quòd experti non ſint, vel quòd auxilia habeant, vt in maritimis periculis & imperiti tempeſtatis fidunt futuris, & auxilia habentes propter experientiam. [3] Et cum ſimilibus non ſit res metuenda, neque inferioribus & quibus, præſtantiores ſe arbitrantur eſſe. Arbitrantur autem ijs, quos vicerint, ſiue ipſos, ſiue præſtantiores, ſiue ſimiles. [4] Et, ſi adeſſe ipſis arbitrentur plura, & maiora, quibus excellentes metuendi ſunt. Ea vero ſunt, multitudo pecuniarum, & robur corporum, & regionis, & amicorum, & eorum, quæ ad bellum

parantur, vel omnium, vel maximorum. [5] Et, ſi iniuriam fecerint, aut nemini, aut non multis, aut non ijs, à quib. metuunt. [6] Et omnino ſi ea, quæ ad Deos pertinent, ipſis egregie ſe habeant & alia, & quæ ſunt à ſignis, & oraculis. Fidentiam enim affert ira. At non iniuriam facere, ſed accipere, iræ efficiens eſt. Numen autem exiſtimatur auxiliari ijs, qui iniuriam accipiunt. Et, cum priores impetum facientes, vel nihil ſe pati, & paſſuros eſſe, vel recte acturos arbitrantur. Ac de metuendis quidem, & fidentiam afferentibus dictum eſt.

παρασκευῶν, ἢ πασῶν, ἢ τῶν μεγίστων. καὶ ἐὰν μὴ ἠδικηκότες ὦσιν, ἢ μηδένα, ἢ μὴ πολλοὺς, ἢ μὴ τοιούτους, περὶ ὧν φοβοῦνται. καὶ ὅλως, ἂν τὰ πρὸς Θεοὺς αὐτοῖς καλῶς ἔχῃ, τά τε ἄλλα, καὶ τὰ ἀπὸ σημείων καὶ λογίων· θαῤῥαλέον γὰρ ἡ ὀργή. τὸ δὲ μὴ ἀδικεῖν ἀλλ' ἀδικεῖσθαι, ὀργῆς ποιητικόν. τὸ δὲ θεῖον, ὑπολαμβάνεται βοηθεῖν τοῖς ἀδικουμένοις. καὶ ὅταν προεπιχειροῦντες, ἢ μηδὲν ἂν παθεῖν, μηδὲ πείσεσθαι, ἢ κατορθώσειν οἴονται. καὶ περὶ μὲν τῶν φοβερῶν καὶ θαῤῥαλέων, εἴρηται.

CAPVT VI.

Qvalia vero ſint ea, quorum pudet, & non pudet, & apud quos, & quomodo ſe habentes, ex his erit manifeſtum. Sit autem pudor dolor quidam, & confuſio in ijs, quæ ad offenſionem exiſtimationis videntur pertinere, malis, aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris. Impudentia vero deſpicientia quædam, & vacuitas perturbationis in his ipſis. Quod ſi pudor eſt is, qui definitus eſt, [1] neceſſe eſt pudere

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ ς.

Ποῖα δ' αἰσχύνονται καὶ ἀναισχυντοῦσι, καὶ πρὸς τίνας; καὶ πῶς ἔχοντες, ἐκ τῶνδε δῆλον. ἔστω δ' αἰσχύνη, λύπη τις καὶ ταραχὴ, περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν, ἢ παρόντων, ἢ γεγονότων, ἢ μελλόντων. ἡ δὲ ἀναισχυντία, ὀλιγωρία τις καὶ ἀπάθεια περὶ αὐτὰ ταῦτα. εἰ δ' ἐστὶν αἰσχύνη ἡ ὁρισθεῖσα, ἀνάγκη αἰσχύνεσθαι μὲν

ἐπὶ τοῖς τοιούτοις τῶν κακῶν, ἃ δοκεῖ αἰσχρὰ εἶναι αὐτῷ, ἢ ὧν φροντίζει. τοιαῦτα δ' ἐστίν, ὅσα ἀπὸ κακίας ἔργα ἐστίν· οἷον ἀποβάλλειν ἀσπίδα ἢ φυγεῖν. ἀπὸ δειλίας γάρ. καὶ τὸ ἀποστερῆσαι παρακαταθήκην. ἀπ' ἀδικίας γάρ. καὶ τὸ συγγενέσθαι οἷς οὐ δεῖ, ἢ ὅπου οὐ δεῖ, ἢ ὅτε μὴ δεῖ. ἀπ' ἀκολασίας γάρ. καὶ τὸ κερδαίνειν ἀπὸ μικρῶν, ἢ ἀπὸ αἰσχρῶν, ἢ ἀπ' ἀδυνάτων, οἷον πενήτων, ἢ τεθνεώτων· ὅθεν καὶ ἡ παροιμία, τὸ, κἂν ἀπὸ νεκροῦ φέρειν. ἀπὸ αἰσχροκερδίας γὰρ καὶ ἀνελευθερίας. καὶ τὸ μὴ βοηθεῖν δυνάμενον εἰς χρήματα, ἢ ἧττον βοηθεῖν, καὶ τὸ βοηθεῖσθαι παρὰ τῶν ἧττον εὐπόρων, καὶ δανείζεσθαι ὅτε δόξει αἰτεῖν· καὶ αἰτεῖν, ὅτε ἀπαιτεῖν· καὶ ἀπαιτεῖν, ὅτε αἰτεῖν· καὶ ἐπαινεῖν, ἵνα δοξάζει αἰτεῖν· καὶ τὸ ἀποτετυχηκότα μηδὲν ἧττον. πάντα γὰρ, ἀνελευθερίας ταῦτα σημεῖα. τὸ δὲ ἐπαινεῖν παρόντα, κολακείας. καὶ τὸ τἀγαθὰ μὲν ὑπερεπαινεῖν, τὰ δὲ φαῦλα συναλείφειν. καὶ τὸ ὑπεραλγεῖν ἐπ' ἀλγοῦντι. καὶ τἆλλα πάντα ὅσα τοιαῦτα. κολακείας γὰρ ση-

dere talium malorum, quæ videntur turpia eſſe ipſi, aut ijs, quorum curam habet. Talia autem ſunt, quæcunque à vitioſitate opera ſunt, vt abijcere clypeum, aut fugere. nam id à timiditate. Et fraudare depoſito. nam ab iniuſtitia. Et concumbere, quibuſcum non oportet, aut vbi non oportet, aut quando non oportet. nam ab intemperantia. Et lucrari à rebus paruis, aut à turpibus, aut ab impotentibus vt pauperib. aut mortuis. vnde & prouerbium, Etiam à mortuo ferre. nam à ſordibus & illiberalitate. Et non auxiliari, dum poſſis, in pecunias, aut minus auxiliari. Et auxilium accipere à minus abundantibus. Et mutuũ requirere, quando videbitur petere. Et petere, quando repetere. Et repetere, quando petere. Et laudare, vt videatur petere. Et repulſam paſſum nihil minus. Nam omnia illiberalitatis hæc ſunt ſigna. Laudare autem præſentem adulationis ſignum eſt. Et bona quidem laudando extollere, mala vero obſcurare. Et dolere vicem dolentis. Et alia omnia eiuſmodi. nam adulationis ſigna ſunt. Et non

tolerare labores, quos ſeniores, aut delicati, aut maiore licentia præditi, aut omnino impotentiores tolerant. Nam omnia mollitiei ſunt ſigna. Et ab altero affici beneficio, & ſæpe, & quæ fecerit, exprobrare. Nam puſillanimitatis omnia, & humilitatis ſigna. Et de ſe dicere, & polliceri, & aliena ſua affirmare: nam arrogantia eſt. Similiter vero etiam in aliorum vnoquoque, quæ in moribus ſunt, vitiorum opera, & ſigna, & ſimilia: nam turpia, & pudenda ſunt. [2] Et ad hæc rerum honeſtarum, quarum omnes participes ſunt, aut ſimiles omnes, aut plurimi, non eſſe participem. Similes autem dico eiuſdem nationis, ciuitatis, ætatis, cognationis, omnino æquales. Turpe enim iam eſt, non eſſe participem, vt eruditionis quadam tenus, & aliarum rerum ſimiliter. Omnia vero hæc magis, ſi propter ipſum appareant accidiſſe: ſic enim ſunt à vitio magis, ſi ipſe ſit cauſſa eorum, quæ affuerunt, aut adſunt, aut futura ſunt. [3] Patientes autem, aut paſſos, aut paſſuros talia, pudet eorum, quæ ad offenſionem exiſtimationis pertinent

μεῖα. καὶ τὸ μὴ ὑπομένειν πόνους, οὓς οἱ πρεσβύτεροι, ἢ οἱ τρυφῶντες, ἢ οἱ ἐν ἐξουσίᾳ μᾶλλον, ἢ ὅλως οἱ ἀδυνατώτεροι. πάντα γὰρ μαλακίας σημεῖα. καὶ τὸ ὑφ᾽ ἑτέρου εὖ πάσχειν, καὶ τὸ πολλάκις. καὶ ἃ εὖ ἐποίησεν ὀνειδίζειν. μικροψυχίας γὰρ πάντα καὶ ταπεινότητος σημεῖα. καὶ τὸ περὶ ἑαυτοῦ λέγειν καὶ ἐπαγγέλλεσθαι, καὶ τὸ τὰ ἀλλότρια αὑτοῦ φάσκειν. ἀλαζονεία γάρ. ὁμοίως δὲ, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἑκάστης τῶν τοῦ ἤθους κακιῶν τὰ ἔργα, καὶ τὰ σημεῖα καὶ τὰ ὅμοια. αἰσχρὰ γὰρ καὶ αἰσχυντηλά. καὶ ἐπὶ τούτοις τὸ τῶν καλῶν ὧν πάντες μετέχουσι, ἢ οἱ ὅμοιοι πάντες, ἢ οἱ πλεῖστοι, μὴ μετέχειν. ὁμοίους δὲ λέγω ὁμοεθνεῖς, πολίτας, ἥλικας, συγγενεῖς, ὅλως τοὺς ἐξ ἴσου. αἰσχρὸν γὰρ ἤδη τὸ μὴ μετέχειν, οἷον παιδεύσεως ἐπὶ τοσοῦτον, καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως. πάντα δὲ ταῦτα μᾶλλον ἂν δι᾽ ἑαυτὸν φαίνηται. οὕτω γὰρ ἤδη ἀπὸ κακίας μᾶλλον, ἐὰν αὐτὸς ᾖ αἴτιος τῶν ὑπαρξάντων, ἢ ὑπαρχόντων, ἢ μελλόντων. πάσχοντες δὲ ἢ πεπονθότες, ἢ

πεισόμενοι τὰ τοιαῦτα, αἰσχύνονται ὅσα εἰς ἀτιμίαν φέρει καὶ ὀνείδη. ταῦτα δ' ἐστὶν ὅσα εἰς ὑπηρετήσεις ἢ σώματος, ἢ ἔργων αἰσχρῶν, ὧν ἐστὶ τὸ ὑβρίζεσθαι. καὶ τὰ μὲν εἰς ἀκολασίαν, καὶ ἑκόντα καὶ ἄκοντα. τὰ δὲ εἰς βίαν, ἄκοντα· ἀπὸ ἀνανδρίας γὰρ ἢ δειλίας· ἡ ὑπομονὴ καὶ τὸ μὴ ἀμύνεσθαι. ἃ μὲν οὖν αἰσχύνονται, ταῦτά ἐστι καὶ τὰ τοιαῦτα. ἐπεὶ δὲ περὶ ἀδοξίας φαντασία ἐστὶν ἡ αἰσχύνη, καὶ ταύτης αὐτῆς χάριν, ἀλλὰ μὴ τῶν ἀποβαινόντων, οὐδεὶς δὲ τῆς δόξης φροντίζει, ἀλλ' ἢ διὰ τοὺς δοξάζοντας, ἀνάγκη τούτους αἰσχύνεσθαι, ὧν λόγον ἔχει. λόγον δ' ἔχει τῶν θαυμαζόντων, καὶ οὓς θαυμάζει, καὶ ὑφ' ὧν βούλεται θαυμάζεσθαι. καὶ πρὸς οὓς φιλοτιμεῖται. καὶ ὧν μὴ καταφρονεῖ τῆς δόξης. θαυμάζεσθαι μὲν οὖν βούλονται ὑπὸ τούτων, καὶ θαυμάζουσι τούτους, οἳ ἔχουσί τι ἀγαθὸν τῶν τιμίων. ἢ παρ' ὧν τυγχάνουσι δεόμενοι σφόδρα τινὸς ὧν ἐκεῖνοι κύριοι· οἷον οἱ ἐρῶντες. φιλοτιμοῦνται δὲ πρὸς τοὺς ὁμοίους, φροντίζουσι

pertinent, & probra. hæc autem ſunt, quæcunque ad miniſteria aut corporis, aut operum turpium, ex quibus eſt contumeliæ perpeſſio. Et quæ ad intemperantiam tùm voluntaria, tùm non voluntaria. Quæ vero ad vim, non voluntaria: nam ab ignauia, aut timiditate tolerantia eſt, & non vlciſci. Quorum igitur pudet, hæc ſunt, & talia. Quoniam vero de offenſione exiſtimationis pudor eſt phantaſia, & huius ipſius gratia, ſed non eorum quę inde eueniunt, ac nemo exiſtimationis curã habet, niſi propter eos, qui exiſtimant: [1] neceſſe eſt, pudere eorum, quorum rationem habet. Rationem vero habe eorum, qui ſuſpiciunt, & quos ſuſpicit, & à quib. vult ſuſpici, & quibuſcum de honore contendit, & quorum non contemnit exiſtimationem. Ac ſuſpici quidem volunt ab ijs, & ſuſpiciunt eos, qui habent aliquod bonum ex ijs, quæ precioſa ſunt, aut à quibus requirunt valde aliquid ex ijs, quorum illi ſunt domini, vt amatores. De honore autem contendunt cum ijs, qui ſimiles ſunt,

Et curant, vt eos, qui vera loquuntur, prudentes. Taleſque ſunt tùm ſenes, tùm eruditi. [2] Et eorum, quæ ſunt in oculo, & quæ in aperto. vnde etiam prouerbium, In oculis eſſe verecundiam. & ob id eorum, qui ſemper affuturi ſunt, magis pudet: & eorum, qui attendunt ipſos, propterea quòd in oculis ambo ſunt. [3] Et eorum, qui non ſunt iiſdem obnoxij: manifeſtum enim eſt contraria his videri. [4] Et qui non ignoſcunt ijs, qui apparent peccare: quæ enim aliquis ipſe facit, ea dicitur in proximis non ſtomachari. Quare ſi non faciat, manifeſtum eſt, eum ſtomachari. [5] Et qui enunciant multis: nihil enim differt non videri, & non enunciari. Enunciant autem tùm iniuriam paſſi, quia obſeruant: tùm maledici. ſi enim etiam eos, qui non peccant, multo magis eos, qui peccant. Et quibus occupatio eſt in proximorum peccatis, vt ſubſannatoribus & Comicis: maledici enim quodammodo ipſi ſunt, & procliues ad enunciandum. [6] Et à quibus nunquam repulſam tulerunt: nam, vt qui ſuſpiciuntur, affecti ſunt. Quare & eorum, qui prius aliquid petierunt,

δὲ ὡς ἀληθευόντων τῶν φρονίμων. τοιοῦτοι δὲ, οἵ τε πρεσβύτεροι καὶ οἱ πεπαιδευμένοι. καὶ τὰ ἐν ὀφθαλμῷ, καὶ τὰ ἐν φανερῷ· ὅθεν καὶ ἡ παροιμία, τὸ, ἐν ὀφθαλμοῖς εἶναι αἰδῶ. καὶ διὰ τοῦτο τοὺς ἀεὶ παρεσομένους μᾶλλον αἰσχύνονται, καὶ τοὺς προσέχοντας αὐτοῖς, διὰ τὸ ἐν ὀφθαλμοῖς ἀμφότερα. καὶ τοὺς μὴ περὶ ταῦτα ἐνόχους. δῆλον γὰρ τἀναντία δοκεῖν τούτοις. καὶ τοὺς μὴ συγγνωμονικοὺς τοῖς φαινομένοις ἁμαρτάνειν. ἃ γάρ τις αὐτὸς ποιεῖ, ταῦτα λέγεται τοῖς πέλας μὴ νεμεσᾷν. ὥστε ἃ μὴ ποιῇ, δῆλον ὅτι νεμεσᾷ. καὶ τοὺς ἐξαγγελτικοὺς πολλοῖς. οὐδὲν γὰρ διαφέρει μὴ δοκεῖν, ἢ μὴ ἐξαγγέλλειν. ἐξαγγελτικοὶ δὲ, οἵ τε ἠδικημένοι διὰ τὸ παρατηρεῖν, καὶ οἱ κακολόγοι. εἴπερ γὰρ καὶ τοὺς μὴ ἁμαρτάνοντας, ἔτι μᾶλλον τοὺς ἁμαρτάνοντας. καὶ οἷς ἡ διατριβὴ, ἐπὶ ταῖς τῶν πέλας ἁμαρτίαις, οἷον χλευασταῖς καὶ κωμῳδοποιοῖς. κακολόγοι γάρ πως οὗτοι καὶ ἐξαγγελτικοί. καὶ ἐν οἷς μηδὲν ἀποτετυχήκασιν. ὥσπερ γὰρ θαυμαζόμενοι διάκεινται. διὸ καὶ τοὺς πρῶτον τι

δεηθέντας αἰσχύνονται. ὡς οὐδέν πω ἠδοξηκότες ἐν αὐτοῖς. τοιοῦτοι δ' οἵ τε ἄρτι βουλόμενοι φίλοι εἶναι. τὰ γὰρ βέλτιστα τεθέανται. διὸ εὖ ἔχει ἡ τοῦ Εὐριπίδου ἀπόκρισις πρὸς τοὺς Συρακουσίους. καὶ τῶν πάλαι γνωρίμων οἱ μηδὲν συνειδότες. αἰσχύνονται δ' οὐ μόνον αὐτὰ τὰ ῥηθέντα αἰσχυντηλά, ἀλλὰ καὶ τὰ σημεῖα, οἷον οὐ μόνον ἀφροδισιάζοντες, ἀλλὰ καὶ τὰ σημεῖα αὐτῶν. καὶ οὐ μόνον ποιοῦντες τὰ αἰσχρά, ἀλλὰ καὶ λέγοντες. ὁμοίως δὲ, οὐ δὲ τοὺς εἰρημένους αἰσχύνονται μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς δηλώσοντας αὐτούς· οἷον, θεράποντας καὶ φίλους τούτων. ὅλως δ' οὐκ αἰσχύνονται, οὔθ' ὧν πολὺ καταφρονοῦσι τῆς δόξης τοῦ ἀληθεύειν. οὐδεὶς γὰρ θηρία καὶ τὰ παιδία αἰσχύνεται. οὔτε τὰ αὐτὰ τοὺς γνωρίμους καὶ τοὺς ἀγνῶτας· ἀλλὰ τοὺς μὲν γνωρίμους, τὰ πρὸς ἀλήθειαν δοκοῦντα. τοὺς δὲ ἄποθεν, τὰ πρὸς δόξαν μόνον. αὐτοὶ δὲ ὧδε διακείμενοι, αἰσχυνθεῖεν ἄν. πρῶτον μὲν, εἰ ὑπάρχοιεν πρὸς αὐτοὺς ἔχοντες οὕτω τινες, οἵους ἔφαμεν εἶναι οὓς αἰσχύνονται. ἦσαν

petierunt, pudet, vt qui non dum exiſtimationem amiſerunt apud ipſos. Tales autem ſunt, & qui recens volunt amici eſſe: quæ enim optima ſunt, viderunt. Quãobrem bene ſe habet Euripidis reſponſio ad Syracuſios. Et ex antiquis familiaribus qui nullius rei ſunt conſcij. [7] Pudet autem non ſolum eorum, quæ dicta ſunt, pudendorum, ſed etiam ſignorum, vt non ſolum cum in re Venerea verſantur, ſed etiam cum adſunt ſigna eius rei. & non ſolum cum faciunt turpia, ſed etiam cum dicunt. Similiter autem non ſolum eorum quæ dicta ſunt, pudet, ſed etiam eorum, qui indicaturi ſunt ipſos, vt famulorum, & qui ipſis amici ſunt. Omnino autem non pudet eorum, quorum valde contemnunt exiſtimationem. quod ad veritatẽ attinet. neminem enim belluarum, & puerorum pudet. Neque in eiſdem rebus notorum, & ignotorum. Sed notorum quidem, in ijs, quæ ad veritatem exiſtimantur: externorum vero in ijs, quæ ad opinionem tantum. [8] Ipſos vero ſic affectos pudet, primum quidẽ, ſi erga ipſos ſe habuerint perinde aliqui, ac diximus eſſe

eos, quorum pudet. Erant autem iſti aut qui ſuſpiciuntur, aut qui ſuſpiciunt, aut à quibus volunt ſuſpici, aut à quibus requirunt aliquid oportuni, quod non conſequentur, ſi nullius exiſtimationis ſint, & iſti aut videntes, vt Cydias de Sami colonia concionatus eſt. Petebat enim, vt exiſtimarent Athenienſes, circumſtare Græcos, vt videntes, & non duntaxat audituros, quę decreuiſſent. aut ſi prope ſint tales, aut ſenſuri ſint. Quam obrem & conſpici ij, qui aduerſa fortuna vtuntur, ſe ab æmulis vnquam nolunt: ſuſpiciunt enim æmuli. [2] Et quando habeant ea, quæ dedecorent opera, & actiones, aut ſuas ipſorum, aut proauorũ, aut aliorũ aliquorum, quibuſcum ſit aliqua ipſis propinquitas. & omnino eorum, pro quibus pudet ipſos. Sunt autem iſti qui dicti ſunt, & qui ad ipſos referuntur, quorum magiſtri, aut conſiliarij fuerunt. [3] Et, ſi ſint alij ſimiles, quibuſcum de honore concertant; multa enim pudore affecti propter tales faciunt, & non faciunt.
[4] Et qui conſpicientur, & in aperto verſabuntur, cum conſcijs,

δὲ οὗτοι, ἢ θαυμαζόμενοι, ἢ θαυμάζοντες, ἢ ὑφ᾽ ὧν βούλοι᾽) θαυμάζεσθαι, ἢ ὧν δέονταί τινα χρείαν, ὧν μὴ τεύξονται ἄδοξοι ὄντες, καὶ οὗτοι ἢ ὁρῶντες, ὥσπερ Κυδίας περὶ τῆς σάμου κληρουχίας ἐδημηγόρησεν. ἠξίου γὰρ ὑπολαβεῖν τοὺς ἀθηναίους, περιεστάναι κύκλῳ τοὺς ἕλληνας, ὡς ὁρῶντας καὶ μὴ μόνον ἀκουσομένους ἃ ἂν ψηφίσωνται, ἢ ἂν πλησίον ὦσιν οἱ τοιοῦτοι, ἢ μέλλωσιν αἰσθήσεσθαι. διὸ καὶ ὁρᾶσθαι ἀτυχοῦντες ὑπὸ τῶν ζηλούντων ποτὲ, οὐ βούλονται. θαυμασταὶ γὰρ οἱ ζηλωταί. καὶ ὅταν ἔχωσιν ἃ καταισχυνοῦσιν ἔργα καὶ πράγματα, ἢ ἑαυτῶν, ἢ προγόνων, ἢ ἄλλων τινῶν, πρὸς οὓς ὑπάρχει τις αὐτοῖς ἀγχιστεία. καὶ ὅλως ὑπὲρ ὧν αἰσχύνονται αὐτοί. εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ εἰρημένοι, καὶ οἱ εἰς αὐτοὺς ἀναφερόμενοι, ὧν διδάσκαλοι ἢ σύμβουλοι γεγόνασι. καὶ ἐὰν ὦσιν ἕτεροι ὅμοιοι, πρὸς οὓς φιλοτιμοῦνται. πολλὰ γὰρ αἰσχυνόμενοι διὰ τοὺς τοιούτους ποιοῦσι καὶ οὐ ποιοῦσι. καὶ μέλλοντες ὁρᾶσθαι, καὶ ἐν φανερῷ ἀνα-

τρέφεσθαι τοῖς συνειδόσιν αἰσχυντηλοὶ μᾶλλόν εἰσιν. ὅθεν καὶ Ἀντιφῶν ὁ ποιητὴς μέλλων ἀποτυμπανίζεσθαι ὑπὸ Διονυσίου, εἶπεν, ἰδὼν τοὺς συναποθνήσκειν μέλλοντας ἐγκαλυπτομένους ὡς ᾔεσαν διὰ τῶν πυλῶν, τί ἐγκαλύπτεσθε ἔφη, ἢ μὴ αὔριόν τις ὑμᾶς ἴδῃ τούτων; περὶ μὲν οὖν αἰσχύνης, ταῦτα. περὶ δὲ ἀναισχυντίας, δῆλον, ὡς ἐκ τῶν ἐναντίων εὐπορήσομεν.

ſcijs, eos pudet magis. Vnde & Antiphon Poeta, cum tympano torquendus eſſet, à Dionyſio, & videret vna morituros ſe obnubere, vt egreſſi ſunt ex portis, Quid inquit, obnubitis? anne cras aliquis horũ vos videat? Ac de pudore quidem hæc: de impudentia vero apparet, ex contrarijs nos abundaturos.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ ζ.

Τίσι δὲ χάριν ἔχουσι καὶ ἐπὶ τίσιν, ἢ πῶς αὐτοὶ ἔχοντες, ὁρισαμένοις τὴν χάριν, δῆλον ἔσται. ἔστω δὴ χάρις, καθ' ἣν ὁ ἔχων λέγεται χάριν ὑπουργεῖν δεομένῳ, μὴ ἀντί τινος, μηδ' ἵνα τι αὐτῷ τῷ ὑπουργοῦντι, ἀλλ' ἵνα ἐκείνῳ τι. μεγάλη δ' ἂν ᾖ σφόδρα δεομένων, ἢ μεγάλων καὶ χαλεπῶν, ἢ ἐν καιροῖς τοιούτοις, ἢ μόνος ἢ πρῶτος, ἢ μάλιστα. δεήσεις δέ εἰσιν, αἱ ὀρέξεις, καὶ τούτων μάλιστα, αἱ μετὰ λύπης τοῦ μὴ γιγνομένου. τοιαῦται δὲ αἱ ἐπιθυμίαι· οἷον, ὁ ἔρως. καὶ ἐν ταῖς τοῦ σώματος κακώσεσι, καὶ ἐν κινδύνοις. καὶ γὰρ

CAPVT VII.

QVibus autem gratiam habeant, & ob quæ, & quomodo ipſi ſe habentes cum definiuerimus gratiam, conſtabit. Sit igitur gratia, per quam is, qui poſſidet, dicitur gratificari, ei, qui indiget, non pro vlla re, neque, vt aliquid ſit ei, qui tribuit, ſed, vt illi aliquid. Magna autem, ſi aut eorum, qui valde indigent, aut rerum magnarum, & difficilium; aut in occaſionibus talibus aut ſolus, aut primus, aut maxime. Ac indigentiæ ſunt appetitiones, & ex his maxime, quæ cum moleſtia rei, quæ non ſuppetit. eiuſmodi vero ſunt cupiditates, vt amor: & in corporis cruciatibus: & in periculis. Etenim

qui in periculo verſatur, cupit, & qui in dolore. Quamobrem qui in paupertate ſubueniunt, & fuga, etiam ſi parua ſubminiſtrauerint, propter magnitudinem indigentiæ, & temporis occaſionem, gratiam tribuerunt, vt qui in Lyceo ſtoream præbuit. Neceſſe igitur eſt maxime in talia facere tributionem, ſin minus, in paria, aut maiora. Quocirca, quia apparet & quando, & ob quæ fiat gratia, & quomodo ſe habentibus, manifeſtum eſt ex his apparatum faciendum eſſe de monſtrando illos aut eſſe, aut fuiſſe in eiuſmodi indigentia, & dolore: hos vero dediſſe in eiuſmodi neceſſitate, tale aliquid tribuentes. Apparet vero etiam, vnde diminuere contingat gratiam, & efficere gratiæ expertes. [1] aut enim quòd ſua cauſſa tribuunt, aut tribuerunt (id autem non erat gratia) [2] aut quod fortuito fecerunt, [3] aut coacti ſunt, [4] aut quòd reddiderunt, nõ dederunt, ſiue ſcientes, ſiue nequaquam: vtroque enim modo eſt aliquid pro aliquo. Quare ne ſic quidem erit gratia. Et de omnib. categorijs conſideratio habenda. Nam gratia eſt, aut quia hoc: aut tantũ: aut tale:

ὁ κινδυνεύων ἐπιθυμεῖ, καὶ ὁ λυπούμενος. διὸ οἱ ἐν πενίᾳ παρεστάμενοι καὶ φυγαῖς, κἂν μικρὰ ὑπηρετήσωσι διὰ τὸ μέγεθος τῆς αἰτήσεως, καὶ τὸν καιρὸν κεχαρισμένοι· οἷον, ὁ ἐν λυκείῳ τὸν φορμὸν δούς. ἀνάγκη οὖν μάλιστα μὲν, εἰς τοιαῦτα ἔχειν τὴν ὑπουργίαν. εἰ δὲ μὴ, εἰς ἴσα, ἢ μείζω. ὥστ᾽ ἐπεὶ φανερὸν καὶ ὅτε, καὶ ἐφ᾽ οἷς γίνεται χάρις, καὶ πῶς ἔχουσι, δῆλον, ὅτι ἐκ τούτων παρασκευαστέον τοὺς μὲν δεικνύντας, ἢ ὄντας, ἢ γεγενημένους ἐν τοιαύτῃ δεήσει καὶ λύπῃ. τοὺς δὲ, ὑπηρετῆσαι ἐν τοιαύτῃ χρείᾳ, τοιοῦτόν τι ὑπηρετοῦντας. φανερὸν δὲ, καὶ ὅθεν ἀφαιρεῖσθαι ἐνδέχεται τὴν χάριν, καὶ ποιεῖν ἀχαρίστους. ἢ γὰρ ὅτι αὑτῶν ἕνεκα ὑπηρετοῦσιν, ἢ ὑπηρέτησαν. τοῦτο δ᾽ οὐκ ἦν χάρις· ἢ ὅτι ἀπὸ τύχης συνέπεσον, ἢ ἠναγκάσθησαν, ἢ ὅτι ἀπέδωκαν οὐκ ἔδωκαν. εἴ τε εἰδότες εἴτε μή. ἀμφοτέρως γὰρ τὶ ἀντί τινος, ὥστ᾽ οὐδ᾽ οὕτως ἂν εἴη χάρις. καὶ περὶ ἁπάσας τὰς κατηγορίας σκεπτέον. ἡ γὰρ χάρις ἐστὶν, ἢ ὅτι τοδὶ, ἢ τοσονδὶ, ἢ τοιονδὶ, ἢ ποτὲ, ἢ ποῦ. ση-

μεῖον δὲ, εἰ ἔλαττον μὴ ὑπηρέτησε. καὶ εἰ τοῖς ἐχθροῖς, ἢ ταῦτα, ἢ ἴσα, ἢ μείζω. δῆλον γὰρ ὅτι οὐδὲ ταῦτα ἡμῶν ἕνεκα. ἢ εἰ φαῦλα εἰδώς. οὐδεὶς γὰρ ὁμολογεῖ δεῖσθαι φαύλων. καὶ περὶ μὲν τοῦ χαρίζεσθαι καὶ ἀχαριστεῖν, εἴρηται.

tale: aut quando: aut vbi. Signum vero eſt, ſi rem minorem non tribuerunt. Et ſi inimicis aut res eaſdem, aut pares, aut maiores. Manifeſtum enim eſt ne hæc quidem noſtri cauſſa eſſe. Aut ſi res viles ſciens: nemo enim confitetur ſe indigere vilibus. Ac de tribuenda quidem gratia, & non tribuenda, dictum eſt.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ η.

Ποῖα δ' ἐλεεινὰ, καὶ τίνας ἐλεοῦσιν, καὶ πῶς αὐτοὶ ἔχοντες, λέγωμεν. ἔστω δὴ ἔλεος, λύπη τις ἐπὶ τῷ φαινομένῳ κακῷ φθαρτικῷ καὶ λυπηρῷ τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν. ὃ κἂν αὐτὸς προσδοκήσειε παθεῖν, ἢ τῶν αὑτοῦ τινα. καὶ τοῦτο, ὅταν πλησίον φαίνηται. δῆλον γὰρ, ὅτι ἀνάγκη τὸν μέλλοντα ἐλεήσειν ὑπάρχειν τοιοῦτον, οἷον, οἴεσθαι παθεῖν ἄν τι κακὸν, ἢ αὐτὸν, ἢ τῶν αὑτοῦ τινα, καὶ τοιοῦτον κακὸν, οἷον εἴρηται ἐν τῷ ὅρῳ, ἢ ὅμοιον, ἢ παραπλήσιον. διὸ οὔτε οἱ παντελῶς ἀπολωλότες ἐλεοῦσιν. οὐδὲν γὰρ ἂν ἔτι παθεῖν οἴονται, πεπόνθασι γάρ. οὔτε οἱ ὑπερευδαιμονεῖν οἰόμενοι, ἀλλ' ὑβρί-

CAPVT VIII.

QValia vero miſerabilia ſint, & quos miſerētur, & quomodo ipſi ſe habētes, dicamus. Sit igitur miſericordia, moleſtia quædam in eo modo, quod videtur habere vim interitus, & moleſtiæ afferendæ, eius, qui eo ſit indignus, quod etiam ipſe expectet ſe paſſurum, aut aliquem ſuorum, idque cum propinquum appareat. [1] Manifeſtum enim eſt, neceſſe eſſe, qui miſeraturus eſt, eſſe talem, vt putet paſſurum aliquid mali aut ſe, aut ſuorum quempiam, & tale malum, quale dictum eſt in definitione, aut ſimile, aut propinquum. [2] Quamobrem nec omnino perditi, miſerantur. nihil enim amplius ſe paſſuros putant: paſſi enim ſunt. [3] Nec qui ſe valde felices eſſe putant: ſed contumeliam faciunt. ſi enim o-

mnia putant adeſſe bona, manifeſtum eſt, eos etiam putare, ſe non paſſuros aliquid mali. Etenim id inter bona eſt. [1] Ac tales ſunt, vt putent ſe paſſuros, qui iam paſſi ſunt, & euaſerunt. [2] Tum ſenes, & ob prudentiam, & ob experientiam. [3] Tum debiles, & timidiores magis. [4] Tum eruditi: conſiderati enim ſunt. [4] Tum quibus ſunt parentes, & liberi: aut vxores: ſua enim ſunt hæc, & poſſunt pati ob ea, quę dicta ſunt. [5] Tum qui nec in fortitudinis affectu ſunt, vt in ira, aut fidentia: hæc enim de futuro non conſiderant. [6] Nec in contumelioſa affectione. Etenim iſti non conſiderant, ſe paſſuros eſſe aliquid: ſed inter hos medij. [7] Nec rurſus metuentes valde: non enim miſerantur metu perculſi, quia ſint in proprio affectu. [8] Et, ſi putant aliquos eſſe æquos: nam neminem putans, omnes exiſtimabit dignos eſſe malo. [9] Et omnino quando ſic ſe habet, vt meminerit talia accidiſſe aut ſibi, aut ſuis, aut putet fore, vt aut ſibi accidant, aut ſuis. Ac quemadmodum quidem ſe habentes, miſerentur, expoſitum eſt.

ζουσιν. εἰ γὰρ ἅπαντα οἴονται ὑπάρχειν τἀγαθὰ, δῆλον, ὅτι καὶ τὸ μὴ ἐνδέχεσθαι παθεῖν τι κακόν. καὶ γὰρ τοῦτο τῶν ἀγαθῶν. εἰσὶ δὲ τοιοῦτοι, οἷοι νομίζειν παθεῖν ἄν, οἱ πεπονθότες ἤδη καὶ διαπεφευγότες. καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ διὰ τὸ φρονεῖν, καὶ δι᾽ ἐμπειρίαν. καὶ οἱ ἀσθενεῖς, καὶ οἱ δειλότεροι μᾶλλον, καὶ οἱ πεπαιδευμένοι. εὐλόγιστοι γάρ. καὶ οἷς ὑπάρχουσι γονεῖς καὶ τέκνα ἢ γυναῖκες. αὐτοῦ γὰρ ταῦτα καὶ οἷα παθεῖν διὰ τὰ εἰρημένα. καὶ οἱ μήτε ἐν ἀνδρείας πάθει ὄντες, οἷον ἐν ὀργῇ ἢ θάῤῥει. ἀλόγιστα γὰρ τοῦ ἐσομένου ταῦτα. μήτ᾽ ἐν ὑβριστικῇ διαθέσει· καὶ γὰρ οὗτοι ἀλόγιστοι τοῦ πείσεσθαί τι. ἀλλ᾽ οἱ μεταξὺ τούτων, μήτ᾽ αὖ φοβούμενοι σφόδρα. οὐ γὰρ ἐλεοῦσιν οἱ ἐκπεπληγμένοι διὰ τὸ εἶναι πρὸς τῷ οἰκείῳ πάθει. κἂν οἴωνταί τινας εἶναι ἐπιεικεῖς. ὁ γὰρ μηδένα οἰόμενος, πάντας οἰήσεται ἀξίους εἶναι κακοῦ. καὶ ὅλως δὲ ὅταν οὕτως, ὥστ᾽ ἀναμνησθῆναι τοιαῦτα συμβεβηκότα, ἢ αὐτῷ ἢ τῶν αὐτοῦ, ἢ ἐλπίσαι γενέσθαι, ἢ ἑαυτῷ ἢ τῶν αὐτοῦ. ὡς μὲν οὖν

ἔχοντες ἐλεοῦσιν εἴρηται. ἃ δ' ἐλεοῦσιν, ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ δῆλον. ὅσα τε γὰρ ἐκ τῶν λυπηρῶν καὶ ὀδυνηρῶν φθαρτικὰ, πάντα ἐλεεινά. καὶ ὅσα ἀναιρετικὰ, καὶ ὅσων ἡ τύχη αἰτία κακῶν, μέγεθος ἐχόντων. ἔστι δ' ὀδυνηρὰ μὲν καὶ φθαρτικὰ, θάνατοι καὶ αἰκίαι, καὶ σωμάτων κακώσεις, καὶ γῆρας, καὶ νόσοι, καὶ τροφῆς ἔνδεια. ὧν δὲ ἡ τύχη αἰτία κακῶν, ἀφιλία, ὀλιγοφιλία. διὸ καὶ τὸ διεσπᾶσθαι ἀπὸ φίλων καὶ συνήθων, ἐλεεινόν. αἶσχος, ἀσθένεια, ἀναπηρία, καὶ τὸ ὅθεν προσῆκεν ἀγαθόν τι πρᾶξαι, κακόν τι συμβῆναι. καὶ τὸ πολλάκις τοιοῦτον. καὶ τὸ πεπονθότος γενέσθαι τι ἀγαθόν· οἷον, Διοπείθει τὰ παρὰ βασιλέως, ὅτι τεθνεῶτι κατεπέμφθη. καὶ τὸ μηδὲν γεγενῆσθαι ἀγαθὸν, ἢ γενομένων μὴ εἶναι ἀπόλαυσιν. ἐφ' οἷς μὲν οὖν ἐλεοῦσι, ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτά ἐστιν. ἐλεοῦσι δὲ τούς τε γνωρίμους, ἐὰν μὴ σφόδρα ἐγγὺς ὦσιν οἰκειότητος. περὶ δὲ τούτους, ὥσπερ περὶ αὑτοὺς μέλλοντας ἔχουσι. διὸ καὶ ὁ Ἄμασις, ἐπὶ μὲν τῷ υἱεῖ ἀγομένῳ ἐπὶ

Quæ vero miſerentur, ex definitione, patent. [1] quæ enim ex moleſtis, & triſtibus vim habent interimendi, omnia miſerabilia ſunt. & quæ vim perdendi habent. [2] Et quorum fortuna eſt cauſſa malorum, magnitudinem habentium. [1] Sunt autem triſtia, & interitum afferentia mortes, & verberationes, & corporum cruciatus, & ſenectus, & morbi, & alimenti indigentia. [2] Quorum vero fortuna eſt cauſſa malorum, ſunt priuatio amicorum, paucitas amicorum. Quocirca & diuelli ab amicis, ac familiaribus miſerabile eſt, turpitudo, imbecillitas, debilitas, & vnde conueniebat boni aliquid effici, mali aliquid contigiſſe, idque ſæpe. Et poſtquam paſſus ſit, factum eſſe aliquid boni, vt Diopithi ea, quæ à Rege miſſa ſunt, quòd mortuo miſſa ſint. Et nihil factum eſſe boni, aut eorũ, quæ facta ſunt, non eſſe fruitionem. ob quę igitur miſerentur, hæc, & talia ſunt.[1] Miſerantur vero & familiares, ſi non valde coniuncti ſint neceſſitudine. Erga hos autem, vt erga ſe ipſos paſſuros, ſe habent. Quamobrem & Amaſis in caſu filij, qui ad

moriendum perducebatur, lachrymas non effudit, vt aiunt. ſed in caſu amici, qui mendicabat, effudit. hoc enim eſt miſerabile: illud atrox. Nam atrox diuerſum eſt à miſerabili,&habet vim pellendæ miſericordiæ, & ſæpe in contrarium vtile eſt. [2] Præterea miſerantur, ſi ipſum atrox prope ſit.[3] Et ſimiles miſerãtur ætate, mori bus,habitib.dignitatib. generibus. Nam in omnibus his magis apparet, etiam ipſi idem poſſe contingere. [4] Omnino enim oportet aſſumere,quę ſibi metuunt, ea alijs cum fiunt, ipſos miſerari. [5] Quoniam autem quæ prope apparent perpeſſiones, miſerabiles ſunt; at quæ abhinc decem millia annorum facta ſunt,aut futura ſunt,ea neque expectãtes, neque recordantes,aut omnino non miſerantur, aut non ſimiliter: neceſſe eſt qui repræſentantur figuris, & vocibus,& veſtitu, & omnino ſimulatione, miſerabiliores eſſe: faciunt enim vt propinquum appareat malum ante oculos proponentes, aut tanquam futurũ,aut tanquã factũ.[6] Et quę facta ſunt nuper,aut futura ſunt breui, miſerabiliora ſunt propter idẽ. [7] Et ſigna, & actiones,vt veſtes

τῷ ἀποθανεῖν, οὐκ ἐδάκρυσεν, ὥς φασιν· ἐπὶ δὲ τῷ φίλῳ προσαιτοῦντι. τοῦτο μὲν γὰρ ἐλεεινόν, ἐκεῖνο δὲ δεινόν. τὸ γὰρ δεινὸν, ἕτερον τοῦ ἐλεεινοῦ, καὶ ἐκκρουστικὸν τοῦ ἐλέου, καὶ πολλάκις τῷ ἐναντίῳ χρήσιμον. ἔτι ἐλεοῦσιν, ἐγγὺς αὐτοῦ τοῦ δεινοῦ ὄντος, καὶ τοὺς ὁμοίους ἐλεοῦσι, κατ' ἡλικίας, καὶ τὰ ἤθη, καὶ τὰς ἕξεις, καὶ τὰ ἀξιώματα, καὶ τὰ γένη. ἐν πᾶσι γὰρ τούτοις μᾶλλον φαίνεται, καὶ αὐτῷ ἂν ὑπάρξαι. ὅλως γὰρ δεῖ λαβεῖν, ὅτι ὅσα ἐπ' αὐτῶν φοβοῦνται, ταῦτα ἐπ' ἄλλων γιγνόμενα ἐλεοῦσιν. ἐπεὶ δ' ἐγγὺς φαινόμενα τὰ πάθη ἐλεεινά εἰσι, τὰ δὲ μυριοστὸν ἔτος γενόμενα ἢ ἐσόμενα, οὔτ' ἐλπίζοντες, οὔτε μεμνημένοι, ἢ ὅλως οὐκ ἐλεοῦσιν ἢ οὐχ ὁμοίως· ἀνάγκη τοὺς συναπεργαζομένους σχήμασι, καὶ φωναῖς, καὶ ἐσθῆτι, καὶ ὅλως τῇ ὑποκρίσει, ἐλεεινοτέρους εἶναι. ἐγγὺς γὰρ ποιοῦσι φαίνεσθαι, τὸ κακὸν πρὸ ὀμμάτων ποιοῦντες, ἢ ὡς μέλλον, ἢ ὡς γεγονός. καὶ τὰ γεγονότα ἄρτι, ἢ μέλλοντα διὰ ταχέων, ἐλεεινότερα διὰ τὸ αὐτό, καὶ τὰ σημεῖα, καὶ τὰς πράξεις· οἷον, ἐσθῆτας τῶν πεπονθότων, καὶ

ὅσα τοιαῦτα, καὶ λόγους τῶν ἐν τῷ πάθει ὄντων, οἷον ἤδη τελευτώντων. καὶ μάλιστα τὸ σπουδαίους εἶναι, ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς ὄντας: ἅπαντα γὰρ ταῦτα διὰ τὸ ἐγγὺς φαίνεσθαι μᾶλλον ποιεῖ τὸν ἔλεον, καὶ ὡς ἀναξίου τε ὄντος, καὶ ἐν ὀφθαλμοῖς φαινομένου τοῦ πάθους.

veſtes eorum, qui paſſi ſunt, & quæcunque talia. [8] Et ſermones eorum, qui in perpeſſione ſunt, vt qui iam animam efflant. [9] Et maxime virtute præditos eſſe, cum in talibus temporibus ſunt: omnia enim hæc, quia prope apparent, magis efficiunt miſerationem, quaſi & ille indignus ſit, & ante oculos appareat perpeſſio.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ θ.

ἈΝτίκειται δὲ τῷ ἐλεεῖν, μάλιστα μὲν ὃ καλοῦσι νεμεσᾶν. τὸ γὰρ λυπεῖσθαι, ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις κακοπραγίαις, ἀντικείμενόν ἐστι τρόπον τινὰ, καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἤθους τὸ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις εὐπραγίαις, καὶ ἄμφω τὰ πάθη ἤθους χρηστοῦ. δεῖ γὰρ ἐπὶ τοῖς ἀναξίως πράττουσι κακῶς, συνάχθεσθαι, τοῖς δὲ εὖ νεμεσᾶν. ἄδικον γὰρ τὸ παρὰ τὴν ἀξίαν γινόμενον. διὸ καὶ τοῖς θεοῖς ἀποδίδομεν τὸ νεμεσᾶν. δόξειε δ' ἂν καὶ ὁ φθόνος, τῷ ἐλεεῖν τὸν αὐτὸν ἀντικεῖσθαι τρόπον, ὡς συνεγγύς τε, καὶ ταὐτὸν ὂν τῷ νεμεσᾶν. ἔστι δ' ἕτερον. λύπη μὲν

CAPVT IX.

OPponitur autem ei, quod miſeratur, maxime id, quod appellant ſtomachari. Nam dolori propter indignas res aduerſas, oppoſitus eſt quodammodo, & per eoſdem mores dolor propter indignas res ſecundas, & vtræque perturbationes ſunt bonorum morum. Oportet enim eorum, qui indigne agunt male, vicem dolore: & ijs, qui bene, ſtomachari. Iniuſtum enim eſt, quod fit præter dignitatem. Quamobrem etiam deos dicimus ſtomachari. Exiſtimabitur vero etiam inuidia miſerationi eodem opponi modo, quaſi quæ vicina, & eadem ſit cum ſtomachatione: verum eſt diuerſa. Moleſtia quidem turbulenta etiam inuidia eſt, & propter proſperum euentum, ſed

non indigni, verum æqualis & ſimilis. Illud vero, ne ipſi aliquid contingat aliud, ſed propter ipſum proximum, omnibus ſimiliter oportet ineſſe. non enim amplius erit illud quidem ſtomachatio, hoc vero inuidia, ſed metus ſi ob id ipſum adſit moleſtia, & perturbatio, quia ipſi aliquid futurum ſit mali, ab illius proſperitate. Apparet autem fore, vt ſint conſequentes etiam contrariæ perturbationes his. Qui enim moleſtia afficitur ob eos, qui indigne male agũt, lætabitur, aut moleſtiæ vacuus erit ob contrarios, qui male agunt. vt ob parricidas, & ſicarios, quando ſupplicio afficiantur, nemo moleſtia affectus fuerit, qui bonus ſit: oportet enim gaudere propter tales eodem modo, ac propter bene agentes ſecundum dignitatem: ambo enim iuſta ſunt, & faciunt, vt gaudeat ęquus. Neceſſe enim eſt eum ſperare fore, vt adſint, quæ ſimili, etiam ſibi ipſi. Et pertinent ad eoſdem mores omnia hæc. Contraria vero ad contrarios. Idem enim eſt malis alienis gaudens, ac inuidus. Ex quo enim quiſpi-

ταραχώδης καὶ ὁ φθόνος ἐστί, καὶ εἰς εὐπραγίαν, ἀλλ' οὐ τοῦ ἀναξίου, ἀλλὰ τοῦ ἴσου καὶ ὁμοίου. τὸ δὲ μὴ ὅτι αὐτῷ τι συμβήσεται ἕτερον, ἀλλὰ δι' αὐτὸν τὸν πλησίον, πᾶσιν ὁμοίως δεῖ ὑπάρχειν. οὐ γὰρ ἔτι ἔσται τὸ μὲν, νέμεσις, τὸ δὲ φθόνος, ἀλλὰ φόβος, ἂν δι' αὐτὸ τοῦτο ὑπάρχῃ ἡ λύπη καὶ ἡ ταραχὴ, ὅτι αὐτῷ τι ἔσται φαῦλον, ὅτι ἀπὸ τῆς ἐκείνου εὐπραγίας. φανερὸν δὲ, ὅτι ἀκολουθήσει καὶ τὰ ἐναντία πάθη τούτοις. ὁ μὲν γὰρ λυπούμενος ἐπὶ τοῖς ἀναξίοις κακοπραγοῦσιν, ἡσθήσεται, ἢ ἄλυπος πως ἔσται, ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις κακοπραγοῦσιν· οἷον, τοὺς πατραλοίας καὶ μιαιφόνους, ὅταν τύχωσι τιμωρίας, οὐδεὶς ἂν λυπηθείη χρηστός. δεῖ γὰρ χαίρειν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις, ὡς δ' αὔτως καὶ ἐπὶ τοῖς εὖ πράττουσι κατ' ἀξίαν. ἄμφω γὰρ δίκαια. καὶ ποιεῖ χαίρειν τὸν ἐπιεικῆ. ἀνάγκη γὰρ ἐλπίζειν ὑπάρξαι ἂν ἅπερ τῷ ὁμοίῳ, καὶ ἑαυτῷ. καὶ ἔστι τοῦ αὐτοῦ ἤθους ἅπαντα ταῦτα, τὰ δ' ἐναντία τοῦ ἐναντίου. ὁ γὰρ αὐτός ἐστιν ἐπιχαιρέκακος καὶ φθονερός. ἐφ' ᾧ γάρ τις λυπεῖται γιγνομένῳ

καὶ ὑπάρχοντι, ἀναγκαῖον τὸ τὸν ἐπὶ τῇ στερήσει καὶ φθορᾷ τῇ τούτου χαίρειν. διὸ κωλυτικὰ μὲν ἐλέους πάντα ταῦτ' ἐστί. διαφέρει δὲ, διὰ τὰς εἰρημένας αἰτίας. ὥστε πρὸς τὸ μὴ ἐλεεινὰ ποιεῖν, ἅπαντα ὁμοίως χρήσιμα. πρῶτον μὲν οὖν περὶ τοῦ νεμεσᾶν λέγωμεν, τίσι νεμεσῶσι, καὶ ἐπὶ τίσι, καὶ ὅπως ἔχοντες αὐτοί. εἶτα μετὰ ταῦτα περὶ τῶν ἄλλων. φανερὸν δ' ἐκ τῶν εἰρημένων. εἰ γάρ ἐστι τὸ νεμεσᾶν λυπεῖσθαι ἐπὶ τῷ φαινομένῳ ἀναξίως εὐπραγεῖν, πρῶτον μὲν δῆλον, ὅτι οὐχ οἷόν τ' ἐπὶ πᾶσιν ἀγαθοῖς νεμεσᾶν. οὐδεὶς γὰρ εἰ δίκαιος, ἢ ἀνδρεῖος, ἢ εἰ ἀρετὴν λήψεται, νεμεσᾷ τούτῳ. οὐδὲ γὰρ οἱ ἔλεοι ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις τούτων εἰσίν· ἀλλ' ἐπὶ πλούτῳ, καὶ δυνάμει, καὶ τοῖς τοιούτοις, οἷς ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν ἀνάξιοι εἰσιν ἀγαθοί. καὶ οἱ τὰ φύσει ἔχοντες ἀγαθὰ, οἷον εὐγένειαν, καὶ κάλλος, καὶ ὅσα τοιαῦτα. ἐπειδὴ δὲ τὸ ἀρχαῖον ἐγγύς τι φαίνεται τοῦ φύσει, ἀνάγκη τοῖς τὸ αὐτὸ ἔχουσιν ἀγαθὸν, ἐὰν

quiſpiam moleſtia afficitur, dum illud oritur, aut adeſt; neceſſarium eſt eum propter priuationem, & corruptionem eiuſdem lætari. Quamobrem vim arcendæ miſericordiæ omnia hæc habent. differunt vero dictis de cauſis. Quare ad non miſerabilia reddenda omnia ſimiliter vtilia ſunt. Ac primum quidem de ſtomachando exponamus, quibus ſtomachentur, & ob quæ, & quomodo ſe habentes ipſi, poſtea de alijs. Apparet autem ex ijs, quæ dicta ſunt. Si enim ſtomachari eſt moleſtia affici ob eum qui apparet indigne bene agere, primum quidem manifeſtum eſt, non licere propter omnia bona ſtomachari. Nemo enim ſi iuſtus, aut fortis ſit, aut ſi virtutem conſequatur, ei ſtomachabitur; neque enim miſerationes propter contraria horum ſunt: ſed propter diuitias, & potentiam, & res eiuſmodi, quibus, vt ſimpliciter dicam, digni ſunt boni, & qui natura habent bona, vt nobilitatem, & pulchritudinem, & quæcunque talia. [1] Quoniam vero antiquum eſſe propinquum apparet naturali, neceſſe eſt idem habentibus bonum, ſi

nuper conſecuti ſint, & ob id bene agant, magis ſtomachari: moleſtiores enim ſunt, qui nuper diteſcunt, quam qui antiquitus, & ob genus. Similiter vero etiam qui ſunt in magiſtratu, & potentes, & habentes multitudinem amicorum, & bonitatem liberorum, & quicunque eiuſmodi ſunt. Et, ſi ob hæc aliud aliquid boni euenerit ipſis, eodem modo. Etenim tunc moleſtiores ſunt nouas diuitias poſſidentes, cum habent imperium propter diuitias, quam antiqui diuites. Similiter vero etiam in alijs. Et cauſſa eſt, quòd illi quidem videntur, quæ ſua ſunt, habere: hi vero nequaquam: quòd enim ſemper ita apparet ſe habere, verum videtur. Quare alteri, non quæ ſua ſunt, habere. [2] Et quoniam vnumquodq; bonum non quolibet dignum eſt, ſed quædam eſt analogia, & conuenientia, vt arma pulchra nequaquam iuſto conueniunt, ſed forti, & coniugia eximia non nuper diteſcentibus ſed nobilibus, idcirco ſi qui bonus eſt, non conuenientē rē conſequatur, id habet vim mouendæ ſtomachationis. [3] Et inferiorē cum ſuperiore controuerſari, maxime quidem ſi ſint eidē rei dediti, vnde & illud

νεωστὶ ἔχοντες τυγχάνωσι, καὶ διὰ τοῦτο εὐπραγῶσι, μᾶλλον νεμεσῶσι. μᾶλλον γὰρ λυποῦσιν οἱ νεωστὶ πλουτοῦντες τῶν πάλαι καὶ διὰ γένος. ὁμοίως δὲ καὶ ἄρχοντες, καὶ δυνάμενοι, καὶ πολύφιλοι, καὶ εὔτεκνοι. καὶ ὁπόσα τῶν τοιούτων, κἂν διὰ ταῦτα ἄλλο τι ἀγαθὸν γίνηται αὐτοῖς ὡσαύτως. καὶ γὰρ ἐνταῦθα μᾶλλον λυποῦσιν οἱ νεόπλουτοι ἄρχοντες, καὶ διὰ τὸν πλοῦτον ἢ οἱ ἀρχαιόπλουτοι. ὁμοίως δὲ, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. αἴτιον δ᾽ ὅτι οἱ μὲν, δοκοῦσι τὰ αὑτῶν ἔχειν, οἱ δ᾽ οὔ. τὸ γὰρ ἀεὶ οὕτω φαινόμενον ἔχειν, ἀληθὲς δοκεῖ. ὥσθ᾽ οἱ ἕτεροι, οὐ τὰ αὑτῶν ἔχειν. καὶ ἐπεὶ ἕκαστον τῶν ἀγαθῶν οὐ τοῦ τυχόντος ἄξιον, ἀλλά τις ἐστὶ ἀναλογία, καὶ τὸ ἁρμόττον· οἷον ὅπλων κάλλος, οὐ τῷ δικαίῳ ἁρμόττει, ἀλλὰ τῷ ἀνδρείῳ, καὶ γάμοι διαφέροντες, οὐ τοῖς νεωστὶ πλουτοῦσιν, ἀλλὰ τοῖς εὐγενέσιν. ἐὰν οὖν ἀγαθὸς ὢν, μὴ τοῦ ἁρμόττοντος τυγχάνῃ νεμεσητόν, τὸν ἥττω κρείττονι ἀμφισβητεῖν, μάλιστα μὲν τοὺς ἐν τῷ αὐτῷ. ὅθεν καὶ τοῦτ᾽ εἴρηται, αἴαντος δ᾽ ἀ-

ἀλέεινε μάχην Τελαμωνιάδαο· Ζεὺς γάρ οἱ νεμέσησεν, ὅτ' ἀμείνονι φωτὶ μάχοιτο. εἰ δὲ μή, καὶ ἂν ὁπωσοῦν, ὁ ἥττων τῷ κρείττονι· οἷον, εἰ ὁ μουσικὸς τῷ δικαίῳ. βελτίων γὰρ ἡ δικαιοσύνη τῆς μουσικῆς. οἷς μὲν οὖν νεμεσῶσι, καὶ δι' ἅ, ἐκ τούτων δῆλον. ταῦτά τε γὰρ καὶ τὰ τοιαῦτά ἐστιν. αὐτοὶ δὲ νεμεσητικοί εἰσιν, ἐὰν ἄξιοι τυγχάνωσι τῶν μεγίστων ἀγαθῶν, καὶ ταῦτα κεκτημένοι. τὸ γὰρ τῶν ὁμοίων ἀξιοῦσθαι τοὺς μὴ ὁμοίους, οὐ δίκαιον. δεύτερον δ' ἂν ὄντες ἀγαθοὶ, καὶ σπουδαῖοι τυγχάνωσι. κρίνουσι γὰρ εὖ, καὶ τὸ ἄδικον μισοῦσι. καὶ ἐὰν φιλότιμοι, καὶ ὀρεγόμενοί τινων πράξεων, καὶ μάλιστα περὶ ταῦτα φιλότιμοι ὦσιν ἃ ἕτεροι ἀνάξιοι ὄντες τυγχάνωσι. καὶ ὅλως οἱ ἀξιοῦντες αὐτοὶ αὑτοὺς, ὧν ἑτέρους μὴ ἀξιοῦσι, νεμεσητικοὶ τούτοις καὶ τούτων. διὸ οἱ ἀνδραποδώδεις, καὶ φαῦλοι, καὶ ἀφιλότιμοι, οὐ νεμεσητικοί. οὐδὲν γάρ ἐστι τοιοῦτον, οὗ αὐτοὺς οἴονται ἀξίους εἶναι. φανερὸν δ' ἐκ τούτων, ἐπὶ ποίοις ἀτυχοῦσι καὶ κακο-

& illud dictum eſt, Aiacis autem declinabat pugnam Telamonidæ. Iupiter enim ei ſtomachabatur, quod cũ viro præſtantiore pugnaret. Sin minus, etiam quocumq; modo inferior cum ſuperiori, vt ſi muſicus cum iuſto, melior enim eſt iuſtitia, quam muſica. Quibus igitur ſtomachentur, & propter quæ, ex his patet. hæc enim, & talia ſunt. [1] At ipſi ſtomachoſi ſunt, ſi digni ſint maximis bonis, & ea poſſideant. Nam ſimilibus exiſtimari dignos, qui non ſunt ſimiles, nequaquam iuſtum eſt. [2] Secundo loco, ſi ſint boni, & virtute præditi: iudicant enim bene, & iniuſtum odio habent.[3] Et, ſi ſint ſtudioſi honoris, & appetentes quarundam actionum, & maxime in ijs ſtudioſi ſint, quæ alij, cum indigni ſint, conſequuntur. [4]Et omnino qui exiſtimant ſe dignos ijs, quibus alios non exiſtimant, ſtomachoſi ſunt eis, & ob ea. Quamobrem mancipiorum ſimiles, & praui, & non cupidi honoris, non ſunt ſtomachoſi. nihil enim eſt eiuſmodi, quo ſe putent dignos eſſe. Apparet autem ex his, propter quos aduerſam fortunam habentes, & male agentes,

aut non obtinentes, gaudere, aut ſine moleſtia eſſe oporteat. Ex ijs enim, quæ dicta ſunt, oppoſita manifeſta ſunt. Quare ſi iudices tales præpararit oratio, & petentes, vt ſui miſericordia habeatur, & ob quæ habeatur, oſtenderit, indignos eſſe, qui conſequantur, dignos vero, qui non conſequantur; fieri non poteſt, vt adſit miſeratio.

πραγοῦσιν, ἢ μὴ τυγχάνουσι χαίρειν, ἢ ἀλύπως ἔχειν δεῖ. ἐκ γὰρ τῶν εἰρημένων τὰ ἀντικείμενα δῆλά ἐστιν. ὥστε ἄν τούς τε κριτὰς τοιούτους παρασκευάσῃ ὁ λόγος, καὶ τοὺς ἀξιοῦντας ἐλεεῖσθαι, καὶ ἐφ' οἷς ἐλεεῖσθαι δείξῃ, ἀναξίους μὲν ὄντας τυγχάνειν, ἀξίους δὲ μὴ τυγχάνειν, ἀδύνατον ἐλεεῖν.

CAPVT X.

Manifeſtum eſt autem & ob quæ inuideant, & quibus, & quomodo ſe habentes, ſiquidem inuidia eſt moleſtia quædam propter proſperitatem, quæ apparet, eorum, quæ dicta ſunt bonorum, erga ſimiles, non vt aliquid ſibi ſit, ſed propter illos. [1] Inuidebunt enim tales, quibus ſunt aliqui ſimiles, aut apparent. Similes vero dico genere, cognatione, ætate, habitu, exiſtimatione, copijs. [2] Et quibus parum deeſt, quin omnia adſint. Quamobrem magna agentes, & proſpera fortuna vtentes, inuidentiores ſunt: cunctos enim putant, quæ ſua ſunt, eripere. [3] Et qui honorantur eximiè aliquam ob rem, & maxime ob ſapientiam, aut felicitatem. [4] Et ſtudioſi honoris inuidentiores, quàm non

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ ι.

Δῆλον δὲ καὶ ἐπὶ τίσι φθονοῦσι, καὶ τίσι, καὶ πῶς ἔχοντες, εἴπερ ἐστὶν ὁ φθόνος λύπη τις ἐπὶ εὐπραγίᾳ φαινομένῃ τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν ἐπὶ τοὺς ὁμοίους· μὴ ἵνα τι αὑτῷ, ἀλλὰ δι' ἐκείνους. φθονήσουσι μὲν γὰρ οἱ τοιοῦτοι, οἷς εἰσί τινες ὅμοιοι, ἢ φαίνονται. ὁμοίους δὲ λέγω, κατὰ γένος, κατὰ συγγένειαν, καθ' ἡλικίαν, κατὰ ἕξιν, κατὰ δόξαν, κατὰ τὰ ὑπάρχοντα. καὶ οἷς μικροῦ ἐλλείπει, τὸ μὴ πάντα ὑπάρχειν. διὸ, οἱ μεγάλα πράττοντες καὶ εὐτυχοῦντες, φθονεροί εἰσιν. πάντας γὰρ οἴονται τὰ αὑτῶν φέρειν. καὶ οἱ τιμώμενοι ἐπί τινι διαφερόντως, καὶ μάλιστα ἐπὶ σοφίᾳ, ἢ εὐδαιμονίᾳ. καὶ οἱ φιλότιμοι φθονερώτεροι τῶν

ἀφιλοτίμων, καὶ οἱ δοξόσοφοι. φιλότιμοι γὰρ ἐπὶ σοφίᾳ, καὶ οἱ ὅλως φιλόδοξοι περί τι, φθονεροὶ περὶ τοῦτο, καὶ οἱ μικρόψυχοι. πάντα γὰρ αὐτοῖς δοκεῖ μεγάλα εἶναι. ἐφ' οἷς δὲ φθονοῦσι, τὰ μὲν ἀγαθὰ, εἴρηται. ἐφ' ὅσοις γὰρ φιλοδοξοῦσι, καὶ φιλοτιμοῦνται ἔργοις, καὶ ὀρέγονται δόξης, καὶ ὅσα εὐτυχήματά ἐστι, σχεδὸν περὶ πάντα φθόνος ἐστὶ, καὶ μάλιστα, ὧν αὐτοὶ ἢ ὀρέγονται, ἢ οἴονται δεῖν αὐτοὺς ἔχειν, ἢ ὧν αὐτοὶ τῇ κτήσει μικρῷ ὑπερέχουσιν, ἢ μικρῷ ἐλλείπουσι. φανερὸν δὲ καὶ οἷς φθονοῦσιν· ἅμα γὰρ εἴρηται. τοῖς γὰρ ἐγγὺς καὶ χρόνῳ, καὶ τόπῳ, καὶ ἡλικίᾳ, καὶ δόξῃ φθονοῦσιν, ὅθεν εἴρηται· τὸ συγγενὲς γὰρ, καὶ φθονεῖν ἐπίσταται. καὶ πρὸς οὓς φιλοτιμοῦνται. φιλοτιμοῦνται μὲν γὰρ πρὸς τοὺς εἰρημένους. πρὸς δὲ τοὺς μυριοστὸν ἔτος ὄντας, ἢ πρὸς τοὺς ἐσομένους, ἢ τεθνεῶτας οὐδείς. οὐδὲ πρὸς τοὺς ἐφ' Ἡρακλείαις στήλαις. οὐδ' ὧν πολὺ οἴονται παρὰ αὐτοῖς ἢ παρὰ τοῖς ἄλλοις λείπεσθαι. οὐδ' ὧν πολὺ ὑπερέχειν, ὡσαύτως καὶ πρὸς

non ſtudioſi.[5] Et qui ſequuntur ſapientiæ gloriam: ſtudioſi enim ſunt honoris ob ſapientiã.[6] Et omnino qui amant gloriam aliqua in re, ſunt inuidentiores in ea.[7] Et puſillanimi: omnia n. ipſis videntur magna eſſe. Ob quæ vero inuideant bona, dictum eſt.[1] In quib. n. amant gloriã, & de honore contendunt, operib. & hominum aucupantur opinionem.[2] Et quæcunq; bonę fortunę euẽtus ſunt, ferme in omnib. inuidia eſt.[3] Et maxime, quæ ipſi aut appetunt, aut putant oportere ſe habere.[4] Aut in quib. ipſi poſſeſſione paulliſper ſuperant, aut paulliſper deſpiciunt.[1] Apparet vero etiam quib. inuideant: ſimul enim dictum eſt. ijs enim, qui propinqui ſunt & tempore, & loco, & ætate, & exiſtimatione inuident. Vnde dictum eſt, Quod enim cognatum eſt, etiam inuidere ſcit.[2] Et quibuſcum de honore contendunt. Nã de honore contendunt cũ ijs, qui dicti ſunt. cũ ijs vero, qui abhinc decẽ millia ãnorũ erãt, aut cũ ijs, q erũt, aut cũ mortuis, nemo, neque cũ ijs, qui ſunt ad Herculeas colũnas, neq; à quib. longo interuallo putant ſe ſuo, aut aliorum iudicio relinqui. neq; quib. ſe longe pręſtare, eodem modo & cum

his, & de talibus. Quoniam vero cum ijs, qui competitores ſunt, & riuales, & omnino cum ijs, qui eadem appetunt, de honore concertant; neceſſe eſt his maxime inuidere. vnde dictum eſt; Et figulus figulo. [3] Et ijs, qui celeriter, aut qui vix adepti ſunt, aut qui nequaquam adepti ſunt, inuident. [4] Et quibus conſecutis, aut recte agentibus dedecus ipſis eſt. Sunt autem iſti, qui propinqui ſunt, qui ſimiles. Manifeſtum enim eſt ipſorum culpa eos non adipiſci, quod bonum eſt. Quare hoc cum moleſtum ſit, efficit inuidiam. [5] Et ijs, qui habent ea, aut conſecuti ſunt, quæ ipſis conueniebant, aut conſecuti fuerant olim. Quã obrem ſeniores iunioribus. [6] Et qui multos ſumptus fecerunt in idem, ijs, qui paucos inuident. Iam vero manifeſta ſunt etiam ea, propter quæ gaudent tales, & in quibus & quomodo ſe habentes. Vt enim non habentes moleſtia afficiuntur: ſic habentes ex contrarijs voluptatem percipient. Quare ſi ipſi ita cõformati fuerint, & illi, qui digni, quib. miſericordia habeatur, aut conſequãtur aliquid boni, exiſtimantur, ſint tales, quales illi, qui dicti ſunt: patet eos non eſſe conſecuturos miſericordiam à principibus.

τούτους, καὶ περὶ τὰ τοιαῦτα. ἐπειδὴ δὲ πρὸς τοὺς ἀνταγωνιστὰς καὶ ἀντεραστὰς, καὶ ὅλως τοὺς τῶν αὐτῶν ἐφιεμένους φιλοτιμοῦνται, ἀνάγκη τούτοις μάλιστα φθονεῖν. ὅθεν εἴρηται, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ. καὶ τοῖς ταχὺ, ἢ οἱ μόλις τυχόντες, ἢ μὴ τυχόντες, φθονοῦσι. καὶ ὧν κεκτημένων ἢ κατορθούντων ὄνειδος αὐτοῖς. εἰσὶ δὲ καὶ οὗτοι, ἐγγὺς ὅμοιοι. δῆλον γὰρ ὅτι παρ' αὐτοὺς, οὐ τυγχάνουσι τοῦ ἀγαθοῦ. ὥστε τοῦτο λυποῦν ποιεῖ τὸν φθόνον. καὶ τοῖς ἢ ἔχουσι ταῦτα ἢ κεκτημένοις, ἃ αὐτοῖς προσῆκεν ἢ ἐκέκτηντό ποτε. διὸ πρεσβύτεροι νεωτέροις, καὶ οἱ πολλὰ δαπανήσαντες εἰς τὸ αὐτὸ τοῖς ὀλίγα φθονοῦσι. δῆλα δὴ καὶ ἐφ' οἷς χαίρουσιν οἱ τοιοῦτοι, καὶ ἐπὶ τίσι, καὶ πῶς ἔχοντες. ὡς γὰρ μὴ ἔχοντες λυποῦνται, οὕτως ἔχοντες ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις ἡσθήσονται. ὥστε ἂν αὐτοὶ μὲν παρασκευασθῶσιν οὕτως ἔχειν, οἱ δ' ἐλεεῖσθαι, ἢ τυγχάνειν τινὸς ἀγαθοῦ, ἀξιούμενοι ὦσιν, οἷοι οἱ εἰρημένοι, δῆλον ὡς οὐ τεύξονται ἐλέου παρὰ τῶν κυρίων.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ ια.

ΠΩ͂Σ δ' ἔχουσι οἱ ζηλοῦντες καὶ τὰ ποῖα, καὶ ἐπὶ τίσιν, ἐνθένδ' ἐστὶ δῆλον. εἰ γάρ ἐστι ζῆλος λύπη τις ἐπὶ φαινομένῃ παρουσίᾳ ἀγαθῶν ἐντίμων καὶ ἐνδεχομένων αὐτῷ λαβεῖν περὶ τοὺς ὁμοίους τῇ φύσει, οὐχ ὅτι ἄλλῳ, ἀλλ' ὅτι οὐχὶ καὶ αὐτῷ ἐστι. διὸ καὶ ἐπιεικές ἐστιν ὁ ζῆλος, καὶ ἐπιεικῶν· τὸ δὲ φθονεῖν φαῦλον καὶ φαύλων. ὁ μὲν γὰρ ἑαυτὸν παρασκευάζει διὰ τὸν ζῆλον τυγχάνειν τῶν ἀγαθῶν· ὁ δὲ, τὸν πλησίον μὴ ἔχειν διὰ τὸν φθόνον. ἀνάγκη δὴ ζηλωτικοὺς εἶναι τοὺς ἀξιοῦντας ἑαυτοὺς ἀγαθῶν ὧν μὴ ἔχουσιν. οὐδεὶς γὰρ ἀξιοῖ τὰ φαινόμενα ἀδύνατα. διὸ οἱ νέοι καὶ οἱ μεγαλόψυχοι τοιοῦτοι, καὶ οἷς ὑπάρχει τοιαῦτα ἀγαθὰ, ἃ τῶν ἐντίμων ἄξιά ἐστιν ἀνδρῶν. ἔστι γὰρ ταῦτα πλοῦτος, καὶ πολυφιλία, καὶ ἀρχαὶ, καὶ ὅσα τοιαῦτα. ὡς γὰρ προσῆκει αὐτοῖς ἀγαθοῖς εἶναι, ὅτι προσήκειν τοῖς ἀγαθῶς ἔχουσι ζηλοῦσι, τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν, καὶ οὓς οἱ ἄλλοι ἀξιοῦσι, καὶ ὧν πρόγονοι, ἢ συγγενεῖς, ἢ οἰ-

CAPVT XI.

Quomodo autem ſe habeant æmulantes, & qualia æmulentur, & quibus, hinc conſtat. Si enim eſt æmulatio moleſtia quædam propter eam, quæ apparet, præſentiam bonorum honoratorum, & eorum, quæ contingit ipſi aſſumere in ſimilibus natura, non quòd alij, ſed quòd non etiam ipſi ſint. (Quāobrem & bona eſt æmulatio, & bonorū: inuidere vero malū & malorū. ille n. ſe præparat propter æmulationem ad bona adipiſcenda: hic vero, ne proximus habeat, propter inuidiam.) [1] Neceſſe profectò eſt, procliues ad æmulandum eſſe exiſtimantes dignos ſe bonis, quæ non habent. Nemo enim ſe dignum exiſtimat ijs quæ apparet fieri non poſſe. Quamobrem iuuenes, & magnanimi tales. [2] Et quibus adſunt talia bona, quæ honoratis digna ſunt viris. Sunt enim hæc diuitiæ, & multorum amicitia, & magiſtratus, & quæcunque talia. quaſi enim conueniat ipſis probis eſſe, quia conueniunt probe ſe habentibus, æmulantur talia ex bonis. [3] Et quos alij dignos exiſtimant. [4] Et quorum proaui, aut

in contentionibus anguſtæ apparent: quæ oratorum bene habitæ vulgares in manibus. Cauſſa autem eſt, quod in contentione conueniunt. Quare etiam quæ actione valent, ablata actione non obeuntia ſuum munus, apparent inſulſa. + Vt & diſſoluta. & ſæpe idem dicere in ſcriptione recte repudiatur: in contentione vero etiam oratores vſurpant. id enim actione valet. Neceſſe vero eſt immutare idem dicentes. quod viam facit actioni. Iſte autem eſt, qui expilauit vos. Iſte eſt, qui decepit. Iſte eſt, qui poſtremum prodere conatus eſt. vt Philemon hiſtrio fecit in Anaxandridæ Gerontomania, cum loquitur Rhadamanthus, & Palamedes. Et in prologo Piorum, illud Ego. Si enim quis hæc non adiuuet actione, fit is, qui trabem geſtat. Et diſſoluta eodem modo; Veni, Occurri, Rogaui. Neceſſe enim eſt actione adiuuare, & non, quemadmodum qui vnum dicit, iiſdem moribus & tono dicere. Præterea habent proprij aliquid diſſoluta: in æquali enim tempore multa videntur dicta eſſe. Nam coniunctio vnum facit

κἂν ἐν τοῖς ἀγῶσι στενοὶ φαίνονται· οἱ δὲ τῶν ῥητόρων εὖ λεχθέντες, ἰδιωτικοὶ ἐν ταῖς χερσίν. αἴτιον δ' ὅτι, ἐν τῷ ἀγῶνι ἁρμόζει. διὸ καὶ τὰ ὑποκριτικὰ ἀφῃρημένης τῆς ὑποκρίσεως οὐ ποιοῦντα τὸ αὑτῶν ἔργον, φαίνεται εὐήθη· οἷον τά τε ἀσύνδετα. καὶ πολλάκις τὸ αὐτὸ εἰπεῖν ἐν τῇ γραφικῇ, ὀρθῶς ἀποδοκιμάζεται, ἐν δὲ ἀγωνιστικῇ καὶ οἱ ῥήτορες χρῶνται. ἔστι γὰρ ὑποκριτική. ἀνάγκη δὲ μεταβάλλειν τὸ αὐτὸ λέγοντες, ὅπερ ὁδοποιεῖ τῷ ὑποκρίνεσθαι. οὗτος δὲ ὁ κλέψας ὑμῶν, οὗτος ἐστὶν ὁ ἐξαπατήσας, οὗτος ὁ τὸ ἔσχατον προδοῦναι ἐπιχειρήσας· οἷον καὶ φιλήμων ὁ ὑποκριτὴς ἐποίει ἔν τε τῇ ἀναξανδρίδου γεροντομανίᾳ, ὅτε λέγει ῥαδάμανθος καὶ παλαμήδης. καὶ ἐν τῷ προλόγῳ τῶν εὐσεβῶν, τὸ ἐγώ. ἐὰν γὰρ τις τὰ τοιαῦτα μὴ ὑποκρίνηται, γίνεται ὁ τὴν δοκὸν φέρων. καὶ τὰ ἀσύνδετα ὡσαύτως· ἦλθον, ἀπήντησα, ἐδεόμην. ἀνάγκη γὰρ ὑποκρίνεσθαι, καὶ μὴ ὡς ἓν λέγοντα τῷ αὐτῷ ἤθει καὶ τόνῳ εἰπεῖν. ἔτι ἔχει ἴδιόν τι τὰ ἀσύνδετα. ἐν ἴσῳ γὰρ χρόνῳ πολλὰ δοκεῖ εἰρῆσθαι. ὁ γὰρ σύνδε-

σμος ἓν ποιεῖ τὰ πολλά. ὥστε ἐὰν ἐξαιρεθῇ, δῆλον ὅτι ἔσαι τὸ ἓν πολλὰ τοὐναντίον. ἔχει οὖν αὔξησιν· ἦλθον, διελέχθην, ἱκέτευσα πολλά. δοκεῖ δὲ ὑπεριδεῖν ὅσα εἶπον, ὅσα φημί. τοῦτο δὲ βούλεται ποιεῖν καὶ Ὅμηρος, ἐν τῷ Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν, Νιρεὺς Ἀγλαΐης, Νιρεὺς ὃς κάλλιστος. περὶ οὗ γὰρ πολλὰ εἴρηται, ἀνάγκη καὶ πολλάκις εἰρῆσθαι. εἰ οὖν καὶ πολλάκις, καὶ πολλὰ δοκεῖ. ὥστε ηὔξησεν ἅπαξ μνησθεὶς διὰ τὸν παραλογισμόν, καὶ μνήμην πεποίηκεν, οὐδαμοῦ ὕστερον αὐτοῦ λόγον ποιησάμενος. ἡ μὲν οὖν δημηγορικὴ λέξις, καὶ παντελῶς ἔοικε τῇ σκιαγραφίᾳ. ὅσῳ γὰρ ἂν πλείων ᾖ ὁ ὄχλος, πορρώτερον ἡ θέα. διὸ τὰ ἀκριβῆ περίεργα καὶ χείρω φαίνεται ἐν ἀμφοτέροις. ἡ δὲ δίκη, ἀκριβέστερον. ἔτι δὲ μᾶλλον ἡ ἑνὶ κριτῇ. ἐλάχιστον γάρ ἐστιν ἐν ῥητορικοῖς. εὐσύνοπτον γὰρ μᾶλλον τὸ οἰκεῖον τοῦ πράγματος, καὶ τὸ ἀλλότριον, καὶ ὁ ἀγὼν ἄπεστιν. ὥστε καθαρὰ ἡ κρίσις. διὸ οὐχ οἱ αὐτοὶ ἐν πᾶσι τούτοις εὐ-

facit, ea quæ ſunt multa. Quamobrem ſi auferatur, manifeſtum eſt fore id, quod vnum eſt, multa è conuerſo. Habet igitur amplificationem, Veni, Narraui, Supplicaui, multa ſunt. Videtur autem negligere, quæcunque dixi, quæcunque aio. Atque id vult facere etiam Homerus in illo; Nireus autem ex Simo: Nireus Aglaiæ filius: Nireus, qui pulcherrimus. de quo enim multa dicta ſunt, neceſſe eſt & ſæpe eum dictum eſſe. Si igitur & ſæpe, etiam multa videntur. Quare amplificauit, cum ſemel eum meminerit, propter fallaciam; & memoriam prodidit, etiamſi haud quaquam poſterius de ipſo ſermonem habuerit. [5] Ac deliberatiua quidem elocutio, etiam omnino ſimilis eſt vmbratili picturæ. Quo enim amplior ſit turba, eò longius ſpectatur. Quamobrem quæ exquiſita ſunt, ſuperuacanea, & peiora apparent in vtriſque. [6] Iudicium vero accuratius eſt. Præterea maiorem curam requirit, quod ad vnum iudicem pertinet. Minimum enim eſt in oratoriis: quia magis conſpici poteſt, quod eſt propriũ rei, & quod alienum. Ac contentio abeſt, vt ſincera iudicatio ſit. Quamobrem non iidem in omnibus iis probantur oratores:

verum vbi maxime eſt opus actione, ibi minimum diligentia requiritur. hoc autem, vbi voce: & maxime, vbi magna. [7] Ac demonſtratiua quidem elocutio ſcriptioni accommodatiſſima eſt: opus enim ipſius eſt lectio. Secundo autem loco eſt iudicialis. [8] Diuidere vero elocutionem, vt ſuauem oporteat eſſe, & magnificam, inane eſt. Cur enim magis, quàm temperantem & liberalem, & ſi qua alia eſt morum virtus? Nam, vt ſuauis ſit, facient profectò ea, quæ dicta ſunt, ſi modo rectè definita eſt virtus elocutionis. Cuius enim rei cauſſa oportet perſpicuam, & non humilem eſſe, ſed decoram? ſi enim nugatoria eſt, non eſt dilucida: neque, ſi conciſa. ſed profectò medium conuenit. & ſuauem, quæ dicta ſunt, efficient, ſi bene ſint temperata; vſitatum & peregrinum, & rhythmus, & appoſitum ad perſuadendum ex decoro. Ac de elocutione quidem dictum eſt, & communiter de omnibus & ſingillatim de vnoquoque genere.

δοκιμοῦσι ῥήτορες. ἀλλ' ὅπου μάλιστα ὑποκρίσεως, ἐνταῦθα ἥκιστα ἀκρίβεια ἔνι. τοῦτο δέ, ὅπου φωνῆς, καὶ μάλιστα ὅπου μεγάλης. ἡ μὲν οὖν ἐπιδεικτικὴ λέξις, γραφικώτατον. τὸ γὰρ ἔργον αὐτῆς, ἀνάγνωσις. δευτέρα δέ, ἡ δικανική. τὸ δὲ προσδιαιρεῖσθαι τὴν λέξιν ὅτι ἡδεῖαν δεῖ καὶ μεγαλοπρεπῆ, περίεργον. τί γὰρ μᾶλλον ἢ σώφρονα καὶ ἐλευθέριον, καὶ εἴ τις ἄλλη ἤθους ἀρετή; τὸ γὰρ ἡδεῖαν εἶναι ποιήσει δηλονότι τὰ εἰρημένα, εἴπερ ὀρθῶς ὥρισται ἡ ἀρετὴ τῆς λέξεως. τίνος γὰρ ἕνεκα δεῖ σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι, ἀλλὰ πρέπουσαν; ἄν τε γὰρ ἀδολεσχῇ, οὐ σαφής, οὐδὲ ἂν σύντομος· ἀλλὰ δηλονότι τὸ μέσον ἁρμόττει. καὶ τὸ ἡδεῖαν τὰ εἰρημένα ποιήσει, ἂν εὖ μιχθῇ τὸ εἰωθὸς, καὶ ξενικόν, καὶ ὁ ῥυθμὸς, καὶ τὸ πιθανὸν ἐκ τοῦ πρέποντος. περὶ μὲν οὖν τῆς λέξεως εἴρηται καὶ κοινῇ περὶ ἁπάντων, καὶ ἰδίᾳ περὶ ἕκαστον γένος.

CAPVT XIII.

Reliquũ eſt, vt de diſpoſitione dicamus. Sunt aũt orationis duæ partes. Ne-

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ ιγ.

Λοιπὸν δὲ, περὶ τάξεως εἰπεῖν. ἔστι δὲ τοῦ λόγου δύο μέρη· ἀναγ-

ἀναγκαῖον γὰρ τό τε πρᾶγμα εἰπεῖν περὶ οὗ, καὶ τοῦτ' ἀποδεῖξαι. διὸ εἰπόντα μὴ ἀποδεῖξαι, ἢ ἀποδεῖξαι μὴ προειπόντα, ἀδύνατον. ὅ τε γὰρ ἀποδεικνύων, τὶ ἀποδείκνυσι· καὶ ὁ προλέγων, ἕνεκα τοῦ ἀποδεῖξαι προλέγει. τούτων δὲ, τὸ μὲν, πρόθεσίς ἐστι· τὸ δὲ, πίστις. ὥσπερ ἂν εἴ τις διέλοι. ὅτι τὸ μὲν, πρόβλημα· τὸ δὲ, ἀπόδειξις. νῦν δὲ διαιροῦσι γελοίως. διήγησις γάρ που τοῦ δικανικοῦ λόγου μόνου ἐστίν· ἐπιδεικτικοῦ δὲ καὶ δημηγορικοῦ, πῶς ἐνδέχεται διήγησιν εἶναι, ἣν λέγουσιν, ἢ τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον, ἢ ἐπίλογον τῶν ἀποδεικτικῶν. προοίμιον δὲ καὶ ἀντιπαραβολὴ, καὶ ἐπάνοδος, ἐν ταῖς δημηγορίαις τότε γίνεται, ὅταν ἀντιλογία ᾖ. καὶ γὰρ ἡ κατηγορία καὶ ἡ ἀπολογία πολλάκις, ἀλλ' οὐχ ἡ συμβουλή. ἀλλ' ὁ ἐπίλογος ἔτι οὐδὲ δικανικοῦ παντός· οἷον ἐὰν μικρὸς ὁ λόγος, ἢ τὸ πρᾶγμα εὐμνημόνευτον. συμβαίνει γὰρ τοῦ μήκους ἀφαιρεῖσθαι. ἀναγκαῖα ἄρα μόρια, πρόθεσις, καὶ πίστις· ἴδια μὲν οὖν ταῦτα· τὰ δὲ πλεῖστα, προοίμιον, πρόθεσις,

ceſſarium enim eſt & rem dicere, qua de agitur, & eam demonſtrare. Quare, vt dicens non demonſtret, aut demonſtret non prius dicens, fieri non poteſt. Nam demonſtrans, aliquid demonſtrat: & præloquens cauſſa demonſtrandi præloquitur. Horum autem illud propoſitio eſt: hoc fides; quemadmodum ſi quis diſtingueret, illud quidem problema: hoc vero demonſtrationem eſſe. [2] Iam vero diuidunt ridicule. Narratio enim iudicialis orationis ſolius eſt: demonſtratiuæ autem, & deliberatiuæ quomodo contingit narrationem eſſe, qualem dicunt? aut quæ ſunt contra aduerſarium? aut perorationem demonſtratiuarum? Procœmium vero, & aduerſa collatio, & repetitio in deliberatiuis tunc fit, cum contradictio adſit. Etenim accuſatio & defenſio ſępe adhibentur: ſed non quatenus conſultatio eſt. Quin peroratio etiam non eſt iudicialis omnis, vt ſi parua oratio ſit, aut res facile ſub memoriā cadat. [3] Cōtingit n. ex lōgitudine āputari. Neceſſarię igitur particulę ſunt ꝓpoſitio, & Fides. Ac propriæ quidem hæ: plurimæ vero procœmium, propoſitio,

Fides, Peroratio [4] Quæ enim contra aduerſarium ſunt, ad fidem pertinent. Et aduerſa collatio, amplificatio eſt eorum, quæ ſua ſunt, vt loco partis cuiuſdam eam contineat fides: demonſtrat enim aliquid faciens hoc: ſed non procœmium: neque peroratio: verum in memoriam redigit. [5] Erit igitur, ſi quis has diuidat, vt faciebant ſectatores Theodori, narratio altera, & ſupernarratio, & prænarratio, & refutatio, & ſuperrefutatio. At oportet eos, qui formam aliquam dicunt, & differentiam, nomen ponere. Alioqui fit inane, & nugatorium; vt Lycimnius facit in arte, Irruptionem nominãs, & Aberrationem, & Ramos.

πίστις, ἐπίλογος. τὰ γὰρ πρὸς τὸν ἀντίδικον, τῶν πίστεών ἐστι. καὶ ἡ ἀντιπαραβολὴ, αὔξησις τῶν αὐτοῦ. ὥστε μέρος τι τῶν πίστεων. ἀποδείκνυσι γάρ τι ὁ ποιῶν τοῦτο, ἀλλ' οὐ τὸ προοίμιον. οὐδ' ὁ ἐπίλογος, ἀλλ' ἀναμιμνήσκει. ἔσται οὖν, ἄν τις τὰ τοιαῦτα διαιρῇ, ὅπερ ἐποίουν οἱ περὶ Θεόδωρον, διήγησις ἕτερον, καὶ ἡ ἐπιδιήγησις καὶ προδιήγησις, καὶ ἔλεγχος, καὶ ἐπέλεγχος. δεῖ δὲ εἶδός τι λέγοντα καὶ διαφορὰν, ὄνομα τίθεσθαι. εἰ δὲ μὴ, γίνεται κενὸν καὶ ληρῶδες· οἷον Λικύμνιος ποιεῖ ἐν τῇ τέχνῃ, ἐπούρωσιν ὀνομάζων, καὶ ἀποπλάνησιν, καὶ ὄζους.

CAPVT XIIII.

AC procœmium quidem eſt principium orationis; vt in Poëſi Prologus: & in Auleſi Proaulium: omnia enim principia hæc ſunt, & tanquam viæ munitio inuadenti. Ac eſt quidem Proaulium ſimile demõſtratiuarum procœmio. Etenim tibicines quodcunque poſſunt canere, id præcinentes copulant cum en-

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ιδ.

ΤΟ μὲν οὖν προοίμιόν ἐστιν ἀρχὴ λόγου, ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος, καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον. πάντα γὰρ ἀρχαὶ ταῦτ' εἰσί. καὶ οἷον ὁδοποίησις τῷ ἐπιόντι. τὸ μὲν οὖν προαύλιον, ὅμοιον τῷ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοιμίῳ. καὶ γὰρ οἱ αὐληταὶ, ὅ τι ἂν ἔχωσιν αὐλῆσαι, τοῦτο προαυλίσαντες, συνῆψαν τῷ ἐνδοσίμῳ, καὶ ἐν τοῖς ἐπιδεικτι-

ἐπιδεικτικοῖς λόγοις δεῖ οὕτω γράφειν. ὅ τι γὰρ ἂν βούληται εὐθὺς εἰπόντα, ἐνδοῦναι καὶ συνάψαι. ὅπερ πάντες ποιοῦσι παράδειγμα τὸ τῆς Ἰσοκράτους ἑλένης προοίμιον. οὐδὲν γὰρ οἰκεῖον ὑπάρχει τοῖς ἐριστικοῖς καὶ ἑλένῃ. ἅμα δὲ καὶ ἐὰν ἐκτοπίσῃ, ἁρμόττει μὴ ὅλον τὸν λόγον ὁμοειδῆ εἶναι. λέγεται δὲ τὰ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοίμια ἐξ ἐπαίνου ἢ ψόγου· οἷον γοργίας μὲν ἐν τῷ ὀλυμπικῷ λόγῳ, ὑπὸ πολλῶν ἄξιοι θαυμάζεσθαι ὦ ἄνδρες ἕλληνες. ἐπαινεῖ γὰρ τοὺς τὰς πανηγύρεις συνάγοντας, ἰσοκράτης δὲ ψέγει, ὅτι τὰς μὲν τῶν σωμάτων ἀρετὰς, δωρεαῖς ἐτίμησαν. τοῖς δ' εὖ φρονοῦσιν, οὐδὲν ἆθλον ἐποίησαν. καὶ ἀπὸ συμβουλῆς· οἷον ὅτι δεῖ τοὺς ἀγαθοὺς τιμᾶν. διὸ καὶ αὐτὸς ἀριστείδην ἐπαινεῖ, ἢ τοὺς τοιούτους, οἳ μήτε εὐδοκιμοῦσι, μήτε φαῦλοι, ἀλλ' ὅσοι ἀγαθοὶ ὄντες ἄδηλοι, ὥσπερ ἀλέξανδρος ὁ πριάμου. οὗτος γὰρ συμβουλεύει. ἔτι δ' ἐκ τῶν δικανικῶν προοιμίων. τοῦτο δ' ἐστὶν, ἐκ τῶν πρὸς τὸν ἀκροατὴν, εἰ περὶ παραδόξου λόγος, ἢ περὶ χαλε-

doſimo : & in demonſtratiuis orationibus oportet ſic ſcribere. quidquid enim velit, ſtatim dicentem adnectere, & copulare cuius rei omnes faciunt exemplum Iſocratis in encomio Helenæ proœmium. Nihil enim propinqui eſt contentioſis, & Helenæ. Simul vero etiam ſi digredietur, conuenit non totam orationem vnius generis eſſe. Ducuntur autem demonſtratiuorum proœmia, ex laude, aut vituperatione ; vt Gorgias in Olympica oratione ; Ob multa digni ſunt, qui ſuſpiciantur, ô viri Græci. Laudat enim conciliabula cogentes. Iſocrates vero vituperat, quod corporum quidem virtutes donis honorarunt : at prudentibus nullum præmium conſtituerunt. Et à deliberatione, vt Oportet probos honorare. Quamobrem & ipſe Ariſtidem laudat. Aut tales, qui neque celebres ſunt : neque improbi : ſed quicunque cum probi ſint, obſcuri ſunt, vt Alexander Priami filius. Hic enim deliberat. Præterea vero ex iudicialibus proœmiis, hoc eſt ex iis, quæ referuntur ad auditorem, ſi de re præter opinionem habeatur oratio, aut de difficili, aut de

peruulgata, vt veniam dent; quemadmodum Chœrilus; Nunc vero cum omnia iam vulgata. Ac demonſtratiuarum quidem ducuntur procemia ex his; ex laude, ex vituperatione, ex ſuaſione, ex diſſuaſione, ex iis, quæ referuntur ad auditorem. Oportet vero aut aliena, aut propinqua eſſe endoſima orationi. At iudicialis procemia aſſumendum eſt idem valere, quod dramatum valent prologi, & Epicorum procemia. Nam quæ ſunt Dithyramborum ſimilia ſunt demonſtratiuis. propter te, & tua dona, ſiue ſpolia. In logis autem, & Epicis ſpecimen eſt orationis, vt prouideant, de quo fit oratio, & non ſuſpenſa ſit mentis agitatio: quod enim indefinitum eſt, cogit vagari. qui igitur dat, vt in manus, principium, facit, vt hærens ſequatur orationem. Ob id, Iram Diua cane. Dic mihi Muſa virum. præcipe mihi ſermonem alium, vt ex Aſia venit in Europam bellum magnum. Et Tragici indicant in dramate, quamuis non ſtatim, vt Euripides. ſed in prologo tamen indicat, vt etiam

τοῦ, ἢ περὶ τεθρυλλημένου πάλαι, ὥστε συγγνώμην ἔχειν· οἷον χοιρίλος· νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται. τὰ μὲν οὖν τῶν ἐπιδεικτικῶν λεγόμενα προοίμια, ἐκ τούτων, ἐξ ἐπαίνου, ἐκ ψόγου, ἐκ προτροπῆς, ἐξ ἀποτροπῆς, ἐκ τῶν πρὸς τὸν ἀκροατήν. δεῖ δὲ ἢ ξένα ἢ οἰκεῖα εἶναι τὰ ἐνδόσιμα τῷ λόγῳ. τὰ δὲ τοῦ δικανικοῦ προοίμια, δεῖ λαβεῖν, ὅτι ταὐτὸ δύναται ὅπερ τῶν δραμάτων οἱ πρόλογοι, καὶ τῶν ἐπῶν τὰ προοίμια. τὰ μὲν γὰρ τῶν διθυράμβων, ὅμοια τοῖς ἐπιδεικτικοῖς, διὰ σέ, καὶ τεὰ δῶρα εἴτε σκῦλα. ἐν δὲ τοῖς λόγοις καὶ ἔπεσι δεῖγμά ἐστι τοῦ λόγου, ἵνα προειδῶσι περὶ οὗ ἦν ὁ λόγος, καὶ μὴ κρέμαται ἡ διάνοια. τὸ γὰρ ἀόριστον, πλανᾷ. ὁ δοὺς οὖν ὥσπερ εἰς τὴν χεῖρα τὴν ἀρχὴν ποιεῖ ἐχόμενον ἀκολουθεῖν τῷ λόγῳ. διὰ τοῦτο, μῆνιν ἄειδε θεά. ἄνδρά μοι ἔννεπε μοῦσα. ἡγεό μοι λόγον ἄλλον, ὅπως ἀσίας ἀπὸ γαίης ἦλθεν ἐς εὐρώπην πόλεμος μέγας. καὶ οἱ τραγικοὶ δηλοῦσι περὶ τὸ δρᾶμα κἂν μὴ εὐθύς, ὥσπερ εὐριπίδης. ἀλλ' ἐν τῷ προλόγῳ γέ που δηλοῖ, Sophocles; Mihi pater fuit Polybus.

ὥσπερ καὶ σοφοκλῆς. ἐμοὶ πατὴρ ἦν πόλυβος. καὶ ἡ κωμῳδία ὡσαύτως. τὸ μὲν οὖν ἀναγκαιότατον ἔργον τοῦ προοιμίου καὶ ἴδιον τοῦτο, δηλῶσαι τὸ τέλος οὗ ἕνεκα ὁ λόγος. διόπερ ἂν δῆλον ᾖ καὶ μικρὸν τὸ πρᾶγμα, οὐ χρηστέον προοιμίῳ. τὰ δὲ ἄλλα εἴδη οἷς χρῶνται, ἰατρεύματα καὶ κοινά. λέγεται δὲ ταῦτα, ἔκ τε τοῦ λέγοντος, καὶ τοῦ ἀκροατοῦ, καὶ τοῦ πράγματος, καὶ τοῦ ἐναντίου. περὶ αὐτοῦ μέντοι καὶ τοῦ ἀντιδίκου, ὅσα περὶ διαβολὴν λῦσαι καὶ ποιῆσαι. ἔστι δὲ οὐχ ὁμοίως. ἀπολογουμένῳ μὲν γάρ, πρῶτον τὰ πρὸς διαβολήν, κατηγοροῦντι δ' ἐν τῷ ἐπιλόγῳ. διὸ δὲ οὐκ ἄδηλον. τὸν μὲν γὰρ ἀπολογούμενον, ὅταν μέλλῃ εἰσάξειν αὐτόν, ἀναγκαῖον ἀνελεῖν τὰ κωλύοντα. ὥστε λυτέον πρῶτον τὴν διαβολήν. τῷ δὲ διαβάλλοντι, ἐν τῷ ἐπιλόγῳ διαβλητέον, ἵνα μνημονεύωσι μᾶλλον. τὰ δὲ πρὸς τὸν ἀκροατήν, ἔκ τε τοῦ εὔνουν ποιῆσαι, καὶ τοῦ ὀργίσαι. καὶ ἐνίοτε δὲ ἐκ τοῦ προσεκτικόν, ἢ τοὐναντίον. οὐ γὰρ αἰεὶ συμφαίρει ποιεῖν προσεκτικόν. διὸ πολλοὶ εἰς γέλωτα πει

Polybus. Et Comœdia ſimiliter. [a] Ac maxime quidem neceſſarium munus prooemij, & proprium eſt hoc, indicare finem, cuius gratia ſit oratio. Quamobrem ſi manifeſta ſit, & parua res, non eſt vtendum procœmio. Aliæ vero formæ, quibus vtuntur, medicamenta ſunt, & communia. Ducuntur vero hæc tùm ex dicente, tùm ex auditore, tùm ex re, tùm ex aduerſario. Ab ipſo quidem, & aduerſario, quæcunque valent ad criminationem ſoluendam, & obiiciēdam. Sunt autem hęc non ſimiliter. Nā defendēti q̃dē primū ſunt ea, quæ pertinent ad criminationem. Accuſanti vero in peroratione. Quamobrem autem, non eſt incertum. Defendentem enim, cum illaturus eſt ſe ipſum, neceſſarium eſt remouere, quæ obſtant. Quare ſoluenda eſt primum criminatio. Calumnianti vero in peroratione calumniandum, vt meminerint magis. Quæ vero referuntur ad auditorem, ex eo, vt beneuolus fiat, & iratus: interdū vero etiam attentus, aut contra. Non n. ſemper prodeſt facere attentum. Quamobrem multi ad riſum conantur

adducere. Ad docilitatem omnia perducent, ſi quis velit, etiam cum probus appareat. Attendunt enim magis hos. Attenti vero redduntur magnis, propriis, admirabilibus, iucundis. Quamobrem oportet iniicere, de his orationem haberi. Sin autem non attentos velimus reddere, dicemus paruum eſſe, nihil ad illos pertinere, moleſtũ eſſe. [3] Oportet vero non latere, omnia eſſe extra orationem talia. Nam ad improbum referuntur auditorem, & quę ſunt extra rem, audientem, quoniam ſi non talis ſit, nulla de cauſſa opus ſit procœmio; niſi vt rem dicat ſummatim, vt habeat, tamquam corpus, caput. [4] Præterea attentum facere omnium partium eſt commune, ſi opus ſit: vbicunque enim langueſcunt magis, quam incipientes. Quare ridiculum eſt in principio collocare, cum maxime omnes attendentes audiunt. Quarę, vbi ſit occaſio, dicendum eſt; Et mihi adhibete animum. Neque enim magis meum, quam veſtrũ. Et, Dicam enim vobis rem, qualem nunquam aliàs audiſtis, atrocem, aut ſic admirabilem. Hoc autem eſt, vt dixit Prodic9, cum

ρῶνται προάγειν. εἰς δὲ εὐμάθειαν ἅπαντα ἀνάγει, ἐάν τις βούληται, καὶ τὸ ἐπιεικῆ φαίνεσθαι. προσέχουσι γὰρ μᾶλλον τούτοις. προσεκτικοὶ δὲ, τοῖς μεγάλοις, τοῖς ἰδίοις, τοῖς θαυμαστοῖς, τοῖς ἡδέσι. διὸ δεῖ ἐμποιεῖν, ὡς περὶ τοιούτων ὁ λόγος. ἐὰν δὲ μὴ προσεκτικοὺς, ὅτι μικρὸν, ὅτι οὐδὲν πρὸς ἐκείνους, ὅτι λυπηρόν. δεῖ δὲ μὴ λανθάνειν, ὅτι πάντα ἔξω τοῦ λόγου τὰ τοιαῦτα. πρὸς φαῦλον γὰρ ἀκροατὴν καὶ τὰ ἔξω τοῦ πράγματος ἀκούοντα. ἐπεὶ ἂν μὴ τοιοῦτος ᾖ, οὐδὲν δεῖ προοιμίου. ἀλλ' ἢ, ὅσον τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν κεφαλαιωδῶς, ἵνα ἔχῃ ὥσπερ σῶμα κεφαλήν. ἔτι τὸ προσεκτικὸν ποιεῖν πάντων τῶν μερῶν κοινὸν, ἐὰν δέῃ. πανταχοῦ γὰρ ἀνιᾶσι μᾶλλον, ἢ ἀρχόμενοι. διὸ γελοῖον ἐν ἀρχῇ τάττειν, ὅτε μάλιστα πάντες προσέχοντες ἀκροῶνται. ὥστε ὅπου ἂν ᾖ καιρὸς, λεκτέον· καί μοι προσέχετε τὸν νοῦν. οὐδὲ γὰρ μᾶλλον ἐμὸν, ἢ ὑμέτερον. καὶ ἐρῶ γὰρ ὑμῖν, οἷον οὐδεπώποτε ἀκηκόατε δεινὸν ἢ οὕτω θαυμαστόν. τοῦτο δ' ἐστὶν, ὥσπερ ἔφη Πρόδικος, ὅτε

νυστάζειν οἱ ἀκροαταὶ παρεμβάλλειν τῆς πεντηκοντοδράχμου αὐτοῖς. ὅτι δὲ πρὸς τὸν ἀκροατὴν, οὐχ ᾗ ὁ ἀκροατὴς, δῆλον. πάντες γὰρ ἢ διαβάλλουσιν, ἢ φόβους ἀπολύονται ἐν τοῖς προοιμίοις. ἄναξ, ἐρῶ μὲν, οὐχ ὅπως σπουδῆς ὕπο. τί φροιμιάζῃ. καὶ οἱ πονηρὸν δὲ τὸ πρᾶγμα ἔχοντες ἢ δοκοῦντες. πανταχοῦ γὰρ βέλτιον διατρίβειν, ἢ ἐν τῷ πράγματι. διὸ οἱ δοῦλοι, οὐ τὰ ἐρωτώμενα λέγουσιν, ἀλλὰ τὰ κύκλῳ, καὶ προοιμιάζονται. πόθεν δ᾽ εὔνους δεῖ ποιεῖν, εἴρηται, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον τῶν τοιούτων. ἐπεὶ δὲ εὖ λέγεται, δός μ᾽ ἐς Φαίηκας φίλον ἐλθεῖν, ἠδ᾽ ἐλεεινὸν. τούτων δεῖ δύο στοχάζεσθαι. ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς οἴεσθαι δεῖ ποιεῖν συνεπαινεῖσθαι τὸν ἀκροατὴν, ἢ αὐτὸν, ἢ γένος, ἢ ἐπιτηδεύματ᾽ αὐτοῦ, ἢ ἄλλως γέ πως. ὃ γὰρ λέγει Σωκράτης ἐν τῷ ἐπιταφίῳ, ἀληθὲς, ὅτι οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν, ἀλλ᾽ ἐν Λακεδαιμονίοις. τὰ δὲ τοῦ δημηγορικοῦ ἐκ τῶν τοῦ δικανικοῦ λόγου ἐστί. φύσει δὲ ἥκιστα ἔχει. καὶ γὰρ, καὶ περὶ οὗ ἴσασι, καὶ οὐδὲν

cum dormitant auditores, inferte aliquid demonſtrationis quinquaginta drachmarum ipſis.[5] Eſſe autem hæc ad auditorem, non quatenus auditor eſt, patet. Omnes enim aut criminantur, aut metus diſſoluunt in procemiis. Rex, dicam quidem, non quanto ſtudio. Quid procemiaris? Et malam cauſſam habentes, aut qui habere videntur; vbique enim melius eſt verſari, quam in cauſſa. Quamobrem ſerui haudquaquam interrogata dicunt, ſed quæ circum ſunt; & procemiantur. [6] Atque vnde beneuolos oporteat efficere, dictum eſt, & aliarum vnaquæque rerum talium. Quoniam vero probe dictum eſt, Da me ad Phæaces amicum venire, aut miſerandum, hæc oportet duo intueri. In demonſtratiuis vero oportet facere, vt collaudari putet auditor aut ſe, aut genus, aut ſtudia ipſius, aut alio aliquo modo. Quod enim dicit Socrates in Funebri, verum eſt, Non eſſe difficile Athenienſes apud Athenienſes laudare, ſed apud Lacedæmonios. Quæ vero ſunt deliberatiuæ orationis, ex generis iudicialis orationib. ſunt. Natura n. talis orat. minime

illa habet. Etenim & de quo agatur, ſciunt, & nulla de cauſſa res indiget proœmio, niſi propter ipſum, aut contradicentes, aut ſi non quantum velis exiſtiment, ſed aut maius, aut minus. Quamobrem aut criminari, aut criminationem depellere neceſſe eſt, & aut augere, aut extenuare. Horum autem cauſſa proœmio indiget. aut ornatꝰ gratia, quòd abrupta videantur, niſi illud habeant. Eiuſmodi enim eſt Gorgiæ encomium in Eleos: nullo enim connixu, nulloq́; motu ante adhibito confeſtim incipit; Elis ciuitas beata.

δεῖται προοιμίου τὸ πρᾶγμα. ἀλλ' δι' αὐτὸν, ἢ τοὺς ἀντιλέγοντας, ἢ ἐὰν μὴ ἡλίκον βούλει ὑπολαμβάνωσιν, ἀλλ' ἢ μεῖζον, ἢ ἔλαττον, διὸ ἢ διαβάλλειν, ἢ ἀπολύεσθαι ἀνάγκη, καὶ ἢ αὐξῆσαι, ἢ μειῶσαι. τούτων δ' ἕνεκα, προοιμίου δεῖται, ἢ κόσμου χάριν, ὡς αὐτοκαίδαλα φαίνεται ἐὰν μὴ ἔχῃ. τοιοῦτον γὰρ τὸ γοργίου ἐγκώμιον εἰς ἠλείους. οὐδὲν γὰρ προεξαγκωνίσας, οὐδὲ προανακινήσας εὐθὺς ἄρχεται, ἦλις πόλις εὐδαίμων.

CAPVT XV.

DE criminatione autem [1] vnum eſt, ex quibus aliquis opinionem malam detraxerit: nihil enim differt, dicenténe aliquo, an non. Quare hoc in vniuerſum eſt. [2] Alius locus tamquam iis, de quibus controuerſia eſt, occurrere, aut Non eſſe: aut Non noxium: aut Non huic: aut Non tantopere: aut Non iniuſtum: aut Non magnum: aut Nō turpe: aut Non habens magnitudinem. De his enim controuerſia eſt. vt Iphicrates aduerſus Nauſicratem. affirmauit enim ſe feciſſe:

ΚΕΦΆΛΑΙΟΝ ιε.

ΠΕρὶ δὲ διαβολῆς, ἓν μὲν τὸ ἐξ ὧν ἄν τις ὑπόληψιν δυσχερῆ ἀπολύσαιτο. οὐδὲν γὰρ διαφέρει εἴτε εἰπόντος τινὸς, εἴτε μή. ὥστε τοῦτο καθόλου. ἄλλος τόπος, ὥστε πρὸς τὰ ἀμφισβητούμενα ἀπαντᾶν, ἢ ὡς οὐκ ἔστι, ἢ ὡς οὐ βλαβερὸν, ἢ οὐ τοῦτο, ἢ ὡς οὐ τηλικοῦτον, ἢ οὐκ ἄδικον, ἢ οὐ μέγα, ἢ οὐκ αἰσχρὸν, ἢ οὐκ ἔχον μέγεθος. περὶ γὰρ τούτων ἡ ἀμφισβήτησις. ὥσπερ ἰφικράτης πρὸς ναυσικράτην. ἔφη γὰρ ποιῆσαι ὃ ἔλεγε, καὶ βλάψαι, ἀλλ' οὐκ ἀδικεῖν. ἢ ἀντικαταλλάττεσθαι ἀδικοῦντα, εἰ βλαβερὸν, ἀλλὰ καλόν.

λον. εἰ λυπηρὸν, ἀλλ' ὠφέλιμον, ἢ τι ἄλλο τοιοῦτον. ἄλλος τόπος, ὡς ἔστιν ἁμάρτημα, ἢ ἀτύχημα, ἢ ἀναγκαῖον· οἷον Σοφοκλῆς ἔφη, τρέμειν οὐχ ὡς ὁ διαβάλλων ἔφη, ἵνα δοκῇ γέρων, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης. οὐ γὰρ ἑκόντι εἶναι αὐτῷ ἔτη ὀγδοήκοντα. καὶ ἀντικαταλλάττεσθαι τὸ οὗ ἕνεκα, ὅτι οὐ βλάψαι ἐβούλετο. ἀλλὰ τόδε, καὶ οὐ τοῦτο ὃ διεβάλλετο ποιῆσαι, συνέβη δὲ βλαβῆναι. δίκαιον δὲ μισεῖν, εἰ ὅπως τοῦτο γένηται ἐποίουν. ἄλλος, εἰ ἐμπεριείληπται ὁ διαβάλλων, ἢ νῦν, ἢ πρότερον, ἢ αὐτὸς, ἢ τῶν ἐγγύς. ἄλλος, εἰ ἄλλοι ἐμπεριλαμβάνοιντο, οὓς ὁμολογοῦσι μὴ ἐνόχους εἶναι τῇ διαβολῇ· οἷον, εἰ ὅτι καθαρὸς ὁ μοιχὸς, καὶ ὁ δεῖνα καὶ ὁ δεῖνα ἄρα. ἄλλος, εἰ ἄλλους διέβαλλεν, ἢ ἄλλος αὐτούς. ἢ ἄνευ διαβολῆς ὑπελαμβάνοντο, ὥσπερ αὐτὸς νῦν, οἳ πεφήνασιν οὐκ ἔνοχοι. ἄλλος, ἐκ τοῦ ἀντιδιαβάλλειν τὸν διαβάλλοντα. ἄτοπον γὰρ εἰ ὁ αὐτὸς ἄπιστος, οἱ τούτου ἔσονται λόγοι πιστοί. ἄλλος, εἰ γέγονε κρίσις. ὥσπερ Εὐριπίδης πρὸς Ὑγιαίνοντα ἐν τῇ ἀντιδόσει κατηγοροῦντα, ὡς ἀσεβὴς, ὅς γ' ἐποίησε κελεύων

quod is dicebat; & nocuiſſe: ſed non iniuſte egiſſe. Aut compenſare eum, qui iniuſte agit, ſi noxium, at honeſtum. ſi moleſtum, at vtile; aut aliquid aliud tale.[3] Alius locus, eſſe erratum, aut infortunium, aut neceſſarium vt Sophocles dixit, ſe tremere; non, quemadmodum calumnians dixit, vt videretur ſenex, ſed ex neceſſitate. Neque enim volenti ſibi eſſe annos octoginta. Et compenſare, cuius gratiâ, quòd non nocere voluit, ſed hoc, & non illud, quod criminatus eſt feciſſe: contigit autem nocere. iuſtū vero eſſet, aduerſus me odiū eſſe, ſi, vt id fieret, cōmiſiſſem.[4] Alius, nū ſimul teneatur criminās aut nunc, aut prius, aut ipſe, aut ſuorū aliquis.[5] Alius, nū alij ſimul teneātur, quos cōfitētur nō affines eſſe criminationi. vt ſi purꝰ adulter eſt, igitur & ille, & ille.[6] Aliꝰ, nū qui criminatur, alios criminatus ſit, aut alius ipſos, aut ſine criminatione ſuſpecti fuerint, vt ipſe nunc, qui reperti ſint non affines culpæ. [7] Aliꝰ ex cōtrario crimināte criminari. Abſurdū n. eſt, ſi ipſe indignus ſit fide. eius fore ſermones fide dignos.[8] Aliꝰ, ſi factum eſt iudiciū, vt Euripides in Hygięnontē in Antidoſi accuſantem impietatis, vt qui fecit carmen, iubens pėierare.

Lingua iurauit, mens vero iniurata. Dixit n. ipſum iniuſte agere, ex Dionyſiaco certamine iudicia in forum traducentem. ibi enim ſe reddidiſſe rationem, aut redditurum, ſi voluerit accuſare. [9] Alius ex criminatione accuſare, quantum & id ſit, quod alia iudicia efficiat, & quòd non credat rei. [10] Communis autem ambobus locus eſt, notas dicere, vt in Teucro Vlyſſes, quòd affinis Priamo: Heſione enim ſoror. ille vero quòd pater inimicus Priamo, Telamon: & quòd non indicauit exploratores. [11] Alius criminanti laudando rem paruam prolixe vituperare, magnam conciſe, aut multa bona afferendo, quod ad rem pertinet, vnum vituperare. Tales autem ſunt artificioſiſſimi, & iniquiſiſſimi: bonis enim nocere conantur, miſcentes ipſa cum malo. [12] Commune etiam eſt criminanti, & defendenti, quoniam idem contingit, plurium cauſſa geſtum eſſe, vt criminanti quidem deprauandum ſit in peius arripiendo: defendenti vero, in melius; vt quòd Dio-

ἐπιορκεῖν, ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκεν, ἡ δὲ φρὴν ἀνόμοτος. ἔφη γὰρ αὐτὸν ἀδικεῖν τὰς ἐκ τοῦ διονυσιακοῦ ἀγῶνος κρίσεις, εἰς τὰ δικαστήρια ἄγοντα. ἐκεῖ γὰρ αὐτὸν δεδωκέναι λόγον ἢ δώσειν, εἰ ἐβούλετο κατηγορεῖν. ἄλλος ἐκ τῆς διαβολῆς κατηγορεῖν. ἡλίκον δὲ τοῦτο, ὅτι ἄλλας κρίσεις ποιεῖ, καὶ ὅτι οὐ πιστεύει τῷ πράγματι. κοινὸς δ' ἀμφοῖν ὁ τόπος τὸ σύμβολα λέγειν· οἷον, ἐν τῷ τεύκρῳ ὁ ὀδυσσεὺς, ὅτι οἰκεῖος τῷ πριάμῳ. ἡ γὰρ ἡσιόνη ἀδελφή· ὁ δὲ ὅτι ὁ πατὴρ ἐχθρὸς τῷ πριάμῳ, ὁ τελαμών. καὶ ὅτι οὐ κατεῖπε τῶν κατασκόπων. ἄλλος, τῷ διαβάλλοντι τῷ ἐπαινοῦντι μικρὸν μακρῶς ψέξαι, μέγα συντόμως, ἢ πολλὰ ἀγαθὰ προθέντα ὃ εἰς τὸ πρᾶγμα προφέρει ἓν ψέξαι. τοιοῦτοι δὲ οἱ τεχνικώτατοι καὶ ἀδικώτατοι. τοῖς ἀγαθοῖς γὰρ βλάπτειν πειρῶνται, μιγνύντες αὐτὰ τῷ κακῷ. κοινὸν δὲ τῷ διαβάλλοντι καὶ τῷ ἀπολογουμένῳ. ἐπεὶ τὸ αὐτὸ ἐνδέχεται πλειόνων ἕνεκα πραχθῆναι, τῷ μὲν διαβάλλοντι, κακοηθιστέον ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐκλαμβάνοντι· τῷ δὲ ἀπολυομένῳ ἐπὶ τὸ

ἐπὶ τὸ βέλτιον· οἷον ὅτι ὁ Διομήδης τὸν Ὀδυσσέα προείλετο. τῷ μὲν, ὅτι διὰ τὸ ἄριστον ὑπολαμβάνειν τὸν Ὀδυσσέα· τῷ δ' ὅτι οὔ. ἀλλὰ διὰ τὸ μόνον μὴ ἀνταγωνιστὴν ὡς φαῦλον. Καὶ περὶ μὲν διαβολῆς εἰρήσθω τοσαῦτα.

medes Vlyſſem prælegiſſet illi quidem, eò quod optimum exiſtimauit Vlyſſem: huic vero, quòd non, ſed quia ſolus non erat concertaturus, vt ignauus. Ac de criminatione quidem dicta ſint tam multa.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ ις.

Διήγησις δ' ἐν μὲν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς ἐστὶν οὐκ ἐφεξῆς, ἀλλὰ κατὰ μέρος. δεῖ μὲν γὰρ τὰς πράξεις διελθεῖν, ἐξ ὧν ὁ λόγος. σύγκειται γὰρ ἔχων ὁ λόγος, τὸ μὲν, ἄτεχνον· οὐδὲν γὰρ αἴτιος ὁ λέγων τῶν πράξεων· τὸ δ' ἐκ τῆς τέχνης. τοῦτο δ' ἐστὶ δεῖξαι, ἢ ὅτι ἐστὶν ἐὰν ᾖ ἄπιστον, ἢ ὅτι ποῖον, ἢ ὅτι πόσον, ἢ καὶ ἅπαντα. διὰ δὲ τοῦτ' ἐνίοτε, οὐκ ἐφεξῆς δεῖ διηγεῖσθαι πάντα. ὅτι δυσμνημόνευτον τὸ δεικνύναι οὕτως. ἐκ μὲν οὖν τούτων, ἀνδρεῖος, ἐκ δὲ τῶνδε, σοφὸς, ἢ δίκαιος. Καὶ ἁπλούστερος ὁ λόγος οὗτος. ἐκεῖνος δὲ, ποικίλος, καὶ οὐ λιτός. δεῖ δὲ τοὺς μὲν γνωρίμους ἀναμιμνήσκειν. διὸ οἱ πολλοὶ οὐδὲν δέονται διηγήσεως· οἷον, εἰ θέλεις Ἀχιλλέα ἐπαινεῖν. ἴσασι γὰρ πάντες τὰς πράξεις. ἀλ-

CAPVT XVI.

Narratio [1] vero in demonſtratiuis eſt non continenter, ſed ſecundum partem. [2] Oportet enim actiones perſequi, ex quibus oratio eſt: conſtituitur enim oratio, vt habeat tum id, quod vacat arte (nequaquam enim cauſſa eſt is, qui dicit, actionum) tum id, quod eſt ex arte. Hoc vero eſt demonſtrare, aut eſſe, ſi fide careat, aut quale ſit, aut quantum, aut etiam omnia. [3] Ac propterea aliquando non continenter oportet narrare omnia, quia difficulter ſub memoriam cadit demonſtrare ſic; Ac ex his quidem fortis, ex illis vero ſapiens, aut iuſtus. Et ſimplicior oratio eſt iſta: illa vero varia, & non attenuata. [4] Et oportet notos in memoriam reuocare. Quamobrem multi non indigent narratione: vt ſi velis Achillem laudare: omnes enim ſciunt eius actiones

ſed vti ipſis oportet. ſi vero Critiam, narrandum eſt; non enim multi ſciunt. [1] Nunc autem ridicule narrationem aiunt oportere eſſe breuem. Atqui vt ille piſtori interroganti, durúmne, an mollem ſubigeret, quid? bene, inquit, fieri non poteſt? ita hic ſimiliter. Oportet enim haud prolixe narrare, vt nec exordiri prolixe, nec fidem facere. Neque enim in hac parte eſt id, quod bene ſe habet, aut in breuitate, aut in conciſione, ſed in modo. Id autem eſt, dicere, quæcunque rem declarent, aut quæcunque efficiant, vt exiſtiment factum eſſe, aut nocuiſſe, aut iniuriam feciſſe, aut tanta eſſe, quanta velit: aduerſario autem contraria. [2] Ac narrationi attexere, quæcunque ad tuam virtutem pertinent, vt Ego vero admonebam, ſemper, iuſta, dicens, ne liberos deſereret. Aut ad alterius improbitatem. Ille autem reſpondit mihi, vbi ipſe fuerit, futuros eſſe alios liberos. quod deficientes Aegyptios reſpõdiſſe ait Herodotus. Aut quęcunque iucunda iudicibus.[3] Defendenti autem minor eſt narratio. Contro-

λὰ χρῆσθαι αὐταῖς δεῖ. ἐὰν δὲ κριτίαν, δεῖ. οὐ γὰρ πολλοὶ ἴσασιν. νῦν δὲ γελοίως τὴν διήγησιν φασὶ δεῖν εἶναι ταχεῖαν. καί τοι ὥσπερ ὁ τῷ μάττοντι ἐρρωμένῳ, σκληρὸν, ἢ μαλακὸν μάζει, τί δ' εὖ ἔφη, ἀδύνατον; καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως. δεῖ γὰρ μὴ μακρῶς διηγεῖσθαι. ὥσπερ οὐδὲ προοιμιάζεσθαι μακρῶς, οὐδὲ τὰς πίστεις λέγειν. οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθα ἐστὶ τὸ εὖ, ἢ τὸ ταχὺ, ἢ τὸ συντόμως, ἀλλὰ τὸ μετρίως. τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ λέγειν ὅσα δηλώσει τὸ πρᾶγμα, ἢ ὅσα ποιήσει ὑπολαβεῖν γεγονέναι, ἢ βεβλακέναι, ἢ ἠδικηκέναι, ἢ τηλικαῦτα, ἡλίκα βούλει. τῷ δὲ ἐναντίῳ τὰ ἐναντία. παραδιηγεῖσθαι δὲ, ὅσα εἰς τὴν σὴν ἀρετὴν φέρει· οἷον ἐγὼ δ' ἐνουθέτουν αἰεὶ τὰ δίκαια λέγων, μὴ τὰ τέκνα ἐγκαταλείπειν. ἢ θατέρου κακίαν. ὁ δὲ ἀπεκρίνατό μοι ὅτι οὗ ἂν αὐτὸς ᾖ, ἔσται ἄλλα παιδία. ὃ τοὺς ἀφισταμένους αἰγυπτίους ἀποκρίνασθαί φησιν ὁ ἡρόδοτος, ἢ ὅσα ἡδέα τοῖς δικασταῖς. ἀπολογουμένῳ δὲ, ἐλάττων ἡ διήγησις. αἱ

ἡ ἀμφισβήτησις, ἢ μὴ γεγονέναι, ἢ μὴ βλαβερὸν εἶναι, ἢ μὴ ἄδικον, ἢ μὴ τηλικοῦτον. ὥστε περὶ τὸ ὁμολογούμενον οὐ διατριπτέον, ἐὰν μή τι εἰς ἐκεῖνο συντείνῃ, οἷον εἰ πέπρακται, ἀλλ' οὐκ ἄδικον. ἔτι πεπραγμένα δεῖ λέγειν, ὅσα μὴ πραττόμενα, ἢ οἶκτον, ἢ δείνωσιν φέρει. παράδειγμα ὁ ἀλκινόου ἀπόλογος, ὅτι πρὸς τὴν πηνελόπην ἐν τριάκοντα ἔπεσι πεποίηται, καὶ ὡς φάϋλλος τὸν κύκλον, καὶ ὁ ἐν τῷ οἰνεῖ πρόλογος. ἠθικὴν δὲ δεῖ τὴν διήγησιν εἶναι. ἔσται δὲ τοῦτο, ἂν εἰδῶμεν τί ἦθος ποιεῖ. ἓν μὲν δὴ, τὸ προαίρεσιν δηλοῦν. ποιὸν δὲ τὸ ἦθος, τῷ ποιὰν ταύτην. ἡ δὲ προαίρεσις ποιὰ τῷ τέλει. διατί γὰρ οὐκ ἔχουσιν οἱ μαθηματικοὶ λόγοι ἤθη. ὅτι οὐδὲ προαίρεσιν. τὸ γὰρ οὗ ἕνεκα οὐκ ἔχουσιν· ἀλλ' οἱ σωκρατικοί. περὶ τοιούτων γὰρ λέγουσιν. ἄλλα δὲ ἠθικὰ τὰ ἑπόμενα ἑκάστῳ ἤθει· οἷον ὅτι ἅμα λέγων ἐβάδιζε. δηλοῖ γὰρ θρασύτητα, καὶ ἀγροικίαν ἤθους. καὶ μὴ ὡς ἀπὸ διανοίας λέγειν ὥσπερ οἱ νῦν,

Controuerſiæ vero ſunt, aut Non eſſe factum: aut Non noxium eſſe: aut Non iniuſtum: aut Non tantum. Quare in re confeſſa non eſt inſiſtendū, niſi quid ad illud pertineat, vt ſi factum eſt, at non iniuſtum. Præterea facta oportet dicere, quæcunque minime, dum fiunt, aut miſerationem, aut indignationem afferunt. Exemplum eſt Alcinoi apologus, qui apud Penelopen triginta verſibus factus eſt. Et vt Phayllus Circulum. Et in Oeneo prologus. † Ac morata in oportet narrationem eſſe. idque erit, ſi nouerimus, quid mores efficiant. Iam vero vnum eſt, prçelectionem indicare. cuiuſdam autem modi ſunt mores, eo quòd hæc cuiuſdam modi ſit. Et prælectio cuiuſdam modi eſt, eò quod finis. Propterea enim non habent Mathematici ſermones mores, quia ne præelectionem quidem. Nam cuius cauſſa, non habent. ſed Socratici: de his enim dicunt. Alia morata ſunt conſequentia ſingulis moribus, vt, quòd ſimul dicens incedebat: declarat enim audaciam, & ruſticitatem morum. Et non tamq̃ ex mentis agitatione dicere, vt ij, qui nunc ſunt,

ſed tanquam ex prælectione. Ego vero volebam (etenim præligerem id, etiam ſi non facerem quæſtum) quod melius eſt. Illud enim prudentis eſt; hoc probi. Prudentis enim eſt, vt vtile perſequatur: probi vero, vt honeſtum. Si vero fide careat, tunc cauſſam ſubiungere, vt Sophocles ſuppeditat exemplum ex Antigona, quòd chariorem fratrem haberet, quàm virum, aut filios. Nam eos fore, etiam ſi perierint: Matre vero, & Patre mortuis non frater vllus exoriri vnquam poteſt. Si vero non habeas cauſſam, at tibi non eſſe occultum, ſe incredibilia dicere, ſed natura talem eſſe. Neque enim credunt, aliud agere quenquam ſpõte præter id, quod vtile eſt. Præterea ex iis, quę afficiunt dicere, narrãdo & conſequentia, & quæ ſciunt, & quæ propria, aut illi adſunt. Ille vero abiit me reſpiciens. &, vt de Cratylo Aeſchines, quòd Exſibilans, & manibus explodens: appoſita enim ad perſuadendum, quia iudicia fiunt ea, quæ ſciunt, illorum, quæ neſciunt. Plurima autem talia aſſumere ex Homero licet; Sic ait: anus vero obtendit manus faciei;

ἀλλ' ὡς ἀπὸ προαιρέσεως. ἐγὼ δὲ ἐβουλόμην καὶ προῃρούμην γὰρ τοῦτο, ἀλλ' εἰ μὴ ὠνήμην βέλτιον. τὸ μὲν γὰρ, φρονίμου· τὸ δὲ, ἀγαθοῦ. φρονίμου μὲν γὰρ, ἐν τῷ τὸ ὠφέλιμον διώκειν· ἀγαθοῦ δὲ ἐν τῷ τὸ καλόν. ἂν δ' ἄπιστον ᾖ, τότε τὴν αἰτίαν ἐπιλέγειν. ὥσπερ σοφοκλῆς ποιεῖ παράδειγμα τὸ ἐκ τῆς ἀντιγόνης. ὅτι μᾶλλον τοῦ ἀδελφοῦ ἐκήδετο, ἢ ἀνδρὸς, ἢ τέκνων. τὰ μὲν γὰρ ἂν γενέσθαι ἀπολόμενα· μητρὸς δ' ἐν ᾅδου, καὶ πατρὸς βεβηκότων, οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ. ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃς αἰτίαν, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἀγνοεῖς ἄπιστα λέγων, ἀλλὰ φύσει τοιοῦτος εἶ. ἀπιστοῦσι γὰρ ἄλλο τι πράττειν ἑκόντα πλὴν τὸ συμφέρον. ἔτι ἐκ τῶν παθητικῶν λέγειν διηγούμενον, καὶ τὰ ἑπόμενα, καὶ ἃ ἴσασι, καὶ τὰ ἴδια ἢ αὐτῷ, ἢ ἐκείνῳ προσόντα. ὁ δ' ᾤχετό με ὑποβλέψας. καὶ ὡς περὶ κρατύλου αἰσχίνης ὅτι διασείων, καὶ ταῖν χεροῖν διασείων. πιθανὰ γὰρ, διότι σύμβολα γίνεται ταῦτα ἃ ἴσασιν ἐκείνων ὧν οὐκ ἴσασι. πλεῖστα δὲ τοιαῦτα λαβεῖν ἐξ ὁμήρου ἔστιν. ὡς ἄρ' ἔφη, γρηῢς δὲ κατέσχετο

χερσὶ πρόσωπα. οἱ γὰρ δακρύειν ἀρχόμενοι, ἐπιλαμβάνονται τῶν ὀφθαλμῶν. καὶ εὐθὺς εἰσάγαγε σεαυτὸν ποιόν τινα. ἵνα ὡς τοιοῦτον θεωρῶσι, καὶ τὸν ἀντίδικον· λανθάνων δὲ ποίει. ὅτι δὲ ῥᾴδιον, ὁρᾶν δεῖ ἐκ τῶν ἀπαγγελλόντων. περὶ ὧν γὰρ μηδὲν ἴσμεν, ὅμως λαμβάνομεν ὑπόληψίν τινα. πολλαχοῦ δὲ διηγεῖσθαι. καὶ ἐνίοτε οὐκ ἐν ἀρχῇ. ἐν δὲ δημηγορίᾳ ἥκιστα διήγησίς ἐστιν. ὅτι περὶ τῶν μελλόντων οὐθεὶς διηγεῖται. ἀλλ' ἐάν περ διήγησις ᾖ, τῶν γενομένων ἔσται. ἵνα ἀναμνησθέντες ἐκείνων, βέλτιον βουλεύσωνται περὶ τῶν ὕστερον, ἢ διαβάλλοντες ἢ ἐπαινοῦντες. ἀλλὰ τότε οὐ τὸ τοῦ συμβούλου ποιοῦσιν ἔργον. ἂν δ' ᾖ ἄπιστον, ὑπισχνεῖσθαί τε καὶ αἰτίαν λέγειν εὐθύς, καὶ διατάττειν οἷς βούλονται· οἷον, ἡ Ἰοκάστη ἡ Καρκίνου ἐν τῷ Οἰδίποδι, ἀεὶ ὑπισχνεῖται, πυνθανομένου τοῦ ζητοῦντος τὸν υἱόν. καὶ ὁ Αἵμων ὁ Σοφοκλέους.

faciei: quia lacrymare incipientes attrectant oculos. Et ſtatim inferas te ipſum cuiuſdammodi, vt talem intueantur, & aduerſarium, latens autem facias. Facile vero eſſe, perſpicere oportet ex nunciantibus. de quibus enim nihil ſcimus, tamen de iis concipimus ſuſpicionem aliquam. [6] Ac multis in locis narrare, & quandoque non in principio. In deliberatione minime narratio eſt: quia de futuris nemo narrat. Verum ſi narratio fuerit, præteritorum erit, vt recordati illorum, melius conſultent de iis, quæ poſterius erunt, aut criminantes, aut laudantes. Sed tunc nequaquam deliberantis obeunt munus. Si vero fide careat, polliceri oportet te & cauſſam dicturum ſtatim, & tractaturum eorum arbitratu; vt Iocaſta Carcini in Oedipode ſemper pollicetur, percunctante eo, qui quærebat filium. Et Aemon Sophoclis.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ ιζ.

ΤΑ'Σ δὲ πίστεις δεῖ ἀποδεικτικὰς εἶναι. ἀποδεικνύναι δὲ χρή, ἐπεὶ περὶ τεττάρων ἡ ἀμφι-

CAPVT XVII.

Fidem vero oportet idoneam ad demonſtrandum eſſe. Ac demonſtrato opus eſt (quoniam de quat-

tuor eſt controuerſia) de re controuerſa afferendo demonſtrationem. vt ſi non feciſſe controuerſatur, in iudicio oportet huius maxime demonſtrationem afferre: ſi vero non nocuiſſe, huius; aut non tantopere: aut iuſte; non aliter ac, ſi de facto controuerſia eſſet. Neque vero lateat, neceſſarium eſſe in hac controuerſia ſola, alterum eſſe improbum. Non enim eſt ignoratio cauſſa, vt ſi qui de iuſto controuerſarentur. Quare in hoc diu inſiſtendum eſt, in aliis vero ſecus. Ac in demonſtratiuis plerunq; honeſtorum, aut vtilium amplificatio erit. Nam facta oportet credi. raro enim & horum demonſtrationes afferunt, ſi fide careant, aut ſi alius cauſſam habeat. At in deliberationibus aut non futura eſſe contenderit aliquis, aut futura quidem, quę cenſet, ſed non iuſta, aut non vtilia, aut non tanta. Oportet vero etiam perſpicere, numquid mentiatur extra rem. tecmeria enim hæc apparent, quòd etiam in aliis mentitur. Sunt vero exempla maxime ac-

σβήτησις, περὶ τοῦ ἀμφισβητουμένου φέροντα τὴν ἀπόδειξιν· οἷον; εἰ ὅτι οὐ γέγονεν, ἀμφισβητεῖ, ἐν τῇ κρίσει δεῖ τούτου μάλιστα τὴν ἀπόδειξιν φέρειν. εἰ δ' ὅτι οὐκ ἔβλαψε τούτου, ἢ ὅτι οὐ τοσόνδε, ἢ ὅτι δικαίως, ὡσαύτως, καὶ εἰ περὶ τοῦ γενέσθαι τοῦτο ἡ ἀμφισβήτησις. μὴ λανθανέτω δ' ὅτι ἀναγκαῖον, ἐν ταύτῃ τῇ ἀμφισβητήσει μόνῃ τὸν ἕτερον εἶναι πονηρόν. οὐ γάρ ἐστιν ἄγνοια αἰτία. ὥσπερ ἂν εἴ τινες περὶ τοῦ δικαίου ἀμφισβητοῖεν. ὥστ' ἐν τούτῳ χρονιστέον. ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις οὔ. ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς, τὸ πολὺ, ὅτι καλὰ ἢ ὠφέλιμα ἡ αὔξησις ἔσται. τὰ γὰρ πράγματα δεῖ πιστεύεσθαι. ὀλιγάκις γὰρ καὶ τούτων ἀποδείξεις φέρουσιν, ἐὰν ἄπιστα ᾖ, ἢ ἐὰν ἄλλος αἰτίαν ἔχῃ. ἐν δὲ τοῖς δημηγορικοῖς, ἢ ὡς οὐκ ἔσται ἀμφισβητήσειεν ἄν τις, ἢ ὡς ἔσται μὲν ἃ κελεύει, ἀλλ' οὐ δίκαια, ἢ οὐκ ὠφέλιμα, ἢ οὐ τηλικαῦτα. δεῖ δὲ, καὶ ὁρᾶν εἴ τι ψεύδεται ἐκτὸς τοῦ πράγματος. τεκμήρια γὰρ ταῦτα φαίνεται καὶ τῶν ἄλλων ὅτι ψεύδεται. ἔστι δὲ τὰ μὲν παραδείγματα

ραδείγματα, δημηγορικώτερα· τὰ δ' ἐνθυμήματα, δικανικώτερα. ἡ μὲν γὰρ περὶ τὸ μέλλον, ὥστ' ἐκ τῶν γενομένων ἀνάγκη παραδείγματα λέγειν· ἡ δὲ περὶ τῶν ὄντων ἢ μὴ ὄντων, οὗ μᾶλλον ἀπόδειξίς ἐστιν ἀνάγκη. ἔχει γὰρ τὸ γεγονὸς ἀνάγκην. οὐ δεῖ δὲ ἐφεξῆς λέγειν τὰ ἐνθυμήματα, ἀλλ' ἀναμιγνύναι. εἰ δὲ μή, καταβλάπτει ἄλληλα. ἔστι γὰρ καὶ τοῦ ποσοῦ ὅρος. ὦ φίλ' ἐπεὶ τόσα εἶπες, ὅσ' ἂν πεπνυμένος ἀνήρ. ἀλλ' οὐ τοιαῦτα. καὶ μὴ περὶ πάντων ἐνθυμήματα ζητεῖν. εἰ δὲ μή, ποιήσεις ὅπερ ἔνιοι ποιοῦσι τῶν φιλοσοφούντων, οἳ συλλογίζονται τὰ γνωριμώτερα καὶ πιστότερα, ἢ ἐξ ὧν λέγουσι. καὶ ὅταν πάθος ποιῇς, μὴ λέγε ἐνθύμημα. ἢ γὰρ ἐκκρούσει τὸ πάθος, ἢ μάτην εἰρημένον ἔσται τὸ ἐνθύμημα. ἐκκρούουσι γὰρ αἱ κινήσεις ἀλλήλας αἱ ἅμα, καὶ ἢ ἀφανίζουσιν, ἢ ἀσθενεῖς ποιοῦσιν. οὐδ' ὅταν ἠθικὸν τὸν λόγον. οὐ δεῖ ἐνθύμημά τι ζητεῖν ἅμα. οὐ γὰρ ἔχει οὔτε ἦθος οὔτε προαίρεσιν ἡ ἀπόδειξις.

commodata deliberationi: enthymemata autem iudicio. illa enim circa futurum eſt, vt ex præteritis neceſſe ſit exempla ducere: hoc vero de iis, quæ ſunt, vel non ſunt, cuius rei magis demonſtratio eſt neceſſaria. habet enim, quod factum eſt, neceſſitatem. Non oportet autem continenter dicere enthymemata, ſed permiſcere. alioqui ſe lædunt inuicem. eſt enim & quanti terminus. O amice, quoniam tam multa dixiſti, quam multa ſapiens vir. Sed non talia. Et non de omnibus enthymemata quærere. ſin minus, facies, quod nonnulli faciunt ex philoſophantibus qui ſyllogiſmo concludunt notiora, & certiora, quam ea, ex quibus dicunt. Et, cum affectum concitas, ne dicas enthymema: eiiciet enim affectum: aut fruſtra dictum erit enthymema. nam eiiciunt motiones ſe inuicem, quæ ſimul ſunt, & aut ſe conficiunt, aut debiles reddunt. Nec, cum moratam adhibes orationem, oportet enthymema aliquod quærere ſimul: nō enim habet mores, nec pręelectionē demonſtratio.

Sententiis autem vtendum eſt & in narratione, & in fide. moratum enim eſt; Ego dedi, etiam id ſciens, non oportere credere. ſi vero affecte; Et non pœnitet me, etiam iniuria affectum. Huic enim ſupereſt lucrum: mihi iuſtum. Verſari vero in deliberatiuo genere, difficilius eſt, quam in iudiciali. merito; quia circa futurum eſt. ibi vero circa præteritum, quod ſcientia comprehendi poteſt etiam à vatibus, vt dixit Epimenides Cres. Ille enim de futuris non vaticinabatur: ſed de præteritis quidem, at obſcuris. Et lex fundamentum eſt in iudicialibus. qui vero habet principium, eum facilius eſt inuenire demonſtrationem. Et non habet multa diuerticula, vt contra aduerſarium, vel de ipſo, vel ad affectum afferendum. Verum hæc minime omnium, niſi egrediatur. Oportet igitur indigentem id facere, quod Athenienſes oratores faciũt, & Iſocrates. etenim deliberans accuſat, vt Lacedæmonios in Panegyrico: Charetem autem in Sociali. Ac in demonſtratiuis oportet orationem intexere laudib. vt Iſocrates facit.

γνώμαις δὲ χρηστέον καὶ ἐν διηγήσει καὶ ἐν πίστει. ἠθικὸν γάρ. ἐγὼ δέδωκα, καὶ ταῦτ' εἰδώς, ὡς οὐ δεῖ πιστεύειν. ἐὰν δὲ παθητικῶς, καὶ οὐ μεταμέλει μοι καίπερ ἠδικημένῳ. τούτῳ μὲν γὰρ περίεστι τὸ κέρδος, ἐμοὶ δὲ τὸ δίκαιον. τὸ δὲ δημηγορεῖν χαλεπώτερον τοῦ δικάζεσθαι· εἰκότως. διότι περὶ τὸ μέλλον· ἐκεῖ δὲ περὶ τὸ γεγονός. ὃ ἐπιστητὸν ἤδη καὶ τοῖς μάντεσιν, ὡς ἔφη ἐπιμενίδης ὁ κρής. ἐκεῖνος γὰρ περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγονότων μὲν, ἀδήλων δέ. καὶ ὁ νόμος ὑπόθεσις ἐν τοῖς δικανικοῖς. ἔχοντα δὲ ἀρχὴν ῥᾷον εὑρεῖν ἀπόδειξιν, καὶ οὐκ ἔχει πολλὰς διατριβάς· οἷον, πρὸς ἀντίδικον, ἢ περὶ αὑτοῦ, ἢ παθητικὸν ποιεῖν. ἀλλ' ἥκιστα πάντων, ἐὰν μὴ ἐξίστηται. δεῖ οὖν ἀποροῦντα, τοῦτο ποιεῖν, ὅπερ οἱ ἀθήνησι ῥήτορες ποιοῦσι, καὶ ἰσοκράτης. καὶ γὰρ συμβουλεύων κατηγορεῖ· οἷον λακεδαιμονίων μὲν, ἐν τῷ πανηγυρικῷ. χάρητος δὲ, ἐν τῷ συμμαχικῷ, ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς, δεῖ τὸν λόγον ἐπεισοδιοῦν ἐπαίνοις, οἷον ἰσοκράτης ποιεῖ.

Semper

μεῖ γὰρ τινα εἰσάγει. καὶ ὃ ἔλεγε γοργίας, ὅτι οὐχ ὑπολείπει αὐτὸν ὁ λόγος, τοῦτό ἐστι. εἰ γὰρ ἀχιλλέα λέγει πηλέα ἐπαινεῖ, εἶτα αἰακὸν, εἶτα τὸν θεόν. ὁμοίως δὲ καὶ ἀνδρίαν, ἢ τὰ, καὶ τὰ ποιεῖ· ὃ τοιόνδε ἐστίν. ἔχοντα μὲν οὖν ἀποδείξεις, καὶ ἠθικῶς λεκτέον καὶ ἀποδεικτικῶς. ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃς ἐνθυμήματα, ἠθικῶς. καὶ μᾶλλον τῷ ἐπιεικεῖ ἁρμόττει χρηστὸν φαίνεσθαι, ἢ τὸν λόγον ἀκριβῆ. τῶν δὲ ἐνθυμημάτων τὰ ἐλεγκτικὰ μᾶλλον εὐδοκιμεῖ τῶν δεικτικῶν. ὅτι ὅσα ἔλεγχον ποιεῖ, μᾶλλον συλλελόγισται. παράλληλα γὰρ μᾶλλον τἀναντία γνωρίζεται. τὰ δὲ πρὸς τὸν ἀντίδικον οὐχ ἕτερόν τι εἶδος, ἀλλὰ τῶν πίστεών ἐστι, τὰ μὲν, λῦσαι ἐνστάσει, τὰ δὲ συλλογισμῷ. δεῖ δὲ καὶ ἐν συμβουλῇ καὶ ἐν δίκῃ, ἀρχόμενον μὲν λέγειν τὰς ἑαυτοῦ πίστεις πρότερον, ὕστερον δὲ, πρὸς τἀναντία ἀπαντᾶν λύοντα καὶ προδιασύροντα. ἂν δὲ πολύχους ᾖ ἡ ἐναντίωσις, πρότερον τὰ ἐναντία· οἷον ἐποίησε καλλίστρατος ἐν τῇ μεσσηνιακῇ ἐκκλησίᾳ. ἃ γὰρ ἐροῦσι προανε-

Semper enim aliquem infert. & quod dicebat Gorgias, non deeſſe ſibi orationem, hoc ipſum eſt. ſi enim de Achille loquatur, Peleum laudat, deinde Aeacum, deinde Deum. Similiter vero etiam fortitudinē. aut hæc, & illa facit, quod tale eſt. Ac habenti quidem demonſtrationes, & morate dicēdum, & demonſtratiue: ſi vero non habeas enthymemata, morate. Et magis probo conuenit bonum apperere, quam exquiſitam orationem. [1] Ex enthymematibus vero, quæ valent ad refutandum magis probantur, quàm quæ ad demonſtrandum: quia quæcunq; refutationem efficiunt, magis ſyllogiſmo concluſa ſunt. iuxta enim ſe poſita magis contraria cognoſcuntur. [2] Quæ vero ſunt contra aduerſarium, non altera aliqua ſpecies, ſed fides ſunt, quæ partim ſoluunt obiectione, partim ratiocinatione. [3] Atq; oportet tum in conſultatione, tū in iudicio, qui priore loco dicit, eum facere ſuam ipſius fidem prius, poſterius vero contrariis occurrere, ſoluendo, & eleuando. Sin autem multiplex ſit aduerſa cauſſa, prius contrariis, vt fecit Calliſtratus in

Meſſeniaca concione: quæ enim dicturi erant, cum is ſuſtuliſſet, tunc ipſe dixit. [4] Qui vero poſteriori loco dicit, ei prius, quæ ſunt contra aduerſarij rationem, dicenda, ſoluendo, & ratiocinationem opponendo, & maxime ſi probata ſint. vt enim hominem ante in crimen vocatum non recipit animus: eodem modo ne orationem quidem, ſi aduerſarius bene videatur dixiſſe. Oportet igitur locum parare in oratore futuræ orationi. Erit autem id, ſi ſuſtuleris. Quamobrem aut aduerſus omnia, aut quæ maxima ſunt, aut quæ probata, aut facile poſſunt refutari pugnando. ſic quæ ſua ſunt, fide digna reddenda ſunt. Deabus primum patrocinium ſuſcipiam. Ego enim Iunonem. In his attigit primum, quod inſulſiſſimum eſt. Ac de fide quidem hæc. Quod attinet ad mores, quoniam nonnulla de ſe dicere, aut inuidiam, aut loquacitatem, aut obtrectationem habet; & de alio aut conuicium, aut ruſticitatem; alterum opus eſt dicentem inducere, quod Iſocrates facit in Philippo, & in Antidoſi, & vt Archilochus vituperat: inducit enim patrem dicentem de

λὼν οὗτος, τότε αὐτὸς εἶπεν. ὕστερον δὲ λέγοντα, πρῶτον τὰ πρὸς τὸν ἐναντίον λόγον λεκτέον, λύοντα καὶ ἀντισυλλογιζόμενον, καὶ μάλιστα ἂν εὐδοκιμηκότα ᾖ. ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπον προδιαβεβλημένον οὐ δέχεται ἡ ψυχή, τὸν αὐτὸν τρόπον οὐδὲ λόγον, ἐὰν ὁ ἐναντίος εὖ δοκῇ εἰρηκέναι. δεῖ οὖν χώραν ποιεῖν ἐν τῷ ἀκροατῇ τῷ μέλλοντι λόγῳ. ἔσται δέ, ἂν ἀνέλῃς. διὸ ἢ πρὸς πάντα, ἢ τὰ μέγιστα, ἢ τὰ εὐδοκιμοῦντα, ἢ τὰ εὐέλεγκτα μαχεσάμενον, οὕτω τὰ αὐτοῦ πιστὰ ποιητέον. ταῖς θεαῖς πρῶτα σύμμαχος γενήσομαι. ἐγὼ γὰρ ἥραν. ἐν τούτοις ἥψατο πρῶτον τοῦ εὐηθεστάτου. περὶ μὲν οὖν πίστεων ταῦτα. εἰς δὲ τὸ ἦθος, ἐπειδὴ ἔνια περὶ αὐτοῦ λέγειν, ἢ ἐπίφθονον, ἢ μακρολογίαν, ἢ ἀντιλογίαν ἔχει, καὶ περὶ ἄλλου, ἢ λοιδορίαν, ἢ ἀγροικίαν, ἕτερον χρὴ λέγοντα ποιεῖν ὅπερ ἰσοκράτης ποιεῖ ἐν τῷ φιλίππῳ καὶ ἐν τῇ ἀντιδόσει· καὶ ὡς ὁ ἀρχίλοχος ψέγει. ποιεῖ γὰρ τὸν πατέρα λέγοντα περὶ τῆς θυγατρὸς ἐν τῷ ἰάμβῳ, χρημάτων δ᾽ ἄελπτον

tem de

οὐδέν ἐστιν, οὐδ᾽ ἀπώμοτον. καὶ τὸν χάρωνα τὸν τέκτονα ἐν τῷ ἰάμβῳ, οὗ ἡ ἀρχὴ· οὔ μοι τὰ γύγεω. καὶ ὡς σοφοκλῆς τὸν αἵμονα ὑπὲρ τῆς ἀντιγόνης πρὸς τὸν πατέρα, ὡς λεγόντων ἑτέρων. δεῖ δὲ μεταβάλλειν τὰ ἐνθυμήματα, καὶ γνώμας ποιεῖν ἐνίοτε· οἷον χρὴ δὲ τὰς διαλλαγὰς ποιεῖν τοὺς νοῦν ἔχοντας εὐτυχοῦντας. οὕτω γὰρ ἂν μέγιστα πλεονεκτοῖεν. ἐνθυμηματικῶς δέ. εἰ γὰρ δεῖ ὅταν ὠφελιμώταται ὦσι καὶ πλεονεκτικώταται αἱ καταλλαγαὶ, τότε καταλλάττεσθαι, εὐτυχοῦντας δεῖ καταλλάττεσθαι.

tem de filia in iambo; Rerum inſperata nulla eſt, neque iuramento negari poteſt. Et Charonem fabrum in Iambo, cuius principium eſt, Non mihi quæ ſunt Gygæ. Et vt Sophocles Aemonem de Antigona apud patrem, tamquam dicentibus aliis. Oportet vero immutare enthymemata, & ſententias facere aliquando; vt Opus eſt pactiones facere, qui mentem habent, cum proſpera fortuna vtuntur: ſic enim fuerint optima conditione. Enthymematice autem; ſi enim oportet, cum commodiſſimæ ſint, & meliorem afferant conditionem pactiones, tunc paciſci, proſpera fortuna vtentes oportet paciſci.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ ιη.

Περὶ δὲ ἐρωτήσεως, εὔκαιρόν ἐστι ποιεῖσθαι, μάλιστα μὲν, ὅταν τὸ ἕτερον εἰρηκὼς ᾖ. ὥστε ἑνὸς προσερωτηθέντος, συμβαίνει τὸ ἄτοπον· οἷον περικλῆς λάμπωνα ἐπήρετο περὶ τῆς τελετῆς τῶν τῆς σωτηρίας ἱερῶν. εἰπόντος δὲ ὅτι οὐχ οἷόν τε ἀτέλεστον ἀκούειν, ἤρετο, εἰ οἶδεν αὐτός; φάσκοντος δὲ, καὶ πῶς ἀτέλεστος ὤν. δεύτερον δὲ, ὅταν τὸ μὲν, φανερὸν ᾖ, τὸ

CAPVT XVIII.

INterrogationem autem fieri, oportunum eſt maxime, cum alterum affirmauerit, vt vno interrogato contingat abſurdum; vt Pericles Lamponem interrogauit de initiis Soſpitæ ſacrorum. Cum autem ille diceret, non poſſe non initiatum audire, interrogauit, num ſciret ipſe. Aiente illo; at quomodo, qui non es initiatus? Secundo loco, cũ illud quidẽ apparet, hoc

vero interroganti manifeſtum eſt eum daturum. Percunctatum enim oportet vnam propoſitionem non interrogare, quod apparet, ſed concluſionem dicere; vt Socrates Melito aiente ipſum Deos non putare, dixit, num dæmonium aliquod diceret. Cōfitente illo interrogauit, an non dæmones aut Deorum filij eſſent, aut diuinum aliquid. Affirmāte illo, Eſt igitur, inquit, qui Deorum filios arbitratur eſſe, Deos autem non. Præterea quando futurum eſt, vt aut contraria dicere demonſtret, aut præter opinionem. Quarto loco, quando non licet, niſi ſophiſtice reſpondentem ſoluere. ſi enim ſic reſponderit, eſſe quidem, ſed non eſſe; aut partim quidem eſſe, partim vero non; aut aliquo quidē modo eſſe, aliquo vero non; conturbantur, vt hęſitantes. aliter non tentandum. Si enim reſtiterit, victus eſſe videtur. Non enim licet multa interrogare propter infirmitatem auditoris. Quamobrē & enthymemata quàm maxime contrahere oportet. Reſpondere vero oportet, [1] ad ambigua quidē, diſtinguēdo oratione, & non conciſe. [2] Ad ea vero, quæ videntur contraria, ſolutionem

δὲ ἐρωτήσαντι δῆλον ἢ ὅτι δώσει. πυθόμενον γὰρ δεῖ τὴν μίαν πρότασιν, μὴ προσερωτᾶν τὸ φανερὸν, ἀλλὰ τὸ συμπέρασμα εἰπεῖν· οἷον Σωκράτης Μελίτου φάσκοντος αὐτὸν θεοὺς οὐ νομίζειν, εἰρήκει, εἰ δαιμόνιόν τι λέγοι. ὁμολογήσαντος δὲ, ἤρετο εἰ οὐχ οἱ δαίμονες ἤτοι θεῶν παῖδες εἶεν, ἢ θεῖόν τι. φήσαντος δὲ, ἔστιν οὖν ἔφη, ὅστις θεῶν μὲν παῖδας οἴεται εἶναι, θεοὺς δὲ οὔ. ἔτι ὅταν μέλλῃ ἢ ἐναντία λέγοντα δείξειν, ἢ παράδοξα. τέταρτον δὲ, ὅταν μὴ ἐνῇ, ἀλλ' ἢ σοφιστικῶς ἀποκρινάμενον λῦσαι. ἐὰν γὰρ οὕτως ἀποκρίνηται, ὅτι ἔστι μὲν, ἔστι δ' οὔ· ἢ τὰ μὲν, τὰ δ' οὔ. ἢ πῇ μὲν, πῇ δ' οὔ. θορυβοῦσιν ὡς ἀποροῦντες, ἄλλως δὲ μὴ ἐγχειρεῖν. ἐὰν γὰρ ἐνστῇ, κεκρατῆσθαι δοκεῖ. οὐ γὰρ οἷόν τε πολλὰ ἐρωτᾶν, διὰ τὴν ἀσθένειαν τοῦ ἀκροατοῦ. διὸ καὶ τὰ ἐνθυμήματα ὅτι μάλιστα συστρέφειν δεῖ. ἀποκρίνασθαι δὲ δεῖ, πρὸς μὲν τὰ ἀμφίβολα, διαιροῦντα λόγῳ καὶ μὴ συντόμως. πρὸς δὲ τὰ δοκοῦντα ἐναντία, τὴν λύσιν φέροντα εὐθὺς τῇ ἀποκρίσει. πρὶν ἐπι-

ρωτῆσαι τὸ ἐπιόν, ἢ συλλογίσασθαι. οὐ γὰρ χαλεπὸν προορᾶν, ἐν τίνι ὁ λόγος. φανερὸν δ' ἡμῖν ἔσται ἐκ τῶν τοπικῶν καὶ τοῦτο καὶ αἱ λύσεις. καὶ συμπεραινόμενον, ἐὰν ἐρώτημα ποιῇ τὸ συμπέρασμα, τὴν αἰτίαν εἰπεῖν· οἷον, σοφοκλῆς ἐρωτώμενος ὑπὸ πεισάνδρου, εἰ ἔδοξεν αὐτῷ ὥσπερ καὶ τοῖς ἄλλοις προβούλοις καταστῆσαι τοὺς τετρακοσίους; ἔφη· τί δὲ οὐ πονηρά σοι ταῦτα ἐδόκει εἶναι; ἔφη. οὐκοῦν σὺ ταῦτα ἔπραξας τὰ πονηρά; ναί ἔφη. οὐ γὰρ ἦν ἄλλα βελτίω. καὶ ὡς ὁ λάκων εὐθυνόμενος τῆς ἐφορίας ἐρωτώμενος, εἰ δοκοῦσιν αὐτῷ δικαίως ἀπολωλέναι ἅτεροι, ἔφη. ὁ δ', οὐκοῦν σὺ ταὐτὰ τούτοις ἔθου; καὶ ὃς ἔφη· οὐκοῦν δικαίως ἂν ἔφη καὶ σὺ ἀπόλοιο; οὐ δῆτα ἔφη. οἱ μὲν γὰρ χρήματα λαβόντες, ταῦτα ἔπραξαν· ἐγὼ δὲ οὔ, ἀλλὰ γνώμῃ. διὸ οὔτε ἐπερωτᾶν δεῖ μετὰ τὸ συμπέρασμα, οὔτε τὸ συμπέρασμα ἐπερωτᾶν, ἐὰν μὴ τὸ πλὺ περιῇ τοῦ ἀληθοῦς. περὶ δὲ τῶν γελοίων, ἐπειδή τινα δοκεῖ χρῆσιν ἔχειν ἐν τοῖς ἀγῶσι, καὶ δεῖν ἔφη γορ-

ſolutionem afferendo ſtatim cum reſponſione, priuſquam interroget reliquũ, aut ſyllogiſmo concludat. non enim difficile eſt proſpicere, in quo ſit ratio. Apparebit autem nobis ex Topicis & hoc, & ſolutiones. [3]Et ad eum, qui concludit, ſi interrogatio efficiat concluſionem, cauſſam dicere; vt Sophocles interrogatus à Piſandro, an viſum eſſet ipſi, vt & aliis præconſultoribus de conſtituendis Quadraginta; affirmauit. Quid verò nonne praua tibi hæc videbantur eſſe? affirmauit. Nonne igitur tu hæc cõmiſiſti praua? ſane affirmauit: non enim erant alia meliora. Et vt Lacon reddẽs rationem ephoratus interrogatus, an viderentur ipſi iuſte periiſſe alij, affirmauit. Ille vero, Nonne igitur tu hęc cum eis decreuiſti? & is affirmauit. Nonne igitur iuſte, inquit, & tu peribis? Minime, inquit. illi enim cum pecunias accepiſſent, hæc egerunt: ego vero nequaquam, ſed ex ſententia. Quare neq; interrogare oportet poſt concluſionem, neq; concluſionem interrogare, niſi multum ſuperſit veri. Ridicula autẽ, quoniã aliquẽ videntur vſum habere in contentionib. & opor-

tere dicebat Gorgias, ſeria diſcutere aduerſariorum riſu, at riſum ſeriis. rectè dicens; expoſitum eſt, quot genera ridiculorum ſint in iis, quæ tradita ſunt de poëtica; quorum vnum quidem conuenit libero: alterum vero nequaquam. Quod igitur conueniens erit ſibi, ſumet. Eſt autem diſſimulatio ſcurrilitate liberalior. Ille enim ſui cauſſa fingit ridiculum: ſcurra vero alterius.

γέλως, τὴν μὲν σπουδὴν διαφθείρειν τῶν ἐναντίων γέλωτι, τὸν δὲ γέλωτα σπουδῇ, ὀρθῶς λέγων. εἴρηται πόσα εἴδη γελοίων ἐστὶν ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς. ὧν τὸ μὲν ἁρμόττει ἐλευθέρῳ, τὸ δ' οὔ. ὅπως οὖν τὸ ἁρμόττον αὑτῷ λήψεται. ἔστι δ' ἡ εἰρωνεία τῆς βωμολοχίας ἐλευθεριώτερον. ὁ μὲν γὰρ αὑτοῦ ἕνεκα ποιεῖ τὸ γελοῖον, ὁ δὲ βωμολόχος, ἑτέρου.

CAPVT XIX.

PEroratio componitur ex quattuor, tùm ex eo, vt erga ſe ipſum comparet bene auditorem, & in aduerſarium male: tùm ex eo, vt amplificet, & deprimat: tùm ex eo, vt ad effectus auditorem conſtituat: tum ex memoriæ renouatione. Factum enim natura eſt, vt poſtquam demonſtrauerit, ſe quidem verum, aduerſarium autem falſum, ſic laudet, & vituperet, & expoliat. Duorum autem alterum oportet ſpectare; aut ſe his bonum, aut ſimpliciter: illum vero malum his, aut ſimpliciter. Iam vero ex quib. tales comparare oporteat, expoſiti ſunt loci; vnde bonos oporteat comparare, & malos.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ιθ.

Ὁ δ' ἐπίλογος σύγκειται ἐκ τεττάρων, ἔκ τε τοῦ πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάζειν εὖ τὸν ἀκροατὴν καὶ τὸν ἐναντίον φαύλως, καὶ ἐκ τοῦ αὐξῆσαι καὶ ταπεινῶσαι, καὶ ἐκ τοῦ εἰς τὰ πάθη τὸν ἀκροατὴν καταστῆσαι, καὶ ἐξ ἀναμνήσεως. πέφυκε γὰρ μετὰ τὸ ἀποδεῖξαι αὑτὸν μὲν ἀληθῆ, τὸν δὲ ἐναντίον ψευδῆ, οὕτω τὸ ἐπαινεῖν καὶ τὸ ψέγειν καὶ τὸ ἐπιχαλκεύειν. δυοῖν δὲ θατέρου δεῖ στοχάζεσθαι· ἢ ὅτι τούτοις ἀγαθὸς, ἢ ὅτι ἁπλῶς· ὁ δ' ὅτι κακὸς τούτοις, ἢ ὅτι ἁπλῶς. ἐξ ὧν δὲ δὴ τοιούτους κατασκευάζειν δεῖ, εἴρηνται οἱ τόποι, πόθεν σπουδαίους δεῖ κατασκευάζειν καὶ

φαύλους. τὸ δὲ μετὰ τοῦτο δεδειγμένων ἤδη, αὔξειν ἐστὶ κατὰ φύσιν ἢ ταπεινοῦν. δεῖ γὰρ τὰ πεπραγμένα ὁμολογεῖσθαι, εἰ μέλλει τὸ ποσὸν ἐρεῖν. ἡ γὰρ τῶν σωμάτων αὔξησις, ἐκ προϋπαρχόντων ἐστίν. ὅθεν δὲ δεῖ αὔξειν ἢ ταπεινοῦν, ἔκκεινται οἱ τόποι πρότερον. μετὰ δὲ ταῦτα δήλων ὄντων καὶ οἷα ἢ ἡλίκα εἰς τὰ πάθη ἄγειν τὸν ἀκροατήν. ταῦτα δ' ἐστὶν, ἔλεος, ἢ δείνωσις, ἢ ὀργὴ, ἢ μῖσος, ἢ φθόνος, ἢ ζῆλος, ἢ ἔρις. εἴρηνται δὲ ἢ τούτων οἱ τόποι πρότερον. ὥστε λοιπὸν, ἀναμνῆσαι τὰ προειρημένα, τοῦτο δὲ ἁρμόττει ποιεῖν οὕτως, ὥσπερ φασὶν ἐν τοῖς προοιμίοις οὐκ ὀρθῶς λέγοντες. ἵνα γὰρ εὐμαθῆ ᾖ, κελεύουσι πολλάκις εἰπεῖν, ἐκεῖ μὲν οὖν δεῖ τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν, ἵνα μὴ λανθάνῃ περὶ οὗ ἡ κρίσις. ἐνταῦθα δὲ, δι' ὧν δέδεικται κεφαλαιωδῶς. ἀρχὴ δὲ, διότι ἃ ὑπέσχετο ἀπέδωκεν. ὥστε ἅ τε ἢ δι' ὃ, λεκτέον. λέγεται δὲ ἐξ ἀντιπαραβολῆς τοῦ ἐναντίου. παραβάλλειν δὲ, ἢ ὅσα περὶ τὸ αὐτὸ ἄμφω εἶπον, εἰ μὴ κατ' ἀντικρύ. ἀλλ' οὗτος μὲν, τάδε περὶ τοῦδε· ἐγὼ δὲ, τάδε, ἢ διὰ ταῦτα. ἢ ἐξ εἰ-

malos.[2] Poſtquam vero hoc demonſtratum iam fuerit, augere licet ſecundum naturam, & extenuare. Oportet enim facta conſtare, ſi dicturus eſt, quantum. Etenim corporum incrementum eſt ex iis, quæ ante inſunt. Vnde vero oporteat augere, & extenuare, expoſiti ſunt loci prius. [3] Poſtea, cum manifeſta ſint, & qualia, & quanta, ad affectus impellit auditorem. Hi autem ſunt miſericordia, & indignatio, & ira, & odium, & inuidia, & æmulatio, & contentio. Dicti vero etiam ſunt horum loci ſuperius. [4] Quare reliquum eſt, in memoriam reuocare, quæ ante dicta ſint. id autem conuenit facere ita, vt aiunt in prooemiis, non recte dicentes: vt enim bene percipi poſſint, iubent ſæpe dicere. Ac ibi quidem oportet rem exponere, vt ne lateat id, de quo iudicatio eſt: hîc vero, per quæ demonſtrata eſt, ſummatim. Initium autem ſit, quòd, quæ pollicitus erat, perſoluit. Quare & quæ, & ex quo, dicendum.[5] Ducitur vero ex aduerſa collatione aduerſarij. Conferre autem oportet, vel quæcunq; circa idem ambo dixerunt, ſi non ex regione, at ſic; Iſte quidem hæc de hoc: ego vero hæc, & ex his. Vel ex diſſimulatione, vt Iſte enim

hæc dixit: ego vero hæc. Et, quid faceret, ſi hæc oſtendiſſet, ſed non hæc? Vel ex interrogatione; Quid non oſtenſum eſt? Vel, Iſte quid confirmauit? Aut igitur ſic ex collatione, aut ſecũdum naturam, prout expoſita ſunt, eodem pacto quæ propria ſunt. Et rurſus, ſi voluerit, ſeparatim, quæ ſunt contrariæ orationis. Fini vero dictionis conuenit diſſolutio, vt peroratio, ſed non oratio fit. Dixi, audiſtis, habetis, iudicate.

ρωνείας, οἷον, οὗτος γὰρ τάδ᾽ εἶπεν, ἐγὼ δὲ τάδε. ἔτι τί ἂν ἐποίει, εἰ τάδε ἔδειξεν, ἀλλὰ μὴ τάδε. ἢ ἐξ ἐρωτήσεως, τί οὐ δέδεικται, ἢ οὗτος τί ἔδειξεν. ἢ δὴ οὕτως ἐκ παραβολῆς. ἢ κατὰ φύσιν ὡς ἐλέχθη, οὕτω, τὰ αὐτοῦ. καὶ πάλιν ἐὰν βούλῃ χωρὶς τὰ τοῦ ἐναντίου λόγου. τελευτὴ δὲ τῆς λέξεως ἁρμόττει, ἡ ἀσύνδετος. ὅπως ἐπίλογος, ἀλλὰ μὴ λόγος ᾖ. εἴρηκα, ἀκηκόατε, ἔχετε, κρίνατε.

ΤΕ΄ΛΟΣ.

183

ANTONII RICCOBONI PARAPHRASIS

IN RHETORICAM ARISTOTELIS, INTERIE-

ƈta rerum difficiliorum explicatione, & collata ipſius Riccoboni multis in locis conuerſione, cum Maioragij, Sigonij, Victorij, Mureti conuerſionibus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFVRDI,
Apud Andreæ Wecheli heredes, Claudium Marnium, & Ioannem Aubrium,
ANNO MDLXXXVIII.
Cum Gratia & Priuileg. S. Caſ. Maieſt.

GENEROSISSIMO IVVENI, RICHARDO BARONI A STAREMBERG, AVDITORI SVO,

Antonius Riccobonus S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIDE, quæſo, Generoſiſſime Baro, quo me adduxerit tua mihi perſcripta adhortatio: non enim id ſolum feci, quod te valde cupere ſignificaſti, vt præter meam Rhetoricæ Ariſtotelis conuerſionem perbreues illas, quas habuiſti, eius explicationes cum eloquentiæ ſtudioſis communicarem: ſed plus etiam, quàm poſtulaſti, curaui, vt ipſas locupletiores factas in hominum aſpectum, lucemq; proferrem; tibique huius editionis approbatori, & ſuaſori, immo vero etiam rogatori, & impulſori dicarem. Cuius quidem amorem, ita me Dij ament, amo, cum plures alias ob cauſas, tum quod, tametſi difficile eſt iis reſpondere, quæ ipſe tibi de me polliceris: ſuaue tamen eſt à laudatis laudari iuuenibus, & alta quadam mente præditis, atque ad verum decus, veramq; gloriam, quæ à ſola virtute proficiſcitur, natis; qualem eſſe te iampridem expertus ſum. Itaq; hoc non diſſimulo, quod obſcurari nõ poteſt, ama-

re me in te ipſo,tuiq; ſimilibus,nobilibus,generõſis,ſynceris,candidis,ab omni aſſentatione alienis, laudes meas. Præterquàm quòd cum in eo, quod profiteor,eloquentię ſtudio admirandos progreſſus facias ad excellentiam, non ſolum es mihi amandus, verumetiam admirandus, & quàm poſſum,ampliſſimo honore decorandus. Cùm igitur ad conuerſionem meam, copioſam Paraphraſim adiecerim,& trium librorum Rhetoricæ Ariſtotelis ſingulas particulas,ſingulaq; præcepta,quaſi ſydera, & ſtellas huius magni cœli, quo eloquentiæ vniuerſitas continetur,dinumerauerim, ac omnes res obſcuras,& maxime ab aliis vel non explicatas, vel male,vt arbitror, explicatas declarauerim, meamque multis in locis conuerſionem cum clariſſimorum noſtri ordinis virorum, à quibus ſæpe diſſentio, M.Antonij Maioragij,Caroli Sigonij,Petri Victorij, M. Antonij Mureti conuerſionibus contulerim; quoniam tu horum omnium pars magna fuiſti, ipſa volui in tuo ornatiſſimo nomine diuulgare; tibique id honoris tribuere,quod non niſi egregiis hominibus adhibetur.Te enim,quem vnice amo, & obſeruo, inſigniter honorare debebã; iuuenem, cum gentis, & nationis Germanæ claritate; familiæ, & Baronatus à Staremberg decore præſtantiſſimi,ac perilluſtris parentis Henrici,literis Græcis & Latinis doctiſſimi, ac Imperialis Cõſiliarij ſapientiſſimi apud Maximilianum II. Imperatorem ſplendore; fortunarum amplitudine ornatiſſimum: tum omnium optimarum artium,& inpri-

in primis eloquentiæ, atque hiſtoriarum ſtudio, benignitatiſque ac liberalitatis commendatione omnibus amabilem, mihi verò etiam admirabilẽ; ita obedientem ſapientiſſimis conſiliis, & mandatis gubernatorum tuorum, quibus à parente es cómendatus, Richardi Streinnij Baronis Schuartzenauij, maximi hiſtorici, qui præclarum de gentibus & familiis Romanorum librum edidit, aliorumque præſtantium operum ſuorum miram expectationẽ excitauit, & Ioannis Baronis à Tſchernembl, viri magnanimi & generoſi, vt nihil aliud videaris, quàm de dignitate & de gloria cogitare. Quod vt vſque ad extremum facias, pro meo ſingulari in te amore ita te hortor, vt hoc eloquentiæ ſtudio neque liberalius atq; honeſtius quidquam, neque ætati, fortunæque tuæ eſſe conuenientius affirmem; & non minimum momenti ad perficiendum huiuſmodi ſtudiũ tuum hanc Paraphraſim, quam cum Rhetorica à me Latine conuerſa tuo præclaro nomini dico, allatura eſſe exiſtimem; longe plura, & maiora vel honorandæ virtuti, vel alendæ beneuolentiæ tuæ, cum dabitur occaſio, præſtiturus, vt nec tuæ benignitatis immemor, nec eorum, quæ à tua proficiſci poſſunt benignitate, contemptor vnquam videar. Vale. Patauij, An. MDLXXXVII.

ARGVMENTVM PRIMI LIBRI Artis Rhetoricæ Ariſtotelis.

CVM Ars Rhetorica tres inprimis oratoris partes adornet, inuentionem, elocutionem, partium diſpoſitionẽ; cumq́ue inuentionis ratio triplicem fidem, ſeu triplex artificium comprehendat, argumentationis, morum, affectuum; atque cum argumentatio oratoria ſit enthymema, & exemplum, ducaturq́ue partim à propoſitionibus propriis ſingulorum generum, partim à communibus, partim à locis Topicis: progreſsio fit à magis propriis ad communiora; idcircoq́; tradita definitione Rhetoricæ, diuiſa fide, & enthymemate, ac exemplo explicato, enumeratæ ſunt propoſitiones ſingulorum generum propriæ, quibus aliquid probari poſsit in genere deliberatiuo eſſe vtile, vel pernicioſum: in demonſtratiuo honeſtum, vel turpe: in iudiciali iuſtum, vel iniuſtum, ad quod genus relata eſt quoque fides artis expers, poſita in legibus, teſtibus, pactis, quæſtionibus, iureiurando.

ARGVMENTVM SECVNdi Libri.

INde expoſita ſunt tum communia generibus cauſſarum, tum communia omnibus. Nam cõmunes generibus cauſſarum ſunt mores, affectus, propoſitiones quædam, vt eius, quod fieri, vel non fieri poteſt, futuri, vel non futuri, facti, vel non facti, magni, vel parui, quæ omnia cauſſarum generibus videntur conuenire. Communes vero omnibus ſunt loci, qui præter genera cauſſarum ad quæſtiones omnes pertractandas pertinent. Nec cum propriis propoſitiones communes ſunt coniunctæ: quia magis propria a minus propriis erant diſtinguenda; & mores, atque affectus ſunt iudicati magis proprij cauſſarum, vbi maxime animi auditorũ conciliantur, ac concitantur, quàm loci Topici, qui valent ad quamlibet quæſtionem peragendam. Ac prius de moribus, & affectibus, quàm de propoſitionibus, quæ ſunt cauſſarum generibus communes eſt diſputatum, quia in ratione argumenta-

mentationis hæ videbantur cum locis Topicis coniungendæ, cum quibus maximam habent affinitatem. Duæ igitur ſunt libri ſecundi partes, una de magis propriis, altera de communioribus; ideoque poſt pertractationem morum, affectuum, & propoſitionum cauſſis communium, antequam de locis agatur, legitur in hunc modum; Reliquum eſt exponere fidem omnibus communem, quoniam dictum eſt de propria. Et ſcriptum eſt primum de moribus oratoris: inde de affectibus: præterea de moribus auditorum, quia etiam ex affectibus conſiderantur mores, quatenus ſcilicet ad varios affectuum mores oratio accommodanda eſt. Itaque præcepta de affectibus non ſolum pertinent ad animos auditorum excitandos, vel tranquillandos, verum etiam ad affectuum mores dignoſcendos, ut ad eos accommodetur oratio; & ob id inter primam & ſecundam partem moratæ orationis interiecta ſunt. Et primum traditum eſt, tres mores in oratore eſſe exprimendos, prudentiam, probitatem, beneuolentiam: deinde multa de affectibus conſcripta ſunt, & quidem mirabili quodam ordine, ut de unoquoque affectu poſt eius definitionem intelligatur, qui, in quos, & quas ob res afficiantur, ac quomodo quiſque affectus excitetur: præterea quattuor morum genera, qui ſpectari in auditoribus ſolent, ſunt explicati, affectuum, habituum, ætatum, fortunæ: poſtea additæ ſunt propoſitiones cauſſarum generibus communes: poſtremo loci exemplorum, & enthymematum. Atque hæc eſt prima pars Rhetoricæ & ordine, & dignitate, nempe de rebus, libro primo, & ſecundo comprehenſa.

ARGVMENTVM TERTII Libri.

Secunda pars Rhetoricæ eſt de verbis, & omnem continet elocutionis rationem; in qua conſiderantur tum verba ſimplicia, tum coniuncta; & in ſimplicibus tum propria, & immutata, & domeſtica, tum translata, tum epitheta, tum diminutiua, tum frigida, tum imagines; & in coniunctis tum elocutio emendata, tum tumida, tum decora, tum

numeroſa, tum fuſa, & verſa, tum vrbana, tum conueniens.

Tertia pars Rhetorica eſt de partibus orationis; in qua traditum eſt, demonſtratiua proœmia duci à laude, vituperatione, ſuaſione, diſſuaſione, iis, quæ referuntur ad auditorem: iudicialium vnum munus eſſe propriū indicare rem, cuius gratia oratio inſtituta eſt, alia eſſe communia, & medicamenta, ducta ex oratore, aduerſario, auditore, re ipſa: deliberatiua ſumi ab obiectione criminis, à depulſione, ab amplificatione, à diminutione, ab ornatu. Narrationes conuenire generi demonſtratiuo non continenter, ſed in partibus: iudiciali continenter: deliberatiuo non proprie, ſed aſſumptas. Fidei demonſtratiuæ, eſſe propriam amplificationem: deliberatiuæ exemplum: iudicialis enthymema. Perorationis quadruplex munus eſſe, vt conſtituat auditorem bene in oratorem, male in aduerſarium: vt amplificet, vel diminuat: vt ad affectus impellat: vt memoriam renouet.

ANTO-

ANTONII RICCOBONI PARAPHRASIS IN LIBRVM PRIMVM ARTIS RHEtoricæ Ariſtotelis.

In Inſcriptionem.

DE auctore horum librorum duo dubitationem faciunt, Laertius, & Quinctilianus. Laertius Ariſtotelis Rhetoricos libros duos fuiſſe ſcribit. At hi, quos habemus, non duo, ſed tres ſunt. Ergo Ariſtotelis nõ ſunt. Quinctilianus lib. 5. cap. de argumentis, ex lib. 2. Rhetoricæ Ariſtotelis hanc affert ſententiam; Diuitias qui ſequãtur, aut ambitum, aut ſuperſtitionem; quid boni probent, quid mali petant, quid milites, quid ruſtici. Hæc autem omnino in hac Rhetorica non reperiuntur. Ergo hæc Rhetorica non eſt Ariſtotelis. Nos putamus ad auctoritatem Laertij recte à quibuſdam aliis fuiſſe reſponſum, mendum eſſe in eius verbis, vt pro duobus libris legere tres debeamus. Addimus duo opera intelligi poſſe, alterum diuiſum in duos libros cõmemoratum à Laertio, alterum in tres diſtributum, nec commemoratum propter erratum memoriæ, aut neglig ẽtiam ipſius Laertij. Ad auctoritatem Quinctiliani reſpondemus, falſam eſſe prorſus aſſumptionem, ex ſententia quoque Raphaelis Regij, explicatoris Quinctiliani, qui tradit illa reperiri in affectuum, & morum tractatione, quæ legitur lib. 2. Explicamus locum Quinctiliani, in eo libro illa omnia reperiri, quemadmodum diuitias ſequantur ſenes, ambitum iuuenes, ſuperſtitionem fortunati; quid boni probent, quid mali petant, tum viri, tum iuuenes, & ſenes; quemadmodum homines militares periculum ſubituri, antequam ſacri-

ficium fecerint, talem probent ſententiam, Vnum auguri-um optimum defendere patriam: cum inferiores ſunt, talem, Mars belli communis: cum interficere inimicorum filios volunt, talem, Stultus, qui natos occiſo patre relinquit; & quemadmodum ruſtici maxime ſint ſententiarum compoſitores, facileque eas proferant. Communis horum librorum inſcriptio erat, AD THEODECTEM. Quæ verba cenſemus prætermittenda, quia in horum librorum 3. cap. 9. libri ad Theodectem tamquam ab his diuerſi ad hunc modum citantur; Principia vero periodorum ferme in Theodectiis enumerata ſunt. Quamquam non deſunt, qui interpretentur Theodectia, non ad Theodectem, ſed Theodectis, quemadmodum Cicero interpretatus eſt Nicomachia non ad Nicomachum, ſed Nicomachi, quod patri potuerit ſimilis eſſe filius; ita vt hoc opus eſſe ad Theodectem, & in eo citari Theodectia, minime inter ſe repugnare videantur. Id quod nos à veritate alienum eſſe, non minus quam id, quod de Nicomachiis ſcripſit Cicero, arbitramur; vt, quemadmodum nobis certiſſimum eſt, contra quàm ſenſit Cicero, libros Nicomachios eſſe ad Nicomachum, & non Nicomachi, quòd in eis alia ſua opera citet Ariſtoteles, de quibus non dubitatur, & Eudemios ad Eudemum, non Eudemi: ſic Theodectios intelligendos eſſe ad Theodectem exiſtimemus. Obſeruandum eſt tamen ſub nomine Theodectis circumferri ſolitam fuiſſe quandam Rhetoricam, vt tradit Stephanus de vrbibus, atque Antiphanes Comicus apud Athenæum; quæ vtrius fuerit, Theodectiſne, an Ariſtotelis, dubitat Quinctilianus lib. 2. cap. de definitione, & fine Rhetoricæ ad hunc modum; A quo non diſſentit Theodectes, ſiue ipſius id opus eſt, quod de Rhetorice nomine eius inſcribitur: ſiue, vt creditum eſt, Ariſtotelis, in quo eſt, finem eſſe Rhetorices, ducere homines dicendo in id, quod actor velit. Hæc ille. Vere autem fuit Ariſtotelis donata Theodecti tamquam chariſſimo ipſius diſcipulo, quam tamen facere non potuit, quin ſtudio gloriæ ductus, tamquam ſuam, commemoraret, vt teſtatur Valer. lib. 8, cap. 15. de cupiditate gloriæ. Non apparet igitur alicui certæ perſonæ hos tres libros fuiſſe inſcri-

ptos,

ptos, ſed tantum ad commodum & vtilitatem omnium eloquentiæ ſtudioſorum fuiſſe conſcriptos; quibus perfectiſſima ars Rhetorica continetur, in tres partes diſtributa, alteram de triplici fide artificioſa, argumentis, moribus, affectibus, de quib:s agitur lib. 1. & 2. alteram de elocutione, tertiam de diſpoſitione, de quibus lib. 3. Itaque patent illa tria, quæ in qualibet conſcriptione ſunt cognoſcenda. Quemadmodum enim tradit Ariſtot. lib. 1. cap. 3. orationem conſtare ex tribus, ex eo, qui loquitur, ex eo, de quo dicit, ex eo, ad quem verba facit: ſic de qualibet conſcriptione tria debent conſtare, Qui, de quo, ad quem ſcribit. Conſtat igitur, qui ſcribit, eſſe Ariſtotelem, de quo ſcribit, eſſe negocium Rhetoricum, ad quem ſcribit, eſſe quemlibet eloquentiæ ſtudioſum.

IN CAP I. *De Rhetorica ſimilitudine cum Dialectica, & de vtilitate.*

PROOEMIVM libri primi probat duo, Rhetoricam eſſe ſimilem Dialecticæ, & eſſe vtilem, vt apparet ex eius epilogo ad hunc modum; Ac non eſſe quidem vnius alicuius generis definiti Rhetoricam, ſed ſimilem Dialecticæ: atque eſſe vtilem apparet. Tale autem proœmium quinque habet partes, quarum altera eſt de ſimilitudine Rhetoricæ, & Dialecticæ: altera reprehendit veteres dicendi magiſtros, qui huiuſmodi ſimilitudinem parum obſeruarunt: tertia oſtendit Rhetoricæ vtilitatem: quarta tollit obiectionem: quincta res quattuor concludit partim expreſſas, partim ſignificatas. Prima pars oſtendit ſimilitudinem Rhetoricæ, & Dialecticæ quinque rationibus; quarum prima eſt, quod ambæ ſunt de eiuſmodi rebus, quæ communiter quodammodo ab omnibus cognoſcuntur: altera, quod de rebus nullius ſcientiæ definitæ: tertia, quod ambarum omnes quodammodo participes ſunt: quarta, quod vtriuſque munus partim temere, partim conſuetudine, & habitu præſtatur: quincta, quòd vtraque ars eſt, cum ea omnia, quæ partim temere, partim conſuetudine, & habitu fiunt, etiam fieri certa

via, & ratione, & arte queant, & munus artis ſit cauſſam intueri, cur finem conſequantur, tum qui conſuetudine, tum qui caſu loquuntur. quod munus ſine dubio obeunt Rhetorica, & Dialectica. Propoſitio ſit his verbis, ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. Rhetorica conuenientiam habet cum Dialectica. Vox autem ἀντίστροφος aliter à Cicerone, aliter ab Alexandro, aliter ab ipſo Ariſtotele videtur explicari. Apud Ciceronem eſſe ἀντίστροφον valet ex altera parte reſpondere. Quam interpretationem Petrus Victorius reprehendit his verbis; Apertius vicinitatem, affinitatemque illarum comprobaſſet, ſi relicta contrarietate, quæ inter ipſas verſatur, ſimilitudinis tantum mentionem feciſſet. M. Antonius Maioragius in Victorio duo notat peccata; vnum, quòd verbo contrarietatis vſus ſit: alterum, quòd ſcripſerit Ciceronem ponere inter Rhetoricam, & Dialecticam repugnantiam. Nos putamus in artibus tradendis verba minus vſitata proprietatis ſeruãdæ cauſſa poſſe adhiberi; maxime vero, ſi ex præceptis artis Rhetoricæ nouata ſint; vt per ſimilitudinẽ dicatur ex contrario contrarietas, quemadmodum ex pio pietas. Et reſpondere ex altera parte dici illa, quæ partim ſimilia, partim diſſimilia ſunt, vt illa vox Reſpondere ſignificet rem eſſe ſimilem, & illæ Ex altera parte, valeant contra. Quamobrem, ſi illud ἀντὶ Cicero interpretatus eſt Ex altera parte, profecto nonnullam expreſſit contrarietatem, cum ἀντὶ ſignificet contra, & è regione. At, ſi voluit explicare illud totum ἀντίστροφός ἐστι per vnam vocem Reſpondet, & addidit Ex altera parte, ſpectans ſequentia Ariſtotelis verba, quæ oſtendunt Rhetoricam, & Dialecticam inter ſe ſimiles eſſe in materia, quamuis in forma differant, nullam contrarietatem denotauit, contra quàm ſenſit Victorius. Hactenus de interpretatione Ciceronis. Sequitur explicatio Alexandri, qui in libros Topicos Ariſtotelis ſcriptum reliquit, ἀντίστροφον ſignificare ἰσόστροφον, & quæ in eiſdem rebus verſetur, eaſdemque res tractet. Rhetorica igitur eſt ἰσόστροφος, id eſt, æqualiter reſpondet Dialecticæ, cum ambæ ſint de rebus eiuſmodi, quæ cõmuniter quodammodo ab omnibus cognoſcuntur. Verùm aliorum explicationes quærendæ non ſunt, cum ipſe Ariſtoteles ſe ipſum declarauit. Nam

ſic

ſic legitur cap. 2. lib. 1. Eſt enim particula quædam Dialecticæ, & ſimilitudo, quemadmodum etiam exordientes dicebamus: de aliqua enim re definita neutra ipſarum eſt ſcientia, quomodo ſe habeat: ſed facultates quædam ſunt parandi rationes. Quæ verba videntur declarare principium Rhetoricę, vt in eo Ariſtoteles nihil aliud ſpectauerit, niſi ſimilitudinem inter Rhetoricam & Dialecticam, ac per translatum nomen ἀντίστροφος intellexerit proprium ὁμοίωμα, id eſt, ſimilitudo. Quod ante nos alij obſeruarũt. Referimus enim illud, Quemadmodum etiam exordientes dicebamus, ad illud, Et ſimilitudo. Nos in conuerſione noſtra diximus, huiuſmodi artes inter ſe conuenientiam habere, quòd in eandem materiã conueniant, & concurrant. Nam vox ἀντίστροφος dicitur de illis, quæ aliquam inter ſe cõuenientiam habent, vt de choricis carminibus, in quibus erant ſtrophæ interiùs præcãntatæ, & antiſtrophæ ipſis reſpondentes ſtrophis. auctor Iulius Pollux lib. 4. cap. 16. & de coſtis, quarum duæ primæ dicuntur antiſtrophæ. auctor idem lib. 2. cap. 57. Sic expreſſimus earum inter ſe ſimilitudinem, & quaſi agnationem. Accipitur autem in hoc principio Dialectica pro ea parte Logicæ, quæ argumenta tractat probabilia, & in Topicis declaratur, vt notat Alexander. Nam ratione materię Topica, & Dialectica idem ſunt; quamuis ſi inuentio à iudicio diſtinguatur, Topica ſit, quæ argumenta inuenit probabilia, Dialectica verò, quæ ex argumentorum collatione tum neceſſariorum, tum captioſorum ea iudicat: de quo iudicio ex Boethij opinione nihil agit Ariſtoteles, quoniam, vt illius vtar verbis, plana eſt, atque expedita ratio iudicandi, de medietate, cum quis extrema cognorit. Quandoque videtur accipi Dialectica pro tota diſſerendi ratione, non ſolum apud Ciceronem, quod notum eſt, ſed etiam apud Ariſtotelem, vt in hoc ipſo procemio, vbi legitur, Videre ea, quæ ad ſyllogiſmum æquè omnem pertinent, Dialecticæ eſſe, vel ipſius vniuerſæ, vel partis alicuius. Quamquam M. Antonius Muretus ea verba omittit in conuerſione ſua tamquam gloſſema. Addit Alexander accipi quoque Dialecticam apud Platonem pro via, & ratione diuidendi, id eſt, vnum in multa diſtribuendi, & multa in vnum componendi, In Topicis Cice-

ronis accipitur Dialectica pro tota ea parte, quæ argumenta iudicat tum neceſſaria, tum prob.bilia, tum captioſa, & diſtinguitur à Topica, quæ inuenit argumenta. Iam verò obſeruandum eſt, non eſſe præcipuum conſilium Ariſtotelis probare, Artem Rhetoricam eſſe, vt putauit Carolus Sigonius in inſcriptione huius primæ partis, ſed Rhetoricam eſſe ſimilem Dialecticæ, cum aliis argumentis, tum vero etiam, quia ſit ars, æque ac Dialectica; quod conſilium ex epilogo confirmatur. Præterea, licet Dialecticæ Rhetorica ſit ſimilis, hanc tamen cum illa non conuerti. Quod cenſuit amicus quidam meus, dum Rhetoricæ, & Dialecticæ eandem definitionem conuenire, conatus eſt in hunc modum probare; Quæ inter ſe conuertuntur, comprehendi ſub eadem definitione queunt. At Rhetorica, & Dialectica inter ſe conuertuntur, vt apparet ex ipſo Ariſtotele, qui dicit alteram alteri eſſe ἀντίστροφον. Ergo comprehendi ſub eadem definitione queunt. Cuius argumentationis falſa eſt maior propoſitio, falſa minor, falſa concluſio. Quod attinet ad maiorem propoſitionem, quæ inter ſe conuertuntur, aut relata ſunt, vt pater, & filius: aut connexa, & æque patentia, vt duæ proprietates, eſſe aptum, natumque ad ridendum, & percipere diſciplinā poſſe, ſic etiam ſpecies, & proprium, vt homo, & aptus, natusq. ad ridendum: aut cauſſa, & effectus, vt terræ inter Lunam, & aſpectum noſtrū interpoſitio, & eclipſis Lunæ: aut quæ idem re ſunt, & voce diſtinguuntur, vt enſis, gladius. de quo ſolo quarto genere verum eſt, vt quæ inter ſe reciprocantur, ſub eandem cadant definitionem. Quod attinet ad minorem, ἀντίστροφός ἐστι hoc in loco nō ſignificat, Conuertitur, ſed Similis eſt. Cum autem huiuſmodi facultates ſint inter ſe ſimiles, & altera alteri reſpondeat, multis tamen in rebus ſunt diſſimiles, quod notauit Alexander, vt abſurdum ſit exiſtimare, eos inter ſe conuerti poſſe. Vnde perſpicitur falſo illud confectū eſſe, vtriq; harum facultatum eandem cōgruere definitionem. Dicuntur ambæ eſſe de rebus eiuſmodi, quę cōmuniter quodammodo ab omnibus cognoſcuntur, id eſt, quæ ad cōmunem omnium intelligentiam ſunt accommodatæ. Declarat Alexander, de rebus probabilibus, quāuis vna ſit de omnib. probabilibus, quæ etiam ſolis ſapientib. pro-

bari

bari poſſunt:altera de illis tantū,quæ ſunt perſuaſibilia,& probati omnibus, vel plurimis poſſunt,qua de re infra, vbi probabile a perſuaſibili diſtinguetur. Sūt de rebus nullius ſciētiæ definitæ. quod duplicem habet ſenſum, primum,vt alias res tractēt,quam quæ pertinent ad determinatas ſcientias. Alterum, vt res, quas tractant, non ſint vnius generis, quales ſunt illæ, quæ ad determinatas ſcientias referuntur,vt ſanabiles,& morboſæ ad Medicinā,affectiones magnitudinum ad Geometriā, numeri ad Arithmeticam,ſed variorum generum,non magis ad vnam,quàm ad aliam ſcientiam,& facultatem pertinentes. Primus ſenſus non eſt recipiendus: quia falſum eſt Rhetoricam, & Dialecticam res illas non tractare,quæ ad alias ſcientias pertineant. Quæcunque enim materia ab oratore tractatur,neceſſe eſt,vt ſit,aut naturalis, aut diuina, aut Mathematica, aut moralis, aut domeſtica, aut ciuilis, aut operoſa, & hoc modo ad alias ſcientias, & artes pertinens; quod ab aliis quoque obſeruatum eſt. Quare ſecundum ſenſum recipiemus. Ambarum autem omnes quodammodo ſunt participes; idq; probatur a munere ipſarum,quod ab omnibus quadam tenus præſtatur. Munus Dialecticæ eſt exquirere, & ſuſtinere rationē. Munus Rhetoricæ dicitur eſſe defendere,& accuſare,quod ſcilicet eſt frequentius. Nam ſæpius verſatur orator in genere iudiciali,quam in aliis generibus. Et munus Rhetoricæ eſt in deliberatiuo ſuadere,& diſſuadere: in demonſtratiuo laudare, & vituperare Quæ ſunt munera ſingularia. Nam munus vniuerſale Dialecticæ docētis eſt videre,quæ valent ad probandū: agentis diſſerere. Et Rhetoricæ docentis,videre,quod valet ad fidē faciendam: agentis apte dicere ad perſuadendum. Illa autem quæ cōmemorauit Ariſtotel.præſtantur, partim temere, partim cōſuetudine,& habitu.In quibuſdam enim libris traiecta voce καὶ legitur, οἱ δὲ διὰ συνήθειαν, καὶ ἀπὸ ἕξεως. Alij vero conſuetudine,& habitu.Quam lectionē ſecuti ſumus.Nā ex dicendi cōſuetudine fit habitus,ex mala malus,ex bona bonus.Bona autē cōſuetudo,& vſus dicendi,atq; exercitatio eſt vna de quattuor rebus,quę in pfecto oratore requiruntur,& ſunt,vt legitur apud Cic.lib.2.de orat. ingeniū, eruditio,imitatio.exercitatio. qualis verò exercitatio debeat eſſe in oratore apud eund.aperit

Craſſus lib. 1. Et hæc obiter. Denique Rhetorica, & Dialectica probantur eſſe artes; non ex definitione allata ab Ariſtot. lib. 6. Ethicorum, vt ars ſit habitus efficiendi recta cum ratione; ſic enim eſſent artes operoſæ: nec ex definitione, quæ legitur apud Ciceronem lib. 1. de orat. vt ars ſit eadem, ac ſcientia, quæ cognitis, penitusque perſpectis, & in vnum exitum ſpectantibus, ac nunquam fallentibus rebus continetur; ſic enim haberent finē, quem ſemper conſequerentur: ſed ex communi appellatione, quatenus earum munera, quæ partim temere, partim conſuetudine, & habitu præſtantur, etiam certa via, & ratione præſtari queant, & quatenus intuentur cauſſam, quamobrem finem adipiſcantur tum illi, qui conſuetudine, tum illi, qui caſu loquuntur; quod munus eſt artis.

Secunda pars procemij reprehendit veteres dicendi magiſtros, quòd ſimilitudine, quæ eſt inter Rhetoricam, & Dialecticam, parum obſeruata, alia tradiderunt, quàm quæ tradere in primis debebant. Quemadmodum enim in Dialectica agitur de ſyllogiſmo, ſic in Rhetorica de enthymemate potiſſimum agendū eſt. Quod quia illi non fecerunt, idcirco ab Ariſtotele reprehenduntur. Huiuſmodi autē reprehenſio in quinq; partes diſtributa eſt. Ac in prima quidē reprehenſione proponitur hoc probandum; Superiores dicēdi magiſtros exiguam artis Rhetoricæ particulam confeciſſe. Vbi obſeruandum eſt, primum Empedoclem nonnulla circa Rhetoricam mouiſſe, quod narrat Quinctilianus in principio libri tertij: primos Coracem, & Tiſiam Siculos Rhetoricæ ſcriptores fuiſſe: primos Gorgiam, Thraſymachum, Prodicum, Protagoram, locos communes tractaſſe: primum Antiphontem orationem ſcripſiſſe: primum Periclem in orationibus excelluiſſe, ante quem Cicero in Bruto negat quidquam ſcriptum eſſe, quod ornatum oratorium haberet: primum Iſocratem Gorgiæ auditorem hanc artem perficere conatum eſſe: primum Ariſtotelem perfeciſſe. Illud autem ad hunc modum confirmatur; Qui de enthymematibus nihil dixerunt, de iis verò quæ ſunt extra rem, plurima tradiderunt, exiguam artis Rhetoricę particulam confecerunt. At alij dicendi magiſtri de enthymematibus nihil dixerunt, id quod eſt corpus fidei, de iis verò, quæ

ſunt extra rem, plurima tradiderunt. Ergo exiguam artis Rhetoricæ particulam confecerunt. νῦν μὲν οὖν οἱ τὰς τέχνας τῶν λόγων συντιθέντες, ὀλίγον πεποιήκασιν αὐτοῦ μόριον. Ac qui artes quidem orationum hoc tempore componunt, exiguam ipſarum particulam confecerunt. Legitur αὐτοῦ, & αὐτῆς, & αὐτῶν. Nos vltimam lectionem expreſſimus, vt illa vox ad artes orationum referatur. Sigonius & Muretus videntur legiſſe τὴν τέχνην, & αὐτῆς. Probatur maior; αἱ γὰρ πίστεις ἔντεχνόν ἐστι μόνον: τὰ δ' ἄλλα προσθῆκαι. Fides enim ſola continet id, quod artificioſum eſt: alia verò additamenti ſunt loco. Sigonius; Quia ſolæ fides artificioſæ. & ſic ſemper in numero plurali Fides. Nos minus Latine probationes exprimi per Fides putamus, in quibus ſonare nerui ſolent, quam per fidem, cum recte dicamus facere fidẽ, & non fides pro perſuadere argumentis. Iam, cum de probatione, non de lyra agatur, tametſi vox Græca pluralis eſt, non videmus tamen, cur per vocem ſingularem declarari non poſſit, quemadmodum è conuerſo, vbi agitur de morata oratione, pro ſingulari Græca ἦθος dicimus Latine mores, vt linguæ ſeruemus proprietatem. Vbique igitur loco pluralis vocis fidem poſuimus. Fides autem hoc in loco accipitur ſtrictim pro enthymemate. Sic infra; De fide vero artificioſa demonſtrant nihil, hoc eſt, vnde aliquis fieri enthymematicus poſſit. &, Fides demonſtratio quædam eſt. Iam quæritur, cum duplex ſit demonſtratio oratoria, enthymema, & exemplum, cur ſolum enthymema hoc in loco commemoretur. Ad quam quæſtionem facilis, & expedita reſponſio eſt, ſub enthymemate exemplum contineri. Nam exemplũ duobus cõſideratur modis, aut quatenus in eo vna propoſitio probat concluſionem; & ſic eſt enthymema; ideoq; prope finẽ libri ſecundi traditur, quandoq; enthymema duci ab exemplo: aut quatenus vnum ſingulare probat alterum; & ſic dicitur exemplum; vt Piſiſtratus poſtulans corporis ſui cuſtodiam tyrannidem affectauit, ergo etiam Dionyſius poſtulans cuſtodiam tyrannidem affectat. Quatenus enim omittitur illa propoſitio, Si Piſiſtratus eo modo affectauit, etiam Dionyſius affectat; eſt ſyllogiſmus imperfectus, & enthymema: quatenus vero ſingulare factum Piſiſtrati probat factũ Dionyſij; eſt exem-

plum. Itaque cum exemplum ex Ariſtotelis doctrina ad ſyllogiſmũ reducatur, ſimul reducitur ad enthymema, quod eſt ſyllogiſmus quidam. Præterea quæritur, quomodo ſola fides, id eſt, ſolum enthymema ſit artificioſum, cum fides artificioſa ſit triplex, demonſtratio, affectus, mores. Qua de re dicendum eſt, artificioſum duobus modis conſiderari, aut ratione rei, quę tractatur ab oratore, & ſecundum rectitudinem artis, & quatenus ars Rhetorica abſolute ſpectatur: aut ratione auditorũ. Primo modo nihil eſſe artificioſum, niſi enthymema, quod ſolum eſt de re, & rem ipſam probat: altero modo etiã affectus, & alia eſſe artificioſa. Hanc vero diſtinctionem ſumpſimus ex primo cap. libri tertij, vbi agitur de actione, vel elocutione ad hunc modum; Et videtur eſſe res leuis, ſi recte exiſtimetur. At, cum ad opinionem tota Rhetorica traditio referatur, eius cura ſuſcipienda eſt, non tamquam rei recte ſe habẽtis, ſed tamquam neceſſariæ. Quoniam iuſtum eſt nihil amplius quærere circa ſermonem, quam vt neque moleſtiam, neque iucunditatem afferamus. iuſtum enim eſt ipſis decertare rebus. Quare alia præter demonſtrationem ſuperuacanea ſunt. Verumtamẽ multum valẽt, vt dictum eſt, propter improbitatẽ auditorum. Itaq; ſi recte exiſtimetur, id eſt, ſi ars abſolute, & ſecundũ rectitudinem ſuam perpendatur, cetera leuia ſunt, & ſuperuacanea præter demonſtrationem, & ſola demonſtratio eſt artificioſa, cetera non artificioſa. Iuſtum enim eſt, & rectitudo artis requirit, vt ipſis rebus, & rationibus decertemus. At ſi neceſſitas ſpectetur, & quatenus tota Rhetorica traditio ad opinionem refertur, & improbitatẽ auditorum, præter demõſtrationem, & argumentationẽ, aliorum multorum, quæ ſine dubio multum valent, cura ſuſcipienda eſt, & alia multa ſunt artificioſa, atque in arte curanda, vt affectus, mores, elocutio, actio, diſpoſitio partium orationis. Primo modo Ariſtoteles hoc in loco eſt locutus, alios dicendi magiſtros reprehendens, qui artis perfectionem minime cognouerunt. Secundo modo aliis in locis Rhetoricæ ſequens neceſſitatẽ, quæ ad auditorem ſemper refertur. In minore propoſitione legitur, ὅπερ ἐστὶ σῶμα τῆς πίστεως. Quod eſt corpus fidei. Habemus notas quaſdam M. Antonij Mureti, nobis datas ab amico eius, Ricardo Eſio, viro

non

non eleganti ſolum ingenio,ſed eximia etiam doctrina,& maxima probitate ornato, in quibus apparet eum legiſſe ῥῶμα τῆς πίστεως. Quam lectionem hæc quoque eius conuerſio comprobauit; Qui faciendæ fidei neruus eſt. Nos tamen,libere vt dicamus,quod ſentimus,non parum offendit vox ῥῶμα generis neutri non admodum vſitata, vel generis fœminini in lingua Dorica,qua Ariſtoteles non vtebatur. Nec ab re videri debet, vt enthymema appelletur corpus fidei, cuius corporis elementa ſunt loci, vt legitur lib. 2. cap. 22. in hunc modum, τὰ δὲ στοιχεῖα τῶν ἐνθυμημάτων λέγωμεν. στοιχεῖον δὲ λέγω, καὶ τόπον ἐνθυμήματος τὸ αὐτό. Elementa vero enthymematum dicamus. Elementum autem voco, & locum enthymematis idem. Nam vt elementa ſunt principia, ex quibus corpora conſtituuntur: ſic loci ſunt principia, ex quibus enthymemata formantur. Et, vt corpus humanum originem habet ab elementis, ſic corpus fidei, & enthymema ducitur à locis. Quare vt loci ſunt elementa enthymematis, ſic enthymema eſt corpus,quod ex elementis conflatur. In eadem propoſitione minore dicuntur alij dicendi magiſtri plurima tradidiſſe περὶ τῶν ἔξω τοῦ πράγματος, de iis,quæ ſunt extra rem. Nonnulli explicant, Extra Rhetoricam. Nos dicimus, Extra cauſſam, & quæſtionem, qua de agit orator. Sic infra; De re non ſunt, ſed ad iudicem referuntur. &, partim hoc inſtitutum retinent, & prohibent extra rem dicere. Probatur minor ſic; Criminatio enim, & miſericordia, & ira, & huiuſmodi animi perturbationes de re non ſunt, ſed ad iudicem referũtur. Illud, Et huiuſmodi animi perturbationes, refert Victorius ad miſericordiam,& iram,non etiã ad criminationem, quæ non eſt perturbatio, ſeu affectus. Maioragius vult criminationem eſſe perturbationem,& affectum,ac primo loco argumẽtatur ſic; Quod animos perturbat, eſt perturbatio,& affectus. Criminatio animos perturbat eorum,in quos exercetur. ergo eſt perturbatio,& affectus. Sed falſa eſt maior propoſitio:requiritur enim, vt perturbetur animus eius, in quo eſt affectus, non eius,in quẽ exercetur affectus. Secũdo ſic; Omnis appetitus vehemẽtior eſt perturbatio. Criminatio eſt appetitus vehemẽtior. ergo eſt perturbatio. Sed falſa eſt minor. nã in criminatione

quidẽ eſt appetitus vehementior:ſed ipſa nõ eſt appetitus. Tertio ſic; Quod a maleuolentia proficiſcitur, eſt affectus, & perturbatio. Criminatio à maleuolentia proficiſcitur. ergo eſt affectus & perturbatio. Sed falſa eſt maior: quia maleuolentia ipſa, & odium eſt affectus, non quod proficiſcitur a maleuolentia, & odio. & aliud eſt, Vnde proficiſcitur, aliud, Quod proficiſcitur. Poſtremo ſic; Si criminari eſt perturbare, criminatio eſt perturbatio, & affectus. Illud eſt. ergo hoc. At negatur conſequentia, quia criminari ſine dubio eſt perturbare, nempe illos, in quos eſt criminatio: ſed non idcirco criminatio eſt perturbatio, & affectus eius ipſius, qui exercet criminationem, etiamſi ab affectu queat talis criminatio prouenire. In eodem errore verſatus eſt amicus meus, qui in Tabulis Rhetoricis inter πάθη enumerauit criminationem, quæ odium gignit. Nominatur autem iudex, quia ſupra commemoratum eſt munus generis iudicialis, tanquam frequentioris. Sed intelligitur quoque quilibet alius auditor, cuius animus ad affectum impelli poteſt. Secunda reprehenſio eſt, quod iſti; qui de affectibus tantum præcepta tradiderunt, in optimis iudiciis nihil habuerunt, quod dicerent, vt in Areopago, vbi prohibebatur affectuum concitatio. Et recte, ne animi auditorum diſtorquerentur. Quæ reprehenſio redigitur ad duo enthymemata. Primum eſt; In optimis iudiciis optimum cenſetur, vt nulla fiat affectuum concitatio. ergo in optimis iudiciis iſti, qui affectus tantum tractarunt, nihil habuerunt, quod dicerent. Alterum eſt; Non oportet diſtorquere regulam, qua quis vſurus eſt. ergo ſimiliter ne iudicem quidem peruertere per affectuum concitationem. Hoc enim illi perſimile eſt. Concluſio primi enthymematis; Quod ſi in omnibus iudiciis eueniret, perinde ac etiam nunc in nonnullis ciuitatibus euenit, maxime vero in iis, quæ bene ſunt inſtitutæ, ad dicendum nihil haberent. εἰ περὶ πάσας ἦν τὰς κρίσεις. Muretus omittit illud τὰς κρίσεις, conuertens ſic; Itaque ſi in omnibus obſeruaretur; quod & nunc quibuſdam in ciuitatibus obſeruatur. Vult igitur illud περὶ πάσας referri ad ciuitates, non ad iudicia. Nos nihil de antiqua lectione immutauimus. Sequitur aſſumptio primi enthymematis; Omnes

enim

enim partim arbitrantur ſic legib. caueri oportere: partim hoc inſtitutum retinent, & prohibent extra rem dicere, vt etiam in Areopago. Lucianus in Hermotimo, & Anacharſide inducit Solonem loquentem in hunc modum; Si quis exordio colligendæ beneuolentiæ cauſſa vtatur, aut miſericordiam, aut indignationem alicunde commoueat, qualia multa oratores aduerſus iudices compararunt; ſtatim per præconem iubentur ſilere, non permittentem eos audiẽte ſenatu nugari, & rem verbis inuoluere, vt facta nuda Areopagitæ inſpiciant. Concluſio ſecundi enthymematis; Non oportet iudicem peruertere ad iram excitando, vel inuidiam, vel miſericordiam. Aſſumptio; Quia id ſimile eſt, ac ſi quis, qua vſurus eſt regula, eam peruerſam reddat. Nonnulli ex hoc loco ſic argumentantur; Non licet peruertere iudicem. ergo non licet affectus mouere. Nos conſecutionem negamus; & dicimus, aut per affectus trahi auditores ad id, quod falſum, & iniuſtum eſt, & tunc non licere: aut ad id, quod verum, & iuſtum eſt, & tunc licere. Itaque, ſi omnes auditores eſſent, cuiuſmodi fuiſſe Areopagitæ dicuntur, ſanctiſſimi, & ſapientiſſimi, affectibus non eſſet opus: ſed, quoniam plerumque tales non ſunt, ideo, vt argumentationes maiorem apud eos vim habeant, affectus adhibendi ſunt. Id quod vel Quinctilianus his verbis declarauit; Quid ergo, dicet aliquis? obſcurandáne eſt veritas animorum commotione? Minime vero: ſed, ſi aliter ad veritatem perduci iudex non poteſt, neceſſario per commotionem eſt perducendus. Accedit, quod ſæpenumero auditores in iis affectibus verſantur, vt niſi ab eis abducantur, vel ad contrarios affectus adducantur, nunquam veritatem perſpecturi ſint. Neceſſarium igitur eſt, affectus mouere, vt veritas magis illuceat; huiuſque rei, tamquam neceſſariæ, ſuſcipienda cura eſt, quæ plurimum valet propter auditores, vt aperte Ariſtoteles lib. 3. cap. 1. teſtatur. Tertia reprehenſio eſt, quòd non erudiuerunt oratorem in proprio eius munere. Aliud autem eſt munus oratoris, aliud legiſlatoris, aliud iudicis. Oratoris eſt demõſtrare rem eſſe, vel non eſſe; factam, vel non factam eſſe. Subintelligendum eſt etiam, futuram, vel non futuram eſſe, vt legitur quoque infra; De re facta, aut non facta; futura, aut non futu-

ra, quæ eſt, aut non eſt. Quod munus requirit enthymematum cognitionem. Legiſlatoris eſt, demonſtrare, vtrum magna, an parua res ſit, vtrum iuſta, an iniuſta, vt ſciatur, vtrum præmio, an pœna afficienda ſit, & quanto præmio, quantaque pœna. Iudicis eſt, non ſolum percipere ab oratore ea, quæ factum demõſtrent, & à legibus qualitatem, ac quantitatem rerum, ſed etiam legibus ſupplere. Itaque maxima in iudice præſtantia requiritur; vt argumenta intelligat oratoris; vt, quæcunque a legibus deciſa ſunt, cognoſcat; vt ſuppleat legibus in iis, quæ minime diſtinxerint legumlatores. Præferuntur autem leges iudiciis triplici ratione; vna ducta a perſonis, quia facilius eſt vnum habere, & paucos, quam multos, qui bene exiſtimenr, & poſſint legem ferre, ac ius conformare: altera a tempore, quia legumlationes fiunt ex longi temporis conſiderationibus, at iudicia derepente, vt difficulter illi, qui iudicant, iuſtitiæ, & vtilitatis rectam habeant rationem: tertia a rebus, quia legiſlatoris iudicium non eſt de rebus ſingularibus, nec de præſentibus, ſed de futuris, & vniuerſalibus; at concio & iudex de præſentibus, ac definitis iudicant, quibuscũ & amor, & odium, & propria vtilitas ſæpenumero coniuncta eſt, vt non amplius poſſint id, quod verum eſt, ſatis perſpicere, ſed propria iucunditas, & moleſtia iudiciũ obſcuret. Quarta reprehenſio, eſt, quòd in tractandis partibus orationis nihil aliud tradiderunt, quam quomodo afficerent auditorem: de fide vero artificioſa nihil præceperunt, hoc eſt, vnde aliquis fieri enthymematicus poſſet. Tamen ſi inſtruere confirmationem volebant, agere de enthymematibus debebant. Quincta reprehenſio eſt, quod ſeruiuerunt magis generi iudiciali, vbi multum valent affectus, quam deliberatiuo, vbi parum. καὶ καλλίονος, καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας οὔσης, ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα. Cumque pulchrior, & ciuilior deliberationis traditio ſit, quam ea, quæ de contractibus eſt. Muretus omittit, ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα. Deliberatio dicitur pulchrior, & ciuilior. Itaque præfertur ceteris generibus ratione rerum, quæ tractantur: bonum enim quo communius, eo maius, vt legitur lib. 1. Ethicorum. At lib 3. Rhetoricæ ratione elocutionis antefertur demonſtratiuum. & apud Ciceronem

300

tonem lib. 2. Off. ratione gloriæ præponitur iudiciale. Veteres igitur dicendi magiſtri de deliberatione nihil dicebant: de litigando omnes præcepta tradebant. Ratio eſt, quia minus erant accommodata ad genus deliberatiuum ea, quæ ſunt extra rem, vt affectus, de quibus illi agebant, quàm ad iudiciale; & idcirco minus erant accommodata, quia deliberatio eſt minus malitioſa, quam de iure diſceptatio. illa enim eſt communior, quam hæc; & quæ ſunt communiora, minus eſſe ſubiecta malitiæ videntur. ἀλλὰ κοινότερον. In quibuſdam libris legitur, ὅτι κοινότερον. Quia res communior ſit. Quam lectionem amplexi ſumus, vt reddatur cauſſa, cur minus malitioſa ſit concio, quam de iure diſceptatio. Muretus vertit; Sed ſimplicius. Sigonius; Sed communior. Maioragius; Sed magis aperta, & popularis. Iam quomodo deliberatio eſt communior, ſi eſt de propriis? hic enim, inquit Ariſtoteles, diſceptator de propriis iudicat. Dicendum eſt, in genere deliberatiuo diſceptatorem iudicare de propriis, id eſt, ad ſe etiam pertinentibus, & non alienis: in iudiciali autem de alienis, & nequaquam ad ſe pertinentibus. Quatenus igitur proprium opponitur alieno, deliberatio eſt de rebus propriis, quamuis eædem ſint communes, iudicium de alienis. Quatenus vero proprium opponitur communi, deliberatio eſt de communibus, non propriis, iudicium de propriis, non de communibus. Illud diſputatione Ariſtotelis conficitur, cum alij non egerint de enthymemate, non egiſſe eos de re illa, quæ ita eſt præcipua in Rhetorica, vt ſyllogiſmus in Dialectica. Artificioſa enim methodus dicẽdi pertinet ad fidem, & fides eſt demõſtratio quædam, & demonſtratio oratoria eſt enthymema. Quoniã vero enthymema eſt ſyllogiſmus quidã; & quę ad omnẽ æque ſyllogiſmũ pertinẽt, Dialecticæ eſt videre, vel ipſius vniuerſæ, vel partis alicuius; colligitur, qui cognoſcit ſyllogiſmum, eum ſimul cognoſcere enthymema, & qui Dialecticam, ſimul Rhetoricam, quod ſcilicet attinet ad demonſtrationem & argumentationem. τὸ δὲ ἐνθύμημα συλλογισμός τις, περὶ δὲ συλλογισμοῦ ὁμοίως ἅπαντος τῆς διαλεκτικῆς ἐστιν ἰδεῖν, ἢ αὐτῆς ὅλης, ἢ μέρους τινός: δῆλον δ᾽, ὅτι ὁ μάλιστα. Et enthymema eſt ſyllogiſmus quidam, & quæ ad ſyllogiſmum pertinent æque omnem, Dialecticæ eſt videre, vel ipſius vniuerſæ, vel partis alicuius: non eſt

dubium, qui maxime, &c. Muretus legit, τὸ δὲ ἐνθύμημα συλλογισμός τις: δῆλον, ὅτι ὁ μάλιστα. quod verò interiectum eſt, omittit, tanquam gloſſema. Nos id auſi non ſumus, cum veterum librorum conſenſus ea verba admittat. Cur autem cognitio vnius efficiat cognitionem alterius, affertur ratio, quòd videre verum, & ſimile vero, ad eandem pertineat facultatem. verum ſcilicet ſyllogiſmi, & veriſimile enthymematis. Accedit, quod cum homines ad verum natura conformati ſint ſatis, & plerunque veritatem conſequantur, quemadmodum aliquis ſe habet ad veritatem, ita etiam ad probabilia coniicienda. Iam verò cum ex hoc loco ſatis conſtet, enthymematis Rhetorici cognitionem, a ſyllogiſmi Logici cognitione pendere, nonnulli arbitrati ſunt, fieri non poſſe, vt Rhetorica cognoſcatur, niſi prius Logica percipiatur. Nos vt non negamus non ſolum Logicæ, ſed aliarum etiam artium cognitionem ad oratoris perfectionem pertinere; ſic non eſſe prorſus neceſſarium exiſtimamus, vt Logicorum prius, quam Rhetorum libri peruolutandi ſint, nec hi ſine illis intelligi ſatis, & ad perſuadendum accommodate queant. Nam profectò, ſi quibus rebus Logicis Rhetorica indiget, eas ex Logica in ſe translatas continet, ipſas percipere ex Rhetorica ſatis eſt. At ſine dubio continet. Inſtitutum enim Ariſtotelis eſt, eandem rem variis quidem artibus conſiderare, ſed modo diuerſo, & quantum ſatis eſſe ſingulis videatur. Itaque, vt aliquod exemplum afferamus, cum virtutes ad facultates animi pertineant, & hac de cauſſa in libris Ethicorum de ipſis facultatib. agendum eſſet, quæ conuenerunt, omnia ille tranſtulit, ex libris de animo, quos appellat Exotericos, in librum primum de moribus, eaq; non ratione exquiſita, ſed quantum morali contemplationi ſatis eſſe viſum eſt, perpendit. Quod ſe feciſſe oſtendit in hunc modum; Igitur & Politico contemplatio habenda eſt de animo, habenda autem horum gratia, & quatenus ſatis eſſe poteſt ad ea, de quibus quæſtio eſt. nam exquirere plus, quam conueniat, laborioſius fortaſſe eſt, quã ea, quæ propoſita ſunt. Dicuntur autem de ipſo nõnulla, quæ ſatis ſunt, etiam in exotericis diſputationibus. atque ipſis vtendum eſt; quemadmodum vnam quidem partem eius compotem eſſe rationis, alteram

tam vero expertem,& quæ ſequuntur. Noluit igitur Ariſtoteles Ethicæ facultatis deterrere ſtudioſos, nec prius ad res naturales reiicere, quam ad morales admittere: ſed habendam eſſe dixit de animo contemplationem, rerum moralium gratia,& quatenus ſatis eſſe poſſet,cum antea minime requiri exactam cognitionem tradidiſſet. Atque, vt ſtudioſis laborem minueret, præcepta ibi quædam naturalia conſcripſit, quæ ei poſſent ſatis eſſe, qui in Ethicæ facultatis ſtudio verſaretur, ne ei prius in Phyſicis,quam in Ethicis eſſet laborãdum. Quemadmodum autem in Ethicis,vbi exquiſitus diſcẽdi modus minime poſtulatur, omnia reperiuntur Phyſica, quæ pertinere ad Ethicorum intelligentiam exiſtimantur: ſic in Rhetoricis, quæ minus exactum habent contemplandi modum, ſunt omnia Logica,quæ ad Rhetoricorum valent cognitionem. Atque de illis habita eſt contemplatio horum gratia,& quatenus ſatis eſſe ad propoſitam materiam poterat; vt,quid ſit ſyllogiſmus,quid enthymema,quid inductio,quid exemplum;quemadmodum enthymema ſit ſyllogiſmus imperfectus, cui aliquid deſit, quod ſubintelligẽdum ſit,exemplum inductio imperfecta, tamquam pars ad partem; quemadmodum enthymema verſetur in perſuaſibilibus, id eſt, probabilibus confeſſis, & conſtet ex veriſimilibus, & ſignis, & quid ſit veriſimile, quid ſignum; qui ſint loci enthymematum verorum, qui adumbratorum, quomodo enthymemata diſſoluantur. Quæ dum traduntur,tametſi Logica citatur: id tamen ita ſit,vt ſem per res Logicæ,quibus Rhetorica indiget,in ipſa interponantur; vt nihil aliud citata auctoritas valeat,niſi, vt qui ea nõ ſint cognitione contenti,quæ ſatis eſſe ad rem propoſitam poteſt, ad præcipua earum rerum loca ſe conferant, & animum expleant ſuum. Verum de his longius non contendemus; nec,ſi quis voluerit maioris eruditionis cauſſa prius in Logicis, quã in Rhetoricis verſari, id damnabimus; dummodo nobis detur,id ita neceſſarium non eſſe, vt etiam aliter fieri non poſſit; cum præſertim ex ſententia Auerrois, grauiſſimi Philoſophi, Rhetorica inter partes Logicæ connumeretur, vt non ſit abſurdum parti alicui ſtudere,quæ magis ad rem noſtram pertinere videatur,& alias præterire, quas minus nobis neceſſarias

eſſe exiſtimemus. Non enim oratorem requirimus παντοδαπὴν ſed qui potiſſimum in quæſtionibus ciuilibus accommodate dicat ad perſuadendum. qua de re ſatis inſtruitur in Rhetorica, etiamſi Logicam non attigerit.

Tertia procœmij pars enumerat quattuor Rhetoricæ vtilitates, quæ facit, vt vera, & iuſta, quæ natura ſunt meliora, quã contraria, in iudiciis locum habeant, in quibus ſuperari a falſis, & iniuſtis, reprehenſione dignum eſt: quæ perſuadet apud omnes, cum aliæ artes id non faciunt, ſed perſuadeant tantum apud aliquos, nempe apud illos, qui earum principia nouerint: quæ contraria poteſt perſuadere, & ſyllogiſmo concludere, vt etiam Dialectica, cum hæ ſolæ id faciant, & ſimiliter, ac æqualiter ſint contrariorum: quæ deniq; facit, vt homo excellat ea in re, quæ eſt magis propria hominis, quam corporis vſus. De prima vtilitate ſic legitur, χρήσιμος δέ ἐστιν ἡ ῥητορικὴ, διά τε τὸ φύσει εἶναι κρείττω τ' ἀληθῆ, καὶ τὰ δίκαια τῶν ἐναντίων. Vtilis autem eſt Rhetorica, propterea quod natura ſunt meliora vera, & iuſta, quam contraria. Muretus legit, διὰ τὸ φύσει μὲν εἶναι, & addit, οὐκ ἀεὶ δὲ, καὶ τοῖς πολλοῖς πείθειν εὐπιστότερα τῶν ἐναντίων. & conuertit ſic; Vtilis autem Rhetorica eſt, tum quia natura quidem vera, & iuſta potentiora ſunt falſis, & iniuſtis: non tamen ſemper etiam in vulgus faciliora ad perſuadendum. Hoc vero, quod addit Muretus, cogitandum eſt, quomodo conueniat illis Ariſtotelis verbis paullo infra poſitis, ἀεὶ τ' ἀληθῆ, καὶ τὰ βελτίω τῇ φύσει, εὐσυλλογιστότερα, καὶ πιθανώτερα, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν. Semperque vera, & meliora natura, aptiora ſunt ad ſyllogiſmum, & magis idonea ad perſuaſionem, vt ſimpliciter dicam. Ac dicuntur quidem vera, & iuſta, eſſe meliora: ſed Carneades ille, qui Romæ audiente Cenſorio Catone non minoribus viribus iuſtitiam dicitur vitúperaſſe, quam pridie laudauerat, contra ſenſit, falſa, & iniuſta eſſe meliora; exempli gratia, ſi quis velit vendere ſeruum fugitiuum, vel domum inſalubrem, ac peſtilentem, nonne melius ſibi faciet, ſi falſum dixerit, non eſſe talem ſeruum, non eſſe talem domum? Si reperiat aliquem, qui putet ſe vendere aurichalcum, aut plumbum, quod ſit aurum, aut argentum, nonne melius faciet, ſi permiſerit illum falli, & emerit paruo, quod multum valeat?

Si

Si naufragium fecerit, & poſſit alteri eripere tabulam, vt ſe ipſum ſeruet, & ille alter pereat, nonne melius faciet, ſi ea in re fuerit iniuſtus, quam ſi iuſtus? Si acie ſuorum fuſa in fugam conuerſus nactus fuerit aliquem ſaucium, equo inſidentem, quem poſſit deiicere, vt vitam ſuam conſeruet, nonne melius faciet, ſi eum deiecerit, quamuis iniuſte, & eo modo manus hoſtium effugerit? Hæc quidem, & alia eiuſmodi dicebat Carneades, vt legitur apud Lactantium lib. 5. cap. 17. ſed illa vox φύσει omnem eximit dubitationem. Natura enim ſemper vera, & iuſta ſunt meliora, quam contraria: opinione vero hominum non ſemper. Secunda vtilitas eſt, quod, cum aliæ artes non facile poſſint aliquid vulgari multitudini perſuadere, propterea quod ad doctrinam pertinet oratio, quæ a ſcientia proficiſcitur, & non niſi a doctis intelligi poteſt: hæc facultas ad communem ſe accommodat hominum intelligentiam, & perſuadet apud omnes, ex communibus ducens fidem, & rationem, vt traditum eſt quoque ab Ariſtotele lib. 8. Topic. In tertia vtilitate dicitur, oportere contraria poſſe perſuadere, & ſyllogiſmo concludere, tum in Rhetorica, tum in Dialectica, non vt vtrumque faciamus, cum mala perſuadere non oporteat, ſed vt ne lateat, quomodo vnumquodque ſe habet, & vt altero iniuſte rationibus vtente ſoluere eas poſſimus. Et ex aliis quidem artibus nullam ſyllogiſmo contraria concludere: Dialecticam vero, & Rhetoricam ſolas id facere; Similiter enim eſſe ambas contrariorum. quod tamen nonnullam habet dubitationem, quia aliæ quoque artes videntur contraria conſiderare; Medicina ſanum, & morboſum; Muſica ſoni, & cantus conuenientiam, & diſcrepantiam, Grammatica ſermonem congruentem, & non congruentem, aliæque ſimiliter. Sed huiuſmodi dubitatio tollitur illa voce Ariſtotelis ὁμοίως: quòd hæ duæ ſolæ conſiderent contraria ſimiliter, & æqualiter, tam vnum, quam alterum, cum Dialectica ex rebus probabilibus æque probet rem eſſe, & non eſſe, Rhetorica æque ſuadeat, & diſſuadeat, laudet, & vituperet, accuſet, & defendat: aliæ vero artes non ſimiliter id faciant, ſed magis in vnum contrarium, quam in alterum propendeant.

In quam ſententiam ſcribit Alex. in commentario Topicorum Ariſtotelis, alias artes tendere magis in illud contrarium, quod eſt melius: has vero æque tractare vtrumq; contrarium, & ob id dictas eſſe potentias, & facultates, cum id vere poſſe videatur, quod æque contraria poteſt. Additur, quamuis Rhetorica, & Dialectica ſimiliter ſint contrariorum: tamen res ſubiectas non ſimiliter ſe habere; ſed veras, & meliores ſemper eſſe aptiores ad ſyllogiſmum, & perſuaſionem, faciliuſque ſyllogiſmo concludi, ac perſuaderi. In quarta vtilitate eſt argumentum a minori, Quod ſi turpe eſt, hominem nõ poſſe ſibi corpore opitulari, quod ipſe habet commune cum beſtiis, multo turpius eſt, nõ poſſe id efficere oratione, quæ eſt magis propria hominis, quam corporis vſus.

Quarta pars procœmij tollit illam obiectionem contra vtilitatem Rhetoricæ, quod valde nociturus ſit is, qui iniuſte vtatur huiuſmodi rationum facultate. Quandoque enim homines eloquentes maxima detrimenta Rebusp. & generi humano importarunt. Exempli gratia, in Remp. Athenienſem inuexit Tyrannidis incõmoda diſerta oratio Piſiſtrati, qui cum bello Megarenſi rem bene geſſiſſet, inimicorum inſidiis aduerſus ſe ſimulatis, & vulneribus ſibi ipſi illatis, trecentos corporis ſui cuſtodes poſtulauit, & obtinuit; fruſtra clamante Solone Homericum Vlyſſem ab improbo ciue aſſimulari, vt, quemadmodum ille ſe ipſum cædens hoſtes decepiſſet, ſic ipſe ciues ſuos deciperet; ac monente, cauendum eſſe à lingua, & verbis fallentibus blandi viri vulpinis paſſibus ambientis. Itaque illis trecentis militibus arce occupata tyrannidem exercuit. Hegeſias vero Cyrenaicus Philoſophus adeo copioſe vitam hominum lugebat, humanas miſerias deplorabat, mortalium mala repræſentabat, vt plurimi eius verbis auditis mortem ſibi ipſi conſciſcerent. Quamobrem Ptolemæus Rex, veritus, ne numerus mortalium propter pernicioſam Hegeſiæ eloquentiam plus nimio diminueretur, vetuit eum amplius illis de rebus diſputare. Ti. autem, & C. Gracchus eloquentes quidem fuerunt, ſed pernicioſi. Sic alij prope innumerabiles. Reſpondendum eſt, id eſſe vitium hominum, non artis, &, vt ait Ariſtoteles, hoc commune eſſe aduerſus omnia bona præter

ter virtutem, & maxime aduerſus vtiliſſima, vt robur, valetudinem, diuitias, diſciplinã militarem, vt in bonam, & malam partem poſſint adhiberi. His enim aliquem profuturum maxime, ſi iuſte vtatur; & nociturum, ſi iniuſte. Cum autem dicantur omnia bona præter virtutem poſſe etiam in malam partem vſurpari, inter illa tamen bona enumerantur robur, & valetudo, quæ in hoc ipſo libro appellantur virtutes corporis, & diuitiæ, quæ vocantur virtus poſſeſſionis, & diſciplina militaris, quæ etiam eſt virtus. Quomodo igitur verum eſt, ſolam virtutem inter bona in malum vſum non cadere? Id intelligendum eſt de virtute morali, qua certe nemo abuti poteſt, cum aliæ virtutes vel corporis, vel intelligendi, ſub malum vſum cadant.

Quincta pars proœmij repetit duo, quæ expreſſe in ſuperioribus partibus probata ſunt, Non eſſe vnius alicuius generis definiti Rhetoricam, ſed ſimilẽ Dialecticæ, & vtilem eſſe. Addit alia duo, quæ obiter ſignificata ſunt. Nam in prima parte dictum eſt, munus artis eſſe intueri cauſſam finis: & in tertia Rhetoricam apud omnes perſuadere: vnde colligitur, munus Rhetoricæ eſſe non perſuadere, ſed videre, quæ in quaque re valent ad perſuadendum: quemadmodum ne Medicinæ quidem munus eſt ſanare, ſed quatenus fieri poteſt, ad ſanitatem perducere, cum liceat etiam illos bene curare, qui ſanitatem recuperare non poſſunt. Dictum quoque eſt in ſecunda parte, videre verum, & ſimile vero, quod poteſt eſſe falſum, ad eandem facultatem pertinere: & in tertia, Dialecticam, & Rhetoricam contraria conſiderare, tum verum, tũ falſum: vnde colligitur, Rhetoricæ eſſe, videre perſuaſibile, & apparens perſuaſibile, quemadmodum Dialecticæ videre ſyllogiſmum, & apparentem ſyllogiſmum: ac Dialecticum quidem eſſe ex facultate, ſeu potentia, ſed non ex prælectione, quia habet facultatem vtendi rationibus falſis, ſed ex illis gloriam minime prælegit: ſophiſticum vero cenſeri non ex facultate, ſed ex prælectione, quia ex captioſis argumentationibus gloriam prælegit: at oratorem æſtimari tum ex ſciẽtia, tum ex prælectione, quia ſcit vti falſo perſuaſibili, & quandoque etiam ex illo gloriam prælegit; ita vt in differendi arte ſint duo nomina

Dialecticus,& Sophiſticus: in Rhetorica vnum tantum, nempe orator. Nominamus cum Sigonio *τὴν προαίρεσιν* præelectionem. Victorius,& Maioragius appellat voluntatem. Muretus conſilium. Tamẽ alia eſt voluntas: alia præelectio; quod voluntas ſit appetitio boni cum ratione: præelectio vero modo bonum malo, modo malum bono anteponat. Hæc enim non ſolum in libris de animo inter ſe diſtinguuntur, *προαίρεσις, καὶ βούλησις*: verum etiam lib. 3. Eth. cap. 2. ſic, *ἡ προαίρεσις οὐδὲ βούλησίς γε, καίπερ σύνεγγυς φαινομένη.* Præelectio non eſt voluntas, etiamſi prope eſſe videatur. Diſtinguitur etiam præelectio a conſilio, eiuſdem libri cap. 3. ad hunc modum, *ἀφορισμένον ἤδη τὸ προαιρετόν. τὸ γὰρ ἐκ τῆς βουλῆς προκριθὲν, προαιρετόν ἐστι.* Definitum iam eſt, quod cadit ſub præelectionem: quod enim ex conſilio præiudicatum eſt, id cadit ſub præelectionem. Conſilium igitur eſt illud, quod præiudicat: præelectio vero illa, quæ præeligit, quod iam ex conſilio iudicatum eſt. Victorius in principio lib. 1. Eth. *τὴν προαίρεσιν* vocat electionem. At *ἡ αἵρεσις*, & electio videtur etiam belluis conuenire: *ἡ προαίρεσις* vero, & præelectio tantum animalibus ratione vtentibus, quippe quæ antegreſſam habet deliberationem. Quaſobres inſiſtere illorum veſtigiis maluimus, qui voce præelectionis vſi ſunt, quamuis noua, idonea tamen, & Græcæ vocis imitatione recte formata, quam vſurpare vocabulum voluntatis, vel conſilij, vel electionis, aliquantiſper diuerſum a ſignificatione ipſius præelectionis; multoque minus nobis placuit illos ſequi, qui ſtudium, & inſtitutum, ac illos, qui propoſitum conuerterunt. De oratore autem minus proprie ſcientia nominatur. Atque ex hoc loco colligi definitio oratoris poteſt, vt ſit is, qui videt perſuaſibile, & apparens perſuaſibile, atq; eſt partim ex facultate, partim ex præelectione. Quæ definitio ſumpta eſt a modo conſiderandi. Etenim otator res ipſas conſiderat, quatenus ſunt perſuaſibiles, vel apparentes perſuaſibiles. Craſſus vero apud Ciceronẽ lib. 1. de orat. definiuit ipſum oratorem a materia communiore, vt ſit is, qui quæcunque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter, & copioſe, & ornate, & memoriter dicat cum quadã etiã actionis dignitate. Et Antonius a materia magis propria, vt ſit is, qui in cauſſis fo-

renſibus,

ſenſibus,atq; cõmunib.vti poſſit & verbis ad audiendũ iucundis,& ſententiis ad probandum accõmodatis. Idem Cicero in orat. ad Brutum a decoro, qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate poteſt dicere. & de optimo genere oratorum,a triplici artificio,qui dicendo animos audientium & docet,& delectar,& permouet.In eadem vltima parte proponuntur duo in toto hoc opere pertractanda,Quomodo,& Ex quibus ea, quæ propoſuerimus, conſequi poterimus. Quomodo, id eſt,qua elocutione,& qua diſpoſitione. Ex quibus,id eſt, ex quibus artificiis inuentionis, nempe argumẽtis, moribus, & affectibus. Vnde oriuntur tres partes Rhetoricæ, de quibus in principio libri tertij;vna ex quibus fides fiat,altera de elocutione, tertia, quomodo oporteat ordinare partes orationis.De quibus omnibus pollicetur Philoſophus ſe præcepta traditurum,poſteaquam Rhetoricam definiuerit.

IN CAPVT SECVNDVM, *De natura Rhetoricæ, de fide duplici, de fide artificioſa triplici, de argumentatione duplici, enthymemate, & exemplo, de materia, & forma vtriuſque.*

DEfinitur Rhetorica, vt ſit facultas in quaque re videndi, quod cõtingit eſſe perſuaſibile.Qua in definitione quattuor obſeruanda ſunt, genus Rhetoricæ proximum, materia ſtrata,munus, modus conſiderandi.

Ac nõ eſt quidẽ dubitandũ, quin Rhetorica ars ſit,nõ ex definitione allata lib.6. Eth. vt ſit habitus efficiẽdi recta cũ ratione,quo in genere omnes reperiũtur artes operoſæ:nec ex definitione, quæ legitur lib.1.de orat.vt ſit eadẽ,ac ſcientia,quæ cognitis,penitusq; perſpectis,& in vnum ſpectãtibus,ac nunquã fallentib.rebus continetur; quo in genere ſunt Mathematicæ diſciplinæ:ſed ex cõmuni quadam appellatione,quatenus fungitur munere artis, & intuetur cauſſam, quamobrem quidam perſuadeant,quidam non perſuadeant,vt in principio dicebatur. Vbi ars vniuerſe accipitur,qua omnis ſcientia, & facultas, omniſque ars tum ingenua,tum operoſa ſignificatur. Itaque ars quidẽ genus Rhetoricæ eſt, ſed non proximum. Significatum eſt quoque Rhetoricam eſſe ſcientiam in fine proœmij,

cum dictum eſt oratorem eſſe partim ex ſcientia, partim ex prælectione. Sed ibi ſine dubio improprie ſcientia pro facultate nominata eſt, cum ſcientiæ natura a Rhetorica aliena ſit. illa enim eſſe rerum neceſſariarum, hæc contingentium exiſtimatur. Quamobrem in capite quarto ſic ſcriptũ eſt; Quod ſi quis vel Dialecticam, vel hanc non tamquam facultates, ſed ſcientias inſtruere conetur, latenter naturam ipſarum demolietur, eo quod continuans tranſeat in ſcientias ſubiectarum quarundam rerum, & non tantummodo rationum. Vocabulum autem facultatis tamquam proximum Rhetoricæ genus ſelectum eſt, non quatenus facultas latiſſime accipitur, omneſq; denotat diſciplinas, tum quę in contemplando verſantur, tum quæ in agendo, tum quæ ad aliquid efficiendum referuntur, atque vniuerſe potentias omnes, quæ ſunt principium mutationis in aliud: ſed quatenus ſtrictiſſime eas tantummodo artes complectitur, quæ contraria æque pertractant; cuiuſmodi eſſe duas ſolas, Rhetoricam & Dialecticam, idem Ariſtoteles ſuperiori capite teſtatus eſt. Primum igitur obſeruandum videtur, quod docet Alex. in librum primũ Top. eas proprie facultates, & potentias appellari, quæ ſimili modo habent contrariorum demonſtrationem, cum id, quod vere aliquid poteſt, contraria æque poſſit: reiectis illorum opinionibus, qui illas appellari potentias arbitrantur, quæ potentia, & excellentia quadam eos inſtruat, qui illis vtuntur. Qua certe ratione & ars militaris, & legum diſciplina, & aliæ eſſent facultates; non duæ ſolæ, vt affirmat Philoſophus. Vel etiam, quæ in bonum, & malum conuerti vſum queunt. Nam hoc modo ſcientiæ quoque facultates eſſent. Deinde ex verbis Ariſtotelis intelligendũ eſt, has ſolas Rhetoricam, & Dialecticam æqualiter cõtrariorum habere demonſtrationem, vt has ſolas eſſe proprie facultates dignoſcamus. Sic enim legitur in tertia vtilitate Rhetoricæ; Ac ex aliis quidem artibus nulla ſyllogiſmo contraria concludit. Dialectica vero, & Rhetorica ſolæ id faciunt: æque enim ſunt ambæ contrariorum. Id quod declarat Alex. in hunc modum; Qui in ſcientiis verſantur, licet habeant contrariorum cognitionem, tamen ſcopus, quem in aliqua ſcientia ſibi propoſuerunt, eſt, vt alteram partem contrariorum, quæ melior

lior eſt, definite cōſequātur; Medicus, vt ſanet; Aliptes, vt firmā corporis cōſtitutionē tueatur, & ceteri alterū cōtrariorū, quod melius eſt, propoſitū habent, in quo ſe exerceant. Nam cognitio contrariorum, quam aſſequuntur, non eſt apud eos præcipua, ſed ex vnius cognitione alterius ſequitur cognitio; quemadmodum ex ſcientia eorum, quæ ſanitatem inducūt, ſequitur etiam cognitio eorum, quæ morbos gignunt. Dialecticus vero, atque Rhetor ſimili modo propoſitam habent contrariorum demonſtrationem. Hæc ille; vnde ſatis conſtat, Rhetoricam; & Dialecticam æque in contrarias partes argumentari; cumque aliæ artes in vnam partem magis propendeant, has in vtramque partem æque propenſas eſſe, etiam ſi laudet Philoſophus Rhetoricam, quod per eam vera, & iuſta demōſtrentur; & ſcribat oportere contraria perſuadere poſſe, non vt vtrumque faciamus, quia mala perſuadere non oportet, ſed vt alterum mala perſuadentem refellere queamus. Hoc enim eſt conſilium Ariſtotelis, non Rhetoricæ natura, quæ æqualiter propoſitum habet demonſtrare contraria, vt etiam Dialectica, & idcirco proprie vna cum ea facultas nominatur.

Cognito genere Rhetoricæ cognoſcenda eſt eius materia ſtrata, vel res conſiderata. Sic enim more Philoſophorum nobis loquēdum eſſe proprietatis cauſſa arbitramur. Alibi igitur oratorum floſculos, lepores, & feſtiuitates, concinnumque & modulatum verborum ſonum conſectabimur: hic, vt cœpimus, proprietatem ſeruabimus. Ariſtotelis autem ſentētia hac ipſa de re non ſatis aperta eſt, ſiquidem in fine prooemij Rhetoricæ munus affirmauit eſſe, videre, quæ contingunt eſſe perſuaſibilia περὶ ἕκαστον, & in definitione dixit quoque περὶ ἕκαστον. Infra tamen in hoc eodem capite tradidit, eam eſſe περὶ τοιούτων, περὶ ἂν βουλεύόμεθα, de talibus rebus, de quibus conſultamus; conſultare autem nos de rebus agendis, atque iis, quæ in noſtra ſunt poteſtate, idem lib. 3. Eth. cap. 3. docuit. At huius libri cap. 3. ſcripſit materiam huius artis eſſe τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, tria genera orationum oratoriarum. Itaq; modo res omnes tribuit Rhetoricę: modo res agendas: modo tria genera orationum. Quæ cauſſa fuit, quamobrem eius ipſius ſententiam Rhetores alio atque alio modo interpretati ſint.

Nam Quinctilianus ſcribit, res omnes Rhetoricæ ab Ariſto-
tele fuiſſe tributas; cum ait lib. 2. Omnia ſubieciſſe oratori vi-
detur Ariſtoteles, cũ dixit vim eſſe dicendi, quid in quaq; re poſ-
ſit eſſe perſuaſibile. Vbi obſeruandũ ẽſt, eum vertere τῦ θεωρῆ-
σαι dicẽdi. Quod quam recte, alij iudicent. At Cicero teſtatur,
aliã Gorgiæ, aliã Ariſtotelis fuiſſe opinionẽ, cũ ille omnia, hic
tria genera rerũ oratori, & eius arti ſubiecerit: Sic enim legitur
lib. 1. de inuen. Gorgias Leontinus, antiquiſſimus fere Rhetor,
omnib. de reb. oratorem optime poſſe dicere exiſtimauit; hic
infinitã, & immenſam huic artificio materiã ſubiicere videtur:
Ariſtoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta, atque or-
namenta ſubminiſtrauit, tribus in generibus rerũ verſari Rhe-
toris officium putauit, demonſtratiuo, deliberatiuo, iudiciali.
Quæ duæ opiniones ab eodẽ Cicerone lib. 1. de orat. altera ſub
perſona Craſſi, altera ſub perſona Antonij ſunt explicatæ. Illu-
ſtris Comes, Iacobus Zabarella hanc dubitationẽ ita tollit, vt
illud περὶ ἕκαστον anguſtius reddat, quo non ſimpliciter omnẽ
rem propoſitã vult ſignificari, ſed omnẽ rem, quę ad humanas
actiones pertineat, quæq; tribus cauſſarũ generib. comprehen-
datur. Etenim quæſtionũ Logicarum lib. 2. cap. 18. ſcribit, Rhe-
toricam ſpectare actionẽ, non cognitionẽ, idq; ex eo probat,
quod nomẽ perſuaſionis ad actionẽ referatur, ſi recte eius vis
obſeruetur; tuncq; aliquid alicui eſſe perſuaſum dicatur, cũ eo
perductus eſt, vt ita agere velit. Itaq, cap 15. exempla affert tan-
tũ generis deliberatiui, iudicialis, demonſtratiui. Et in librum
primũ poſteriorum Analyticorum tradit, Dialecticam cogni-
tionis inſtrumentum eſſe, Rhetoricã non cognitionis, ſed a-
ctionis, & nomen perſuaſionis reſpicere actionẽ futuram: glo-
riaturq; huius vocis vim a nemine, vt ipſe ait, cognitam, ſe pri-
mũ animaduertiſſe. Hæc quidẽ eſt viri grauiſſimi, & eruditiſſi-
mi ſententia: ſed vereor, an ei prorſus poſſim aſſentiri. Ac illud
quidẽ tam verũ eſt, quam quod veriſſimũ, præcipuam Rheto-
ricæ materiam res illas eſſe, de quibus conſultamus, & quas a-
gunt homines, maximeque tria genera cauſſarum, quæ defi-
nitas complectuntur quæſtiones: tamen Philóſophus in vni-
uerſum loquens cetera a munere oratorio minime mihi vide-
tur ſegregaſſe, ne ea quidem, quæ ad cognitionem pertinent,
ſi modo

 306

ſi modo proprio, & oratorio, id eſt, ad hominum intelligentiam accōmodato pertractentur. Nam, dum Rhetoricæ munus aliis artibus probauit non conuenire, dixit Medicinam verſari in ſanabili, & morboſo; Geometriam in affectionibus, quæ magnitudinibus accidunt; Arithmeticam in numero; ſimiliter vero etiam artes, & ſcientias reliquas in rebus ſibi ſubiectis: at Rhetoricam in quaque re modo appoſito ad perſuadendum, ne illis quidem ſecluſis, quæ ab aliis artibus traduntur, & fiunt propriæ ipſius Rhetoricæ, ſi oratorie dicantur. Tametſi enim initio legitur, Rhetoricam, vna cum Dialectica eſſe de talibus quibuſdam rebus, quæ nullius ſunt ſcientiæ definitæ; & in hoc ipſo capite, vbi agit de perſuaſibili, Munus Rhetoricæ eſſe de talibus rebus, de quibus artes non habemus: tamen cum intelligendum ſit, Rhetoricam eſſe de rebus nullius ſcientiæ definitæ, id eſt, quæ non ſunt vnius generis, ſed variorum generum, & non magis ad vnam, quam ad alteram ſcientiam, & artem pertinentes, vt ſupra declarabamus, & de rebus, de quibus artes non habemus, id eſt, quæ definitæ non ſunt, nec ad vllas artes pertinent definitas, ex eiuſdem doctrina dicimus, Rhetoricæ quidem non licere illas res tractare, quæ ſunt aliarum artium, enthymematibus propriis ipſarum artium, ſed ſumptis ex communibus locis, & ad vulgarem opinionem accommodatis. De propriis ſic legitur infra; Qui magis ea attingunt, quam par eſt, recedunt à ſe ipſis. & paullo poſt; Hæc quo quis meliora eligat ad propoſitiones conficiendas, clam efficiet ſcientiam a Dialectica, & Rhetorica diuerſam. Nam ſi incidat in principia, non Dialectica, neque Rhetorica, ſed illa erit, cuius habeat principia. De communibus in hunc modum: Dico Dialecticos, & Rhetoricos ſyllogiſmos eſſe, de quibus locos dicimus. Atque hi ſunt communiter de iuſtis, & naturalibus, & de ciuilibus, & de multis differentibus ſpecie, vt maioris, & minoris locus: nihil enim magis licebit ex hoc concludere ſyllogiſmo, vel enthymema dicere de iuſtis, quam naturalibus, aut de quacunque re. Atque hæc ſpecie differunt. Iam ex his Ariſtotelis verbis conſtat, Rhetoricæ licere, argumentis ductis ex communibus locis non ſolum agere de rebus ciuilibus,

quæ propoſitam habent actionem, verumetiam de naturalibus,& de quacunq; re. Quæ Rhetoricæ vtilitas ab ipſo Ariſtotele agnoſcitur maxima, vt aliæ artes omnibus, quidquid velint,perſuadere non poſſint,cũ ea dicendi ratione vtantur,quæ a ſcientia proficiſcitur: Rhetorica vero apud omnes perſuadeat,cum ex cõmunibus ducat fidem,& argumenta.Neq; ſolum ab eodem triplex orationum genus cõmemoratur,id eſt,quæſtio definita: verumetiam infinita,cum lib.2.cap.22.vbi agitur de inueſtigandis rebus infitis,legatur;Similiter autem his & de re quacunque,vt de iuſtitia,bonum ne,an non bonũ,ex iis,quæ inſunt iuſtitiæ,aut bono.Quamobrem,licet præcepta traduntur in primis de tribus generibus cauſſarum, tamquam de materia præcipua,non tamen cetera reiiciuntur;vt affirmare poſſe videamur,triplicem Rhetoricę materiam eſſe;vnam cõmuniorem, quæ res omnes complectitur; alteram propriã de rebus agendis, etiam quæſtione infinita comprehenſis; tertiam magis propriam de tribus generibus cauſſarũ ad quæſtionem pertinentibus definitam.Itaq; non eſt ſatis firmum illud,Rhethoricam ſpectare actionem,non etiam cognitionem:Dialecticam vero cognitionem,non etiam actionem. Sed illi ſolidæ, ac germanæ diſtinctioni ſtandum eſt, quam conficit Alexander,vt tradat,Dialecticã æque in omni materia verſari non ſolum pertinente ad cognitionem,verumetiam ad actionem: Rhetoricam vero non ęque in omni materia,ſed magis in illa, quæ eſt actionis,quã in illa,quæ eſt cognitionis. Putare autem Alexandrum, Dialecticam eſſe quoque de iis rebus, quæ ad agendum referũtur,& Rhetoricam ſimul de iis, quæ ad cognoſcendũ, ſic apparet ex eius ipſius verbis; Dialecticus & de Muſicis,& de Medicinalibus,& de Phyſicis,& de Moralibus,& de Logicis,& vno verbo de omnibus propoſitis quęſtionibus diſputabit. & paullo poſt; Orator quoque de Medicinalibus, de Philoſophicis, de Muſicis, ac maxime de Politicis loquitur. Quod attinet ad occultam verbi ſignificationem,vereor,vt eam poſſim concedere. Siquidem nõ ſolum Ariſtoteles ſcribit, vnamquamque aliarum artium in re ſibi ſubiecta vim dicẽdi, & perſuadẽdi exercere, at Rhetoricam perſuadere in qualibet materia,eiq; tribuit illa,quæ ſunt propria aliarũ artium,etiam illa-

illarum, quæ verſantur in contemplando, dummodo perſuaſibiliter pertractentur, & illa, de quibus ſunt loci, quos affirmat eſſe quoque de naturalibus: verumetiam Plato in Gorgia duplicem perſuaſionem commemorat, vnam, quæ abſque ſcientia præſtat fidem, alteram, quæ præſtat ſcientiam Et Cicero, & Quinctilianus, & alij dicendi magiſtri perſuaſioni dant non modo quæſtiones actionis, ſed etiam cognitionis; vt neque in verbo Græco, neque in Latino illa occulta perſuaſionis ſignificatio adhuc mihi potuerit perſuaderi.

Cum autem initio traditum ſit, munus artis eſſe, cauſſam intueri, quamobrem homines finem in aliquo actionis genere conſequantur, munus Rhetoricę erit, contemplari cauſſam, quamobrem illi, qui dicunt, perſuadeant. Præclare autem in fine ſuperioris capitis ſcriptum eſt, munus eius eſſe, non perſuadere, ſed videre, quæ in quaque re ſunt perſuaſibilia; &, quemadmodum ibi legitur ἰδεῖν: ſic hoc in loco θεωρῆσαι. Intellexit Quinctilianus inuenire, & Ariſtotelem reprehendit, quod nihil niſi inuentionem complexus ſit, quod ſine elocutione oratio eſſe non poteſt. Quidam comprehenſam eſſe elocutionem contenderunt, contra quā ſenſit Quinctilianus. Quidam amicus meus, non fuiſſe quidem comprehenſam, ſed nihil abſurdi inde euenire. Nos priorem opinionē ſequimur, quæ virorum noſtri ordinis clariſſimorū, Petri Victorij, & M. Antonij Maioragij fuit. Nam Victorius quidem cenſuit Ariſtotelem comprehendiſſe elocutionem voce πιθανὸν, vbi incluſa eſt vis, & vſus verborum. Maioragius vero eum nō ſolum rerum, verum etiam verborum inuentionem ſignificaſſe. Nos addimus, tantum abeſſe, vt elocutio ſignificata non ſit, vt etiam ceteræ partes denotatæ fuiſſe noſtra quidem ſententia videantur. Nam θεωρεῖν, & ἰδεῖν eſt intueri, & videre, quæ appoſita ſunt ad perſuadendum; vt Rhetorica ſit facultas videndi, quod valet ad perſuadendum, id eſt, quæ inuentio, quæ diſpoſitio, quę elocutio, atque adeo etiam quæ memoria, & quæ actio ad perſuaſionem accōmodata ſit. Amicus vero noſter, qui elocutionem in definitione Rhetoricæ minime contineri exiſtimauit, eam rationem conſcripſit, quod elocutio accidit Rhetoricæ, &, quæ accidunt, in definitionibus plerunque non ponuntur; citauitq;

Ariſtotelis auctoritatem conſcribentis lib. 3. cap. 1. Elocutionem eſſe rem leuem, quod rebus ipſis decertare oporteat, cetera præter demonſtrationem inania ſint. At huiuſmodi ratio non ſatis firma nobis videtur, qui rei quidem, qua de orator agit, elocutionem accidere arbitramur, tamquam veſtimentum, & ornamentum eius, ſed non Rhetoricæ; cum præſertim idem Ariſtoteles eodem capite inter præcipuas Rhetoricæ partes eam collocet, & Cicero in oratore ipſam potiſſimum ſpectet, non ſolum quia orator nec ab inuentione, nec a diſpoſitione, nec a memoria, nec ab actione nomen adeptus ſit, ſed ab elocutione, tamquā a parte præcipua, & in Rhetoricæ præceptis potiſſimū attendenda, Græce ῥήτωρ, & Latine eloquens dictus ſit: verum etiam quia acumine inuentionis, & pulchritudine diſpoſitionis, prudentiæ quidem laudem conſequi homines poſſint, ob vnam autem elocutionem eloquentes videantur. De auctoritate Ariſtotelis, tametſi dicere poſſemus, illud, καὶ δοκεῖ φορτικὸν, intelligendum eſſe non de elocutione, ſed de actione, vt cēſuit Robortellus in quibuſdam notationibus manuſcriptis, & declarauit Maioragius: tamen ſiue ibi agatur de elocutione, ſiue non agatur, cū paullo infra alia omnia præter demonſtrationem ſuperuacanea appellentur, huius dubitationis ſolutionē referimus ad id, quod in ſuperius caput notauimus, vt Rhetorica duobus modis conſideretur, aut abſolute, aut quatenus refertur ad auditores, & contrahitur ad obeundum munus, atque adipiſcendū finem ſuum; & primo modo in eius eſſentia tantum modo enthymema, ſecundo etiam elocutio, & alia reperiantur; quo ſecundo modo ſemper conſiderandam eſſe Rhetoricam, ibidem ſignificauit Ariſtoteles, cum tradidit, totam Rhetoricæ pertractationem ad opinionem, & prauitatem auditorum referri. Quamobrem elocutio, tamquam pars propter auditores maxime neceſſaria, a natura artis oratoriæ non eſt ſegregāda; & in eius definitione debuit contineri. Neque erat (vt alia argumenta amici noſtri tollamus) cur poſt definitionem afferretur diuiſio elocutionem comprehendens, vbi de rebus, ex quibus perſuaſio fit, non de modo tractandi agebatur. Cū enim propoſuiſſet Philoſophus ſe explicaturū, Quomodo, & Ex quibus perſuaderi poſſit, ſtatim

tim

tim poſt definitionem, diuiſit ea, ex quibus perſuadetur, in duplicem fidem, alteram non artificioſam, alteram artificioſam. In principio autem lib. 3. docturus, quomodo perſuadeatur, cum Rhetoricam in tres partes diuiſiſſet, vnam de fide, alteram de elocutione, tertiam de diſpoſitione, propoſuit quoque ſe elocutionem explicaturum. Vbi vero ſcripſit, Rhetoricam conflatam eſſe ex Analytica ſcientia propter argumentationes, & ex Politica propter mores, & affectus, non meminit Poeticæ, vnde illa dicendi ornatum mutuari videtur, quia ibi de rebus ab oratore tractandis, non de elocutione, qua tractantur, agebat, vt non poſſet eo in loco, niſi præter rem, demonſtrare, vnde ipſa elocutio in Rhetoricam profluxiſſet. Male igitur videtur eſſe ille ratiocinatus, ſi Ariſt. in definitione Rhetoricæ comprehendere elocutionem voluiſſet, ſtatim fuiſſe aliqua diuiſione ipſam elocutionem complexurum; & vbi dixit Rhetoricam conflatam eſſe ex Analytica ſcientia, & Politica, additurum, ex Poetica, quod præter rem fuiſſet.

Modus conſiderandi deducitur a fine; idcircoque ſi finem Rhetoricæ cognouerimus, facile erit etiam modũ conſiderandi cognoſcere. Ac finis quidē Rhetoricæ eſt perſuadere; quidquid dicat Quinctilianus, qui Ariſtotelem reprehendit, quod Rhetoricæ verum finem non tribuerit, cum ex eius ſententia non perſuadere, ſed bene dicere finis ſit. Primum autem bene dicere ipſe intelligit recte, & iuſte loqui, ita vt orator vere ſit vir bonus, cum ex doctrina Ariſtotelis non ſit neceſſe, vt orator vir bonus ſit, ſed tantum, vt vir bonus appareat ex morata oratione, magiſque ad perſuadendum idoneus eſſe videatur is, qui probus non ſit, ſed propter orationem probus appareat, quam is, qui probitate præditus ſit, idque oratione præ ſe minime ferat. Deinde, quod refertur ad aliud, finis non eſt. Finis enim eſt is, ad quem referuntur omnia, ipſe autem nuſquam refertur. At bene dicere ad aliud refertur, nēpe ad perſuaſionē. Ergo finis nō eſt. Loquimur enim de fine extremo, non de eo, qui ad extremū eſt. At finis, inquit, non eſt ponēdus in euentu: ſemper enim debet præſtari. Huiuſmodi obiectio eximi poteſt, ſi dicatur, artes illas, & facultates, quæ ſciētiæ non ſunt, minime

neceſſe habere, vt finē ſuum ſemper præſtent: propterea quòd, cum aliunde pendeant, & in ſe minime habeāt, quomodo rem propoſitam conſequantur, quemadmodum habēt Mathematicæ ſcientiæ, in quibus rei propoſitæ cōſecutio ſita eſt; tametſi non ſemper adipiſcuntur id, quod quærunt, ſat eſt, vt omnia præſtent, quæcunque ad illud adipiſcendum pertinent; talem autem eſſe Rhetoricā, vt id ei ſatis eſſe debeat, ſi ipſa nihil prætermittat eorum, quæ valent ad perſuadēdum, etiamſi perſuadere non ſemper queat. Cum autem aliæ quoque artes perſuadeant, ita vt perſuadere proprius Rhetoricæ finis minime eſſe videatur (dixit enim Ariſtoteles in ſuperiori capite, alias artes non poſſe perſuadere apud omnes, ſed tantum apud illos, qui earum principia nouerunt; & in hoc capite, ex aliis artibus vnamquamque in re ſibi ſubiecta dicendi, & perſuadendi exercere facultatem) dicendum eſt, perſuadere accipi dupliciter, aut apud aliquos, & ex propriis principiis artium: aut apud omnes, & ex probabilibus, ac confeſſis. Primo modo Rhetoricæ non conuenire: ſecundo modo proprium eius finem eſſe. Iam ab huiuſmodi fine deducitur modus conſiderādi Rhetoricus, quatenus res ſunt perſuaſibiles. Cum autē res conſiderata pluribus conuenire artibus poſſit, vt corpus humanum Medicinæ, Gymnaſticæ, Coquinariæ, aliis: modus conſiderandi conſtituit artem ab aliis diuerſam, & diſcrepantem; vt conſideratio corporis humani, quatenus eſt ſanabile, medēdi artem efficit. Itaque res conſiderata eſt communis: modus conſiderandi propriam confecit naturam. Cū igitur Rhetorica, res omnes communiter cum Dialectica, & res ciuiles communiter cum Politica conſideret; per modum conſiderandi ab vtraque ſeiungitur; vt, quemadmodū Politica de rebus ciuilibus, quatenus ad beatitudinem referūtur, & Dialectica de rebus omnibus, quatenus ſunt probabiles, diſputat: ita hæc eaſdem, quatenus ſunt perſuaſibiles, contempletur. Zabarella lib. 2. de natura Logicæ, cap. 18. ſcribit, cum Rhetorica auctore Ariſtotele ex Logica, & Politica conflata ſit, ipſam ex Logica formā ſumere, quia accipiat formam argumentationis, ex Politica autem materiam, quia verſetur tantum in rebus ad actiones pertinentibus. Nos putamus, cum Ariſtoteles dixit, Rhetoricam conſtare ex

Ana-

Analytica ſciẽtia,& ex Politica,eũ dixiſſe id propter argumentationes, quas accipit a Logica, & propter mores, atque affectus,quos a Politica,non vt denotaret formam Rhetoricæ ex forma argumentationis tradita a Logica,nec materiã ex quæſtionib ciuilibus ſubminiſtratis a Politica. Cum enim Rhetorica habeat materiam ſtratam, & rem conſideratam non ſolum cõmunem cum Politica de rebus ciuilibus,ſed etiam cum Dialectica de rebus omnibus; tametſi argumentationes ſumit a Logica, quas ad propriam formã redegit, & oratoriam, nempe ſyllogiſmum ad enthymema, inductionem ad exemplum: tamen ſuam formam, vel,vt recentiores Philoſophi loquuntur,formale ſubiectum,vel modum conſiderandi,a ſuo ipſius fine nanciſcitur;vt,cum eius finis ſit perſuadere,conſiderãdi modus ex tali fine exiſtat,quatenus res ſunt perſuaſibiles. Perſuaſibile autem non modo in argumentatione,quæ ex Logica ſumitur,verumetiam in moribus,& affectibus,qui ex Politica,poſitum eſt. Quod docet Ariſtoteles, cum ſcribit,Fidem artificioſam eſſe triplicem,mores,affectus,argumẽtationem: & ipſe Zabarella confitetur, cum tradit ex Ariſtotelis ſentẽtia perſuaſionem tribus modis fieri, argumentis, morata oratione,affectuum concitatione. Quamobrem cum rerum conſideratio,quatenus ſunt perſuaſibiles,ſit forma Rhetoricæ,hanc formam ipſa habere non magis a Logica, quam a Politica videtur.

Adhuc igitur proximum Rhetoricæ genus,materia ſtrata, munus, & modus conſiderandi eſt explicatus, vnde ducta eſt hæc definitio, vt Rhetorica ſit facultas in quaque re videndi, quod contingit eſſe perſuaſibile.

Hanc definitionem Antonius Bernardus Mirandulanus de honore libri octaui ſectione ſecunda affirmat etiam Dialecticæ conuenire. Nos probabile,& perſuaſibile diſtinguere Dialecticam,& Rhetoricam exiſtimamus; vt Dialectica ſit facultas in quaque re videndi quod contingit eſſe probabile: Rhetorica,quod contingit eſſe perſuaſibile.Summa autẽ huius difficultatis in eo eſt, quod putat Mirandulanus eiuſdem libri ſectione vndecima, & cum Mirandulano alij,probabile,& perſuaſibile eſſe idem:alij vero cenſent non eſſe idem, quorũ ſen-

tentiam nos ſequimur. Itaque primum obſeruandum eſt, quid inter probabile, & perſuaſibile inteſit: deinde argumēta quædam contraria ſunt refellenda. Tradit enim Ariſt. lib. 1. Top. probabilia primum eſſe, quæ probantur omnibus, vt bonum eſſe expetendum, ſanitatem, diuitias, vitam expetendam, bonum prodeſſe, parentibus honorem habendum: deinde, quæ probantur plurimis, vt ſapientiam diuitiis optabiliorem eſſe, animum corpore præſtantiorem eſſe, deos eſſe: præterea, quę ſapientibus omnibus, vt animi bona maiora eſſe corporis bonis, ex nihilo nihil fieri, virtutes bonas eſſe: inde, quæ ſapientibus plurimis, vt virtutem per ſe expetendam eſſe, beatitudinem a virtute proficiſci, nullum corpus eſſe partium expers, infinitos non eſſe Mundos: poſtremo, quæ ſapientibus maxime probatis, & claris, vt animum eſſe æternum, quinctum quoddam eſſe corpus. Idem in hoc ipſo capite docet Rhetoricam concludere, & colligere non ex iis, quæ ſyllogiſmo ante concluſa ſunt: ea enim propter longitudinem oratori minime eſſe accōmodata loquenti ad diſceptatorē, qui ponitur eſſe rudis: neq; ex iis, quæ ſyllogiſmo quidē non ſunt concluſa, ſed ſyllogiſmum deſiderant; ea enim non eſſe perſuaſibilia, quia non ſint ex confeſſis, neq; ex probabilibus. Vnde perſpicitur perſuaſibile eſſe ex probabilib. confeſſis, vel probabile confeſſum, id eſt, non probabile ſimpliciter, quod probari quoque poteſt ſapientibus omnibus, vel plurimis, vel maxime probatis, & claris, ſed eiuſmodi probabile, quod communiter omnes, vel plurimi confitentur; quo ſenſu cōmemorat Ariſtoteles bona confeſſa; & quod accōmodatum eſt ad rudem hominū multitudinem, ac conſiſtit in cōmuni quodam ſenſu, atq; intelligentia, nec examinatur, vt inquit Cicero, artificis ſtatera, ſed quadam populari trutina. Scribit idem lib. 2. cap. 22. in hunc modum; Quare non ex omnibus, quæ probabilia ſunt, ſed ex definitis dicendum, vt aut iudicātibus, aut iis, quos approbant. Atque hoc ipſum ſic apparere manifeſtū eſſe oportet aut omnibus, aut plurimis. Itaq; perſuaſibile eſt nō omne probabile, ſed definitum, quod omnibus, aut plurimis apparet. Cum autem Dialectica ęque de rebus omnib. diſputet, Rhetorica magis de reb. ciuilibus; illa interrogatione, & reſponſione vtatur in circulis,

culis,diſputationibus,congreſſionib.Philoſophorũ; hæc cõtinuata oratione ad popularẽ intelligentiam accõmodata; illa magis res vniuerſales tractet,hæc magis ſingulares,vt obſeruauit Alexander: fit,vt illa ſibi ſumat probabile, tamquã cõmunius,& philoſophicis ſermonib.aptius; hæc perſuaſibile, tamquã minus cõmune, & ad cõmunem hominũ intelligentiam magis idoneũ; atq; illa,cum in probabili verſetur, perſuaſibile quoq; complectatur,quod eatenus eſt probabile, quatenus omnibus, vel plurimis probatur, hæc cũ perſuaſibile propoſitũ habeat,probabile etiã ſpectet,nõ ſimpliciter, vt Dialectica,ſed illud probabile,quod eſt perſuaſibile. Nã omne quidẽ perſuaſibile eſt probabile: ſed nõ e cõuerſo. Itaq; nulla clarior afferri Dialecticæ ac Rhetoricæ diſtinctio noſtro quidẽ iudicio poteſt,quam quod,cum vtraq; ex probabilibus diſputet, illa quidem probabile ſimpliciter: hæc vero probabile, quod dicitur perſuaſibile, complectatur. Quibus ita poſitis contraria Mirandulani argumenta ſunt perpendenda.

Etenim libri octaui ſect.vndecima primũ argumẽtatur ſic; Rhetorica,quæ propoſita habet perſuabilia, fidẽ facit ex ꝓbabilibus,vt docet Ariſtot.cũ ait Rhetoricã nõ intueri ſingulare probabile,vt Socrati,vel Hippiæ,ſed quod hominibus ſic affectis,quemadmodũ etiã Dialecticã.Et,cũ ſint tria genera cõcludendi, vnũ ex prius ſyllogiſmo cõcluſis, alterũ ex indigentibus ſyllogiſmo,quia non ſint probabilia, tertiũ ex perſuaſibilibus; primũ genus nõ cõuenire Rhetoricę propter longitudinẽ:nec ſecundũ,quia,cũ nec ex confeſſis, nec ex probabilib. cõcludat, perſuaſibile nõ ſit.Ergo probabile,& perſuaſibile ſunt idẽ.Nos vt antecedens cõcedimus, Rhetoricã fidẽ facere ex probabilibus, ſic conſecutionẽ negamus, idẽ eſſe probabile, & perſuaſibile. Probabile enim eſt latius:perſuaſibile anguſtius.illud genus:hoc ſpecies. Intelligendũ autẽ eſt,probabile tribui Rhetoricæ non ſimpliciter,ſed illud tantũ,quod eſt perſuaſibile, & eã ex probabilib.fidẽ facere,quia ꝑſuaſibilia ſunt ꝓbabilia,id eſt, quædã probabilia.Nõ.n.ſunt termini,q inter ſe cõuerti queãt.

Alterũ argumẽtum eſt; Idẽ ſyllogiſmus, qui eſt Dialecticus, proprie eſt Rhetoricus.Ergo neceſſe eſt,idẽ eſſe ꝓbabile,ꝙ eſt ꝑſuaſibile. Probat cõſequentiã,qa ſi ꝓbabile & ꝑſuaſibile eſſẽt

diuerſa, ſyllogiſmus Dialecticus, & Rhetoricus eſſent diuerſi. Vnus enim eſſet ex probabilibus: alter ex iis, quæ non eſſent probabilia. Probat antecedens auctoritate Ariſtotelis ſcribentis, omnem ſyllogiſmũ, & omne enthymema eſſe vel ex communibus, vel ex propriis. Si ex propriis eſt, non pertinere neq; ad Dialecticam, neq; ad Rhetoricam, ſed ad eam facultatem, cuius ſunt principia. Si ex cõmunibus eſt, Dialecticum eſſe, & Rhetoricum; ita vt dari ſyllogiſmus ex cõmunibus non poſſit, quin ſit Dialecticus, & Rhetoricus; & hoc modo idem ſit probabile, quod perſuaſibile. Alioqui fieri poſſet, vt ſyllogiſmus inueniretur Dialecticus, qui Rhetoricus non eſſet, & contra: propterea quod ſyllogiſmus ex probabilibus eſſet Dialecticus, & non Rhetoricus: rurſus ſyllogiſmus ex perſuaſibilibus eſſet Rhetoricus, non Dialecticus. Nos negando antecedens ad allatam probationem reſpondemus, Dialecticum ſyllogiſmum ſumptum a locis cõmunibus eſſe etiam Rhetoricum, non ſimpliciter, ſed tunc, cum eſt ex perſuaſibilibus: & Rhetoricũ ductum a locis communibus eſſe quoq; Dialecticum, non ſimpliciter, ſed quatenus continetur ſub ea parte Logicæ, quæ argumenta tractat probabilia; in eo tamen alterum ab altero differre, quod vnus latius pateat, alter anguſtior ſit; atque vnus eſſe queat ex omnibus probabilibus, alter non ex omnibus, ſed tantum ex illis, quæ perſuaſibilia ſunt. Itaque illud non conſequi, vt probabile ſit idem cum perſuaſibili.

Tertium argumentum eſt; Locus maioris, & minoris eſt probabilis. Syllogiſmus Rhetoricus fit ex hoc loco, vt conſtat ex Ariſtotele. Ergo fit ex probabilibus. Itaq; non differt a Dialectico, eo quod alter fit ex probabilibus, alter ex perſuaſibilibus; & probabilia, ac perſuaſibilia non ſunt diuerſa. Nos ſyllogiſmum Rhetoricum eſſe ex probabilib. confitemur: ex eo tamen conſequi negamus, vt non differat a Dialectico, quia vt ſuperius notauimus, ille non eſt ſimpliciter ex probabilibus: hic eſt ſimpliciter.

Quartum argumentum eſt; Cõmunia, quæ ad nullam ſcientiam pertinent, ſunt probabilia. At perſuaſibilia ſunt communia, quæ ad nullam ſcientiam pertinent, vt patet ex definitione Rhetoricę. Ergo perſuaſibilia ſunt probabilia. Vna reſponſione

 311

ſione omne eius argumentum tollimus,omne perſuaſibile eſſe probabile: ſed non e conuerſo.

Poſtremo ita argumẽtatur, Veriſimile eſt probabile. Nam quod videtur omnibus,vel pluribus, vel ſapiẽtioribus, eſt probabile. & Veriſimile eſt illud, quod videtur omnibus, vel pluribus, vel ſapientioribus; alioqui non eſſet veriſimile. At perſuaſibile eſt veriſimile. quod enim non eſt veriſimile, perſuaderi non poteſt. ergo perſuaſibile eſt probabile. Vt concluſionem confitemur,adhibita ea diſtinctione,quæ ſuperius notata eſt: ſic aſſumptionem minus firmã eſſe arbitramur; quia non omne perſuaſibile eſt veriſimile, ſed quoddam etiam eſt tecmerium,quoddam ſignum innominatum; quorũ alterum eſt perfectius veriſimili, alterum imperfectius, cum tamen ambo perſuaſibilia ſint.

Præter Mirandulani argumenta,quidam amicus noſter,ſectator eius,in libello de definitione, & diuiſione Rhetoricę illam adhibet,quod ſi perſuaſibile ad Rhetoricam,probabile ad Dialecticam pertineret, ſola fides non eſſet artificioſa, vt dicitur in prooemio,id eſt,vt ipſe interpretatur, vera eſſentia,& vera forma Rhetoricę.Nam data hac differentia,vt aliud ſit probare,aliud perſuadere,fides,quæ probat,non perſuadebit. Itaque,quod eſt proprium Rhetoricæ,vt perſuadeat,ipſa nõ exequetur,nec ſola poterit eſſe artificioſa in Rhetorica, vt ait Ariſtoteles. Subiungit, perſuaſibile ita ſeiunctum a probabili, aut a ſolis proficiſci affectibus: aut a ſolis moribus: aut ab vtriſq;: aut ab affectibus,& argumentationibus: aut a moribus,& argumentationibus: aut ab affectibus,moribus,& argumentationibus: aut a ſolis argumentationibus. Ac prioribus ſex modis fieri, vt ſola fides artificioſa non ſit, & eſſentia, ac corpus Rhetoricæ,ſi illud non efficiat,quod eſt proprium Rhetoricæ, vt perſuadeat. Quod ſi ſola fides ſatis eſſe poteſt ad perſuadendum, & hæc cõmunis eſt Dialectico, ac Rhetorico,ab hac ſola oriri Rhetoricæ perſuaſibile, vnde etiã Dialecticæ oritur probabile. Nec ab argumentationibus duci, & verborum ornamentis, aut ab argumentationibus, affectibus, moribus cum verborum elegantia coniunctis, quod ſcriptum ſit,ſolã fidem conſtituere eſſentiam artis, cetera omnia præter fidem, hoc

eſt, argumentationem, & enthymema in Rhetorica inania eſſe. Qua de re ab amico noſtro valde diſſentimus, quia probare quidem more oratorio eſt perſuadere, & perſuadere eſt quodammodo probare: ſed non idcirco probabile, & perſuaſibile idem ſunt. Nam, vt ſupra notauimus, inter probabile, & perſuaſibile illud intereſt, quod inter genus, & ſpeciem. Itaque fides perſuadet, & ſimul probat, non ſimpliciter, ſed more oratorio; & omne argumentum, quod perſuadet, aliquo modo probat: ſed non omne, quod probat, perſuadet: aliquod enim argumentum probare poteſt accommodate ad opinionem ſapientum omnium, vel ſapientum plurimorum, vel ſapientum maxime probatorum; quod non erit perſuadere, id eſt, probare accommodate ad omnium, vel plurimorum hominum opinionem, & ad communem multitudinis intelligentiam. At, inquit, vndenam proficiſcitur ita à probabili diſtinctum perſuaſibile? Certe aut non a ſolis argumentationibus: aut a ſolis. Primo modo ſequitur, vt ſola fides non ſit artificioſa: ſecũdo modo fit, vt perſuaſibile ſit idem cum probabili. Ad quam quæſtionem facilis, & expedita eſt reſponſio. Siue enim a ſolis, ſiue non a ſolis proficiſcatur argumentationibus, nullo modo fit, vt perſuaſibile ſit prorſus idem cum probabili. Nam, vt ſupra exponebamus, Rhetorica duobus modis conſideratur, aut abſolute, & ex eo tantum, quod rectum eſt, & hoc modo ſola fides, & argumentatio, ac enthymema eſt artificioſum: aut quatenus refertur ad auditores, & per quandam relationem, ac contractionem ad munus ſuum obeundum, & finem ſuum perquirendum, atque ex eo, quod neceſſarium eſt propter auditores, ad quorum opinionem tota Rhetoricæ pertractatio, vt legitur libri tertij capite primo, eſt referenda. & hoc modo artificioſum eſt triplex, argumentatio, affectus, & mores, vt ipſe Ariſtoteles ſtatim poſt definitionem Rhetoricæ confitetur. Quamobrem, ſi prima conſideratio habeatur, perſuaſibile ducitur a ſolis argumentationibus, atque a probabili ſegregatur, quatenus non eſt ſimpliciter probabile, ſed illud tantum, quod eſt probabile confeſſum, & illud, quod aut omnibus, aut plurimis probatur. Si altero modo Rhetorica conſideretur, perſuaſibile, quod eſt eius propriũ, ab argumẽta-

tionibus,

ſionibus, affectibus, moribus, & ſimul ab elocutione, & partiũ diſpoſitione profluit; ac magis ſeiungitur a probabili, quod probabile in ſolis cernatur argumẽtationibus, perſuaſibile vero etiam in affectibus, moribus, & aliis poſitum eſſe videatur. Melius igitur fecit amicus noſter in alio opere Rhetorico, cũ quaſi delens omnia, quæ de probabili, & perſuaſibili antea tradidiſſet, inter hæc duo plurimum intereſſe affirmauit. Prima igitur differentia eſt, quod alterum eſt, tamquam genus, alterum tamquam ſpecies. Secunda eſt, quòd vnũ ſpectatur tantũ in argumentationibus: alterũ etiam in moribus, & affectibus, & aliis. Tertia eſt, quod alterum in hominum mentibus ingenerat perſuaſionem, & fidem: alterum efficit opinionem. Ait amicus noſter id directo contrarium eſſe ſententiæ Platonis, in Theeteto, oratori opinionem tribuentis, ac perſuaſionem. Præterea ſic cum Mirandulano argumentatur; Habere fidem eſt habere opinionem. At habere perſuaſionem eſt habere fidem. Ergo habere perſuaſionem eſt habere opinionem. Nos perſuaſionem quidem, & fidem, eſſe idem, at perſuaſionem, & opinionem non prorſus idem putamus: quia omnis perſuaſio, & fides, eſt opinio, at non omnis opinio eſt perſuaſio, & fides. Nam, quemadmodum ἔνδοξον, & probabile eſt multiplex: ſic etiam δόξα, & opinio eſſe multiplex cenſenda eſt; vtque illud tantum probabile & perſuaſibile, quod omnibus, vel plurimis probatur, non etiam illud, quod ſapientibus omnibus, vel plurimis, vel maxime probatis: ſic, ſi ſit opinio eius, quod ab omnibus, vel a plurimis approbatur, eadem quoque eſt fides, & perſuaſio; ſi vero ſit aliorum probabilium, appellari fides, & perſuaſio proprie non poteſt. Itaque fides, & perſuaſio ſpecies quædam eſt opinionis. Amici vero noſtri argumẽta nullum negotiũ faceſſunt. Nã oratori tribuitur opinio, & perſuaſio, id eſt, opinio illa popularis, quæ dicitur perſuaſio, & non ſimpliciter omnis opinio. Prętereа habere perſuaſionem, & fidem eſt habere opinionem, non tamen ita, vt vnũ cum altero conuertatur. habere enim opinionem latius eſt, quam habere perſuaſionẽ, & fidem. Quod igitur ſcribit Ariſtoteles initio lib. 3. totam Rhetoricæ traditionem referri ad opinionem, intelligẽdum profecto eſt de opinione cõmuni omnium, vel pluri-

morum,id eſt,de opinione illorum auditorum, quos idem teſtatur lib. 1. ſupponi rudes, quæ opinio eadem eſt cum fide, & perſuaſione. Nec ſimpliciter de omni opinione intelligendũ eſt. Nam ad oratorem minime pertinet loqui accõmodate ad opinionem ſapientum omnium, vel plurimorum, vel eorum, qui maxime probantur,ſed ſatis eſt,vt ſe accommodet ad opinionem multitudinis, & popularem. Quarta differentia eſt, quod probabile proprie diſſeritur,id eſt,interrogatione, & reſponſione deciditur: perſuaſibile vero dicitur, hoc eſt, continuata exprimitur oratione. Proprium enim eſt Dialecticę diſſerere,& Rhetoricæ dicere. Quod quoque reprehẽdit amicus noſter, ſcribens tam diſſerere ipſam Rhetoricam, quam Dialecticam. Legat tamen, quod ſcriptum reliquit Alexander ad hunc modum; Ac merito quidem huiuſmodi methodus Dialecticæ nomen inuenit.Nam ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι,quod eſt diſſerere, dictum eſt; quod ſane in interrogatione, & reſponſione conſiſtit. is enim, qui interrogat, de omni re, quam is,qui reſpondet, propoſuit, pecunctatur. quod interrogans facit, vt interrogando ſumat ab eo omnino, de quo diſſerat. Hæc ille. Satis autem conſtat appellatam eſſe Rhetoricam, & Rhetorem ἀπὸ τῆς ῥήσεως, id eſt, a dictione, & elocutione, quæ in continuata ſpectatur oratione. Addit Mirandulanus, & cum Mirandulano amicus noſter, probationem definitionis Rhetoricæ ab Ariſtotele allatam etiam Dialecticæ conuenire, vt ex eo perſpici poſſit conſilium Philoſophi de Rhetorica, & Dialectica ſub eadem definitione comprehendendis. Quod cuiuſmodi ſit,videndum eſt.

Cum definiſſet Rhetoricam facultatem in quaque re,videndi, quod contingit eſſe perſuaſibile, id probauit hac ratione, quod ex aliis artibus vnaquæque in re ſibi ſubiecta docendi,& perſuadendi exercet facultatẽ,vt Medicina in ſanabili,& morboſo,Geometria in affectionibus magnitudinum,Arithmetica in numero,aliæ artes, & ſcientiæ ſimiliter: Rhetorica vero de qualibet re propoſita id, quod perſuaſibile eſt, poteſt intueri. Itaque aliæ artes perſuadent ſingulæ in ſingulis materiis: Rhetorica vero in omni materia perſuaſibile intuetur. Quæ cauſſa eſt, inquit Philoſophus, cur etiam affirmemus, ipſam

haud-

quaquam vim artificioſam habere in genere aliquo proprio definito. Iam, qui nullam differentiam agnoſcunt inter probabile, & perſuaſibile, putant huiuſmodi probationem etiã Dialecticæ conuenire. Qui vero ex doctrina Ariſtotelis alterum ab altero diſtinguunt, eam agnoſcunt Rhetoricæ propriam illis in verbis, At Rhetorica de re propoſita, vt ita dicam, videtur poſſe intueri, quod eſt perſuaſibile, id eſt, appoſitum ad faciendam fidem.

Fides autem eſt duplex, vna non artificioſa, quæ non eſt a nobis excogitata, ſed ante erat, nec arte oratoris comparatur, vt teſtes, quæſtiones, ſeu quæſita tormentis, ſyngraphæ, id eſt, ſcripta pactorum, & pacta ipſa, ceteraque eius generis, nempe leges, & iuſiurandum, quæ quinque partes fidei non artificioſæ prope finem huius libri enumerantur: altera artificioſa, quę fieri poteſt, vt certa via, & ratione, atque opera noſtra comparetur, ac pertinet ad oratoriam inuentionem. Dubitatur de fide nõ artificioſa, quæ nihilominus arte videtur indigere. Quare Cicero lib. 1. de inuen. ſcribit errare eos, qui ſuſpiciones ex quæſtionibus, teſtimoniis, ac rumoribus ductas artificij non putant indigere. Hanc dubitationem tollit Ariſtoteles his verbis; δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι· τὰ δ' εὑρεῖν. Muretus legit, τὰ δὲ καὶ εὑρεῖν. Oportet illis quidem vti, id eſt, rerum nõ artificioſarum vſus tantum requiritur artificioſus: hæc vero etiam inuenire, hoc eſt, rerum artificioſarum nõ ſolum vſus, ſed etiam inuentio eſt ex arte. Itaque fides non artificioſa ſi conſideretur ratione vſus, eſt potius artificioſa, quam nõ artificioſa: ſi ratione inuentionis, caret arte, & merito non artificioſa nominatur. Quamobrem tradit Cicero in Partitionibus, Quę ſine arte putantur, quæ aſſumpta, & remota dicuntur, illa artis indigere, & nec eo appellari ſine arte, quod ita ſint, ſed quod ea nõ pariat oratoris ars, ſed foris ad ſe delata, tamen arte tractet, & maxime in teſtibus. Putant explicatores præceptum de duplici fide eſſe idem cum præcepto Ciceronis, & Quinctiliani de locis inſitis, & aſſumptis, vt fides quidem non artificioſa locos ſignificet aſſumptos: artificioſa vero inſitos. Tamen Ariſtoteles ſub fide artificioſa argumentationem, affectus, & mores complectitur: Cicero & Quinctilianus ſub locis inſitis ſolam argumentationem comprehendit.

d

Τῶν δὲ τοῦ λόγου ποριζομένων πίστεων τρία εἴδη ἐστίν. Ac quæ ratione excogitatur fides, triplex eſt. Muretus; Iam eorũ, quibus oratione fit fides, tria genera ſunt. Videtur Ariſtoteles ſignificare fidem, quæ ratione paratur, &, vt ſuperius dicebat, quam *διὰ τῆς μεθόδου, καὶ δι᾽ ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν.* Talis fides poſita eſt partim in moribus, partim in affectibus, partim in ipſa ratione, & argumentatione. De moribus duo dicuntur; primum morata oratione fide dignum reddi oratorẽ, quòd probis magis, & celerius credatur, in omnibus quidem rebus ſimpliciter, ſed in iis præcipue, in quibus certi nihil habetur, verum opinio dubia eſt. Deinde id fieri propter orationem, & non quia anticipatum opinione ſit, eum, qui dicit, eſſe quibuſdam moribus præditum. *οὐ γὰρ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων. τιθέασι ἐν τῇ τέχνῃ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος, ὡς οὐδὲν συμβαλλομένου πρὸς τὸ πιθανόν· ἀλλὰ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος.* Non enim recte ſe habet, quod nõnulli faciunt ex dicendi magiſtris. Ponunt in arte probitatẽ eius, qui dicit, quaſi nihil cõferant ad id, quod eſt appoſitum ad fidem: ſed propemodum, vt ita dicam, potentiſſimã continent fidem mores. Legitur *τιθέασι*, & *οὐ τιθέασι*. Primã lectionẽ vetus tranſlatio ſecuta eſt: & nos ſimul ſecuti ſumus. Legitur etiam *ὡς οὐδὲν συμβαλλομένου*, & *συμβαλλόμενον*, & *συμβαλλομένην*. Nos cũ Victorio priorem lectionem recepimus; vt reprehendantur magiſtri illi, qui ita probant in arte probitatẽ dicentis, vt, niſi, qui diceret, probus eſſet, & probum eum eſſe, anticipatum opinione fuiſſet, nihil valere ad perſuadẽdum moratã orationem arbitrarentur, quã tamen Ariſtoteles affirmat potentiſſimam fidem continere. Hoc enim totum videtur additum eſſe, vt illud declararetur, quod ſuperius legitur; Non quia anticipatum opinione ſit, cuiuſdam modi eſſe eum, qui dicit. Vltimam lectionem vetus translatio expreſſit, & Muretus lib. 1. variarum lectionum probauit. Quare etiam ita conuertit; Neque enim ita eſt, vt quidam in libro de arte poſuerunt, qui ita de probitate locuti ſunt, vt de re, quæ nihil conferat ad perſuadendum. Immo vero nihil fere eſt, ad faciendam fidem potentius, atque efficacius, quam mores dicentis. Per probitatem, & mores idem intelligit. Nos probitatem intelligimus, non oratione oratoris indicatam, ſed opinione auditorum anticipatã, quam

dicit.

dicit Philoſophus non eſſe neceſſariam, cum illa altera ſit neceſſaria: mores autem eos, qui oratione expreſſi ſunt. Dicitur propemodum propter argumentationem, quæ cæteris omnibus artificiis potentior eſt. Præterea traditur ex variis affectibus varia iudicia fieri, prout vel mœremus, vel gaudemus, vel amamus, vel odio habemus: & ob id de affectib. tantummodo ab aliis præcepta tradi. Rationibus autem, & argumentis demonſtrari id, quod verum eſt, aut id, quod apparet. Διὰ δὲ τῶν λόγων πιστεύουσιν. Propter rationes autem fidem habent. Muretus; Oratione autem ipſa adducti credunt. Si dicatur propter orationes, vel orationem, non magis ſignificabitur oratio, quæ demonſtrat, aut apparet demonſtrare, quam oratio morata & affecta. Nos intelligimus rationes, quemadmodum etiam paullo infra, vbi legitur, τοῦ πορίσαι λόγους, parandi rationes, vel, vt Muretus ipſe ait, rationum comparandarum. Illud præceptione Ariſtotelis conficitur, Rhetoricam eſſe agnatum quiddam Dialecticæ, & eius, quæ de moribus eſt, traditionis, quam iuſtũ eſt appellare Politicam. Nam ex Dialecticæ, & Politicæ, quaſi arborum radicibus Rhetorica tamquam virgultum quoddam orta eſt. Supra notauimus accipi Dialecticam pro ea parte Logicæ, quæ argumenta tractat probabilia, & in Topicis declaratur, quemadmodum Alexander obſeruauit. Politica autem modo totam denotat Philoſophiam, quę in agendo verſatur, & mores tum ſingulorum, tum familiarũ, tũ Rerump. conformat: modo eam tantũ partẽ, quę publicã docet adminiſtrationem. Hoc in loco vniuerſe accipitur pro agendi Philoſophia. Quemadmodũ enim Dialectica argumenta probabilia, & perſuaſibilia: ſic Politica mores, & affectus Rhetoricæ ſubminiſtrat. Ac tametſi Rhetorica agnatum eſt Dialecticæ, & Politicæ: quodãmodo tamen ab vtraq; diuerſa eſt, vt propagines, & virgulta arborum ab ipſis arboribus diuerſa ſunt. Nec eſt proprie Politica, quod monet Philoſophus, ſcribens, eam ſubire perſonam Politicæ, & eos, qui ipſam ſibi vendicant, partim propter ignorantiam, partim propter arrogantiam, partim propter alias cauſſas humanas. Sed eſt Dialecticæ particula quædam, & ſimilitudo, quemadmodum initio dictum eſt. Nominatur igitur particula,

& ſimilitudo Dialecticæ, propter oratoriam argumentationem, quæ ſub Dialectica argumentatione continetur. Altera probabilis eſt: altera perſuaſibilis; & perſuaſibile eſt probabile quoddam. Itaque etiam Rhetorica eſt Dialectica quædam, & particula Dialecticæ, quoniam Rhetoricũ perſuaſibile eſt particula Dialectici probabilis. Nominatur quoque ſimilitudo eiuſdem, quæ ſimilitudo in prima parte procemij eſt explicata. Notat Alexander has artes eſſe inter ſe ſimiles, quia diſputant de rebus omnibus, ex probabilibus, in vtramque partẽ, etiam ſi præter illas tres diſſimilitudines, quas ſupra ex ſentẽtia eiuſdem Alexandri cõmemorauimus, in eo ſint diſſimiles, quod altera diſputet ex probabilibus omnibus, altera ex illis tantũ, quæ perſuaſibilia ſunt.

Τῶν δὲ διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς. Quæ vero cernuntur in eo, quod demonſtrant, vel apparent demonſtrare, quemadmodum in Dialecticis. Muretus legit, ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς, In Analyticis. ex Dionyſio Halycarn. τὸ μὲν ἐπαγωγή ἐστι· τὸ δὲ συλλογισμός. Vnum inductio eſt: alterum ſyllogiſmus. Muretus omittit, τὸ δὲ φαινόμενος συλλογισμός· καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως ἔχει. ἔστι γὰρ παράδειγμα μὲν ἐπαγωγὴ· ἐνθύμημα δὲ συλλογισμός. Et qui apparet ſyllogiſmus: ità hic quoq; ſimiliter ſe habet. Nam exemplum eſt inductio: enthymemaque ſyllogiſmus eſt. Nos nihil immutauimus, vt veterem lectionem, & tranſlationẽ ſequeremur. Dicit autem Ariſtoteles ſe vocare enthymema oratorium ſyllogiſmum, & exemplum oratoriam inductionem; videturque ſic argumentari; Omnis argumentatio eſt ſyllogiſmus, aut inductio. ὅλως ἀνάγκη συλλογιζόμενον, ἢ ἐπάγοντα δεικνύναι ὁτιοῦν, ἢ ὁντινοῦν. Omnino neceſſe eſt, ſyllogiſmo, aut inductione vtentem demonſtrare quodcunque, aut quemcunque. Muretus omittit, ἢ ὁντινοῦν. Nos cum Victorio nõ omittimus. At enthymema, & exemplum eſt argumentatio. Ergo eſt ſyllogiſmus, aut inductio. Enthymema enim eſt ſyllogiſmus oratorius, & imperfectus, in quo aliquid deſideratur, quod ſubintelligitur. Et exẽplum eſt inductio oratoria, & imperfecta, quæ non colligit omnia particularia, nec probat vniuerſale, vt perfecta inductio, ſed adducit vnum particulare ad alterum comprobandũ. Iam,

cum cognouerimus, argum:ẽtationem oratoriam eſſe aut enthymema, aut exemplum, intelligendum eſt, cum in multis, & ſimilibus demonſtratur rem ita ſe habere, in Dialectica quidẽ inductionem eſſe, in Rhetorica vero exemplum. Quamquam illa multa, & ſimilia in inductione ſunt omnia ſingularia, quæ probant vniuerſale: in exemplo non omnia, vnde probatur ſingulare. Quod cuiuſmodi ſit, inferius declarabitur. Præterea, cũ quibuſdã poſitis aliud quid ex his euenit præter hæc, eo quod hæc ſint, vel in vniuerſum, vel plerunque, ibi quidem ſyllogiſmum, hic vero enthymema vocari. Quędam enim ponuntur ante concluſionem, ſeu complexionem, vt propoſitio, quæ a Dialecticis maior nuncupatur, & aſſumptio, quæ dicitur minor; quorum vtraque quidem exprimitur in ſyllogiſmo, vt Virtus eſt amabilis, Iuſtitia virtus, ergo amabilis: alterutra vero reticetur in enthymemate, vt Iuſtitia eſt virtus, ergo amabilis; vel Omnis virtus eſt amabilis, ergo etiam iuſtitia. Euenit aliud ex his, vel in vniuerſum, vel plerumque, quia concluſio eſt vel vniuerſalis, vel particularis. καθάπερ γὰρ ἐν τοῖς μεθοδικοῖς εἴρηται, καὶ ἐν τούτοις ὁμοίως. Nam, quemadmodum in Methodicis dictum eſt, etiam in his ſimili modo ſe res habet. Muretus transfert hæc verba ad ſuperiores verſiculos, vt legatur, φανερὸν ἐκ τῶν τοπικῶν. καθάπερ γὰρ ἐν τοῖς μεθοδικοῖς εἴρηται, καὶ ἐν τούτοις ὁμοίως ἔχει, ὅτι τὸ μὲν διὰ τῶν πολλῶν &c. ac conuertit ſic: Liquido perſpicitur ex Topicis. Quemadmodum enim in Methodicis, ita hic quoque ſe res habet. Nam cum multa, &c. Omittit illud quoque, ἐκεῖ γὰρ περὶ συλλογισμοῦ, καὶ ἐπαγωγῆς εἴρηται πρότερον. Ibi enim de ſyllogiſmo, & inductione dictum eſt prius. Tamquam interiectum gloſſema. Nos tantum non audemus. Additur alias orationes eſſe exemplares, alias enthymematicas, & oratores ſimiliter alios exemplares, alios enthymematicos. Nam Demoſthenes, & Ariſtides fuerunt magis enthymematici: Cicero, & Saluſtius magis excẽplares. Et exempla quidem, atq; enthymemata multum valere ad perſuadendum: ſed hæc plus quam illa. τὴν δὲ αἰτίαν αὐτῶν: Cauſſam autem ipſorum. Muretus delet vocẽ αὐτῶν. μᾶλλον διορίσομεν καθαρῶς. Apertius diſſeremus. Muretus, διορίσωμεν, diſſeramus.

Materia enthymematis, & exempli eſt illud, quod perſuaſi-

bile eſt, de quo quinque præcipua ex doctrina Ariſtotelis ſunt obſeruanda Primo loco, perſuaſibile eſſe alicui perſuaſibile, nempe auditori, cum tota Rhetoricæ pertractatio referatur ad opinionem auditorum, vt legitur initio libri tertij. Secundo loco, perſuaſibile eſſe duplex, alterum per ſe credibile, vt deos colendos eſſe, parentes amandos, ſeniores venerandos: alterum, quia ex talibus demonſtrari videatur, vt Melius eſſe iniuriam accipere, quam inferre, quia qui accipit, poteſt eſſe iuſtus: qui infert, ſemper eſt iniuſtus. Tertio loco, cum ars nulla conſideret ſingulare, vt Medicina, quid Socrati ſalubre ſit, vel Calliæ, ſed quid tali, vel talibus (hoc enim artificioſum eſt: ſingulare vero infinitum, & ſub ſcientiam non cadens) ne Rhetoricam quidem ſingulare probabile intueri, id eſt, illud probabile, quod eſt perſuaſibile, vt Socrati, vel Hippiæ, ſed quod talibus. Idem traditur lib. 2. Ethicorum, & lib. 1. eorum, quæ dicuntur Metaphyſica, vbi ars omnis eſſe vniuerſalium perhibetur. Contrarium tamen legitur lib. 1. Ethicorum ad hunc modum; Dubium autem eſt etiam, quid contulerit textor, vel faber ad ſuam ipſius artem, ſi vniuerſale cognorit; vel quomodo magis medicus, vel magis miles erit, ſi ideam ipſam fuerit contemplatus. Videtur enim ne medicus quidem conſiderare ſanitatem in hunc modum, ſed hominis, magis autem fortaſſe hanc ſanitatem huius hominis: ſingulis enim medetur. Hęc ibi. Sed talis eximitur dubitatio, ſi dicatur, artem dupliciter conſiderari, vel quatenus præcepta tradit, vel quatenus agit. ac primo modo tractare vniuerſale, altero ſingulare. Quarto loco perſuaſibile eſſe ex iis, quæ in conſultationem cadere conſueuerunt. καθάπερ καὶ ἡ διαλεκτική. καὶ γὰρ ἐκείνη συλλογίζεται, οὐκ ἐξ ὧν ἔτυχε· φαίνεται γὰρ ἄττα καὶ τοῖς παραληροῦσιν· ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν, ἐκ τῶν λόγου δεομένων. ἡ δὲ ῥητορικὴ ἐκ τῶν ἤδη βουλεύεσθαι εἰωθότων. ἐστὶ δὲ τὸ ἔργον αὐτῆς &c. Quemadmodum etiam in Dialectica. Etenim illa ſyllogiſmo concludit non ex quibuslibet (apparent enim quædam etiam iis, qui delirant) ſed illa quidem ex iis, quæ ratione indigent: Rhetorica vero ex iis, quæ in conſultationem venire conſueuerunt. Eſt autem munus ipſius, &c. Muretus reliqua delet, & illa tantum recipit, quæ conuertit ſic; Quemadmodum & Dialectica. Eſt autem pro-

proprium opus, ac munus ipſius. Nos in hoc, atque huiuſmodi locis ad Petrum Victorium prouocamus, quem ipſe eruditorum coryphæum appellat, quique tam accurate veteres manuſcriptos contextus obſeruauit, vt communi omnium litteratorum conſenſu, & voce, accuratius non potuerit: nec in hoc ipſo loco vllum verbum immutandum, nedum delendum cenſuit. Iam Rhetorica eſt ex iis, quæ in conſultationem venire conſueuerunt, id eſt, quæ ad hominum pertinent actiones. Itaque reſtringitur aliquantiſper materia Rhetoricæ in illis definitionis verbis commemorata, περὶ ἕκαστον, In quaque re. Sed ibi notauimus triplicem eſſe huius artis materiam. Verba Ariſtotelis ſunt lib. 3. Ethic. cap. 3. Conſultamus autem de agendis rebus, atque iis, quæ in noſtra ſunt poteſtate. Additur ſic; Eſt autem munus ipſius & de eiuſmodi rebus de quibus conſultamus, & artes non habemus, & apud eiuſmodi auditores, qui non poſſunt ex multis contueri, nec ratiocinari longius. Ac videtur quidem Ariſtoteles hoc in loco tantum genus conſultationum, & deliberationum Rhetoricæ tribuere, qui tamen infra enumerat tria genera oratoriarum orationum. Sed exiſtimamus hic conſultationem accipi generatim, quæ materiam quoque demonſtratiuam, & iudicialem comprehendat. Nam in omnibus generibus Rhetorica eſt de iis rebus, quæ hominibus perſuadentur, & hoc modo de iis, quæ pendent quodammodo ab hominum conſilio, & electione, vt ipſi aſſentiantur oratori, aut non aſſentiantur; vt in demonſtratiuo conſultatur, an tot, tantiſque laudibus, vel probris, quæ ab oratore dicuntur, fides habenda ſit; in iudiciali, an reus damnandus ſit, vel abſoluendus; etiamſi præcipua, & præſtantior conſultatio ſit, quæ in ſenatu, ſeu concione exercetur, dum ſuadetur, aut diſſuadetur aliquid, quod oporteat agere, aut non agere, & quæritur, quid Reipubl. poſſit eſſe vtile, aut pernicioſum. Dicitur de iis rebus, de quibus artes non habemus, id eſt, vt dicebatur in principio, quæ nullius ſunt ſcientiæ definitæ. quod ſatis declarauimus. Additur, Et apud eiuſmodi auditores, οἱ οὐ δυνάνται διὰ πολλῶν συνορᾶν, qui non poſſunt ex multis contueri. Muretus legit, οἱ οὐ δυνάνται τὰ πόῤῥω συνορᾶν. &

vertit, Qui,quæ procul ſita ſunt, videre non queunt. Quid? ſi legatur, τὰ διὰ πολλοῦ; vt apud Thucydidem lib.6. in oratione Niciæ, τὰ διὰ πλείστου. Requiritur tamen in genere iudiciali,auditor præſtantiſſimus, & idoneus tum ad intelligendã argumentorum,quibus vtuntur oratores, naturam, tum ad omnes legum enodationes cognoſcendas, tum vero etiam ad ſupplendum legibus,ſi oporteat. Sed dicendum eſt, licet tradatur ipſum iudicem talem eſſe oportere, plerunque tamen non eſſe,& idcirco,quemadmodum inferius dicitur,ab oratore ſupponi rudẽ, vt omnia facile, & perſuaſibiliter pertractentur.Conſultamus autem,inquit Philoſophus,de iis,quæ videntur poſſe ſe vtroque modo habere: de iis vero,quæ fieri nõ poteſt,vt aliter,vel facta ſint,vel futura ſint, vel ſe habeant, nemo conſultat,ſic exiſtimans.lib.3.Eth.cap.3.Conſultatio autem de illis eſt,quæ vt plurimũ quidem fiunt,incerta tamen ſunt,quomodo euadant,& in quibus nihil determinati eſt. Ibidem;Atque hi,cum in rem,quæ fieri nequeat,inciderint,deſiſtunt,vt ſi pecuniis opus ſit, earumque expeditio nullo modo appareat: ſi vero res fieri poſſe videatur,eam aggrediuntur.οὐδὲν γὰρ πλέον, ἢ οὕτως ἐνδέχεται συμβουλεῦσαι. ἐνδέχεται δὲ συλλογίζεσθαι. Nullo enim alio modo,niſi ſic, contingit conſulere. Contingit autem concludere ſyllogiſmo. Muretus ſuo more quædam delet, & vertit, Nullus enim fructus illius deliberationis eſſet. Ratiocinari autem licet. Quincto loco obſeruandum eſt,perſuaſibile, quod Rhetorica pertractat,non eſſe ex prius ſyllogiſmo concluſis,vt apud Mathematicos,qui modus concludendi non conuenit Rhetoricæ propter longitudinem apud auditorem,qui ſupponitur eſſe ſimplex: nec ex indigentibus ſyllogiſmo, vt apud philoſophos, qui etiam modus non conuenit oratori,quia non ſit probabilis, ſeu perſuaſibilis: ſed ex probabilibus, & confeſſis.Perſuaſibile enim eſt probabile cõfeſſum, id eſt,quod omnes,vel plurimi confitentur. Tria igitur ſunt genera concludendi ratione materiæ.Concludit Ariſtoteles materiam enthymematis,& exempli ad hũc modum; Quare neceſſarium eſt, enthymema eſſe,& exemplum, de iis, quæ contingunt ita,vt ſępe ſe habeant etiam aliter,exemplum quidem inductionem: enthymema vero ſyllogiſmum.

Sequi-

Sequitur, forma argumentandi qualis ſit; Et ex paucis, & ſæpe paucioribus,quam ex quibus eſt primus ſyllogiſmus. Si enim ſit aliquid horum notum, non oportet dicere: ipſe enim id ſupplet auditor; quemadmodũ quod Dorieus coronarium certamen vicit, ſatis eſt dicere, eum Olympia viciſſe: coronarium autem certamen eſſe Olympia non oportet adiungere: cognoſcunt enim omnes. Illud, Et ex paucis,& ſæpe paucioribus, referunt ad proximas voces; Enthymema vero ſyllogiſmum. Idcirco Muretus vertit; Eumque ex paucis, id eſt, enthymema eſſe tale ſyllogiſmum,qui conſtet ex paucis, & ſæpe paucioribus, ἢ ἐξ ὧν ὁ πρῶτος συλλογισμός, quam ex quibus eſt primus ſyllogiſmus. Muretus, ἢ ἐξ ὧν ὁ πρῶτος συλλογισμός, quam eum,qui primo,ac proprie ſyllogiſmus dicitur. Et,quoniam dicere Ariſtoteles videtur,conſtare ſæpenumero enthymema ex paucioribus quam conſtet ſyllogiſmus, ratiocinantur,quandoque ex totidem conflari;quærunt que quomodo id efficiatur,cum imperfectus ſit ſyllogiſmus. Qua de re ſunt variæ eruditorum hominum inter ſe,diſcrepanteſque ſententiæ.

Quidã putant enthymema eſſe ex totidẽ, ex quot eſt ſyllogiſmus,poteſtate,non actu:Quod eſt tam certum,quam quod certiſſimum: ſed dubitationem non eximit: ſemper enim, & non quandoque,ex totidem conſtat,ſi poteſtas ſpectetur.

Petrus Victorius in prima cõmentatione ſua hanc rem nõ declarauit,nec attigit. In poſtrema autẽ cõmentariorum ſuorum editione difficultatem eſſe magnam confeſſus eſt: non tamen explicauit, cum ſcripſerit ad hunc modum; Cur ſæpenumero ex paucioribus, quam primus ſyllogiſmus, conſtare tradat enthymema, diligenter quærendum: hoc enim perpetuum ipſius videbatur: nec poſſe enthymema illud vere appellari, quod ambas propoſitiones haberet.

Maioragius ita exponit; Aliquando enthymema fit ex totidem propoſitionibus, ex quot ſyllogiſmus: ſed ordine conuerſo: vt quo Cicero pro Cœlio vtitur: In Cœlio nulla eſt luxuries: Eſt enim deditus optimarum artium ſtudiis: Quo in hominum genere nulla luxuries eſſe ſolet. Hoc autem ſi retro agatur, fiet ſyllogiſmus hoc modo; In eis,qui dediti ſunt artium ſtudiis, nulla luxuries eſſe ſolet: Cœlius optimarũ artium ſtu-

diis deditus eſt: Ergo nulla eſt in Cœlio luxuries. Idem alibi; Quia interdum accidit, vt extremo loco maior reddatur propoſitio, ſi non ita nota fuerit, ideo dixit Ariſtoteles, ſæpe ex paucioribus fieri, quam ſyllogiſmus, non autem ſemper. Additur autem maior propoſitio extremo loco in hunc modum; Voluptas propter ſe expetẽda eſt: quoniam eſt bona: & omne bonum per ſe expetendum. Totidem igitur aliquando propoſitiones habet enthymema, quot ſyllogiſmus: ſed tamẽ eandem argumentandi formam nunquam. Itaq; formã ſyllogiſmi vitiari exiſtimat Maioragius, & in enthymema pertrãſire, ſi concluſionis, & propoſitionũ ordo conuertatur. Tamen cõmunis Dialecticorũ opinio eſt, ordinem propoſitionũ immutatum non immutare modum ſyllogiſmi. & Philoponus, grauiſſimus auctor, ſcribit, poſſe nos, vſu iam recepto, præponere minorem maiori in hunc modum; Omnis homo animal: omne animal ſubſtantia; omnis homo ſubſtantia. Atq;, ſi ex minori termino ſumatur initium, ex hoc etiam inchoandã concluſionem ad hunc modum; Iuſtitia eſt virtus: virtus amabilis: iuſtitia amabilis. & ipſe Ariſtoteles affirmat hãc argumẽtationem, in qua ponitur prima concluſio, ſecunda maior, tertia minor, eſſe ſyllogiſmum, non enthymema; Pittacus liberalis: Honoris cupidi liberales: Pittacus honoris cupidus. nihilq; prohibet, quominus in ſyllogiſmo ponatur prima concluſio, ſecunda minor, tertia maior (quod ſæpe vel ab ipſis philoſophis fieri ſolet) & tamen ſit ſyllogiſmus, quia habeat omnia ea, quæ in ſyllogiſmo requiruntur. nec vſquam traditum eſt, ad hoc, vt ſit ſyllogiſmus, neceſſe prorſus eſſe, vt maior ſit prima, minor ſecunda, concluſio tertia, alioqui fore enthymema, non ſyllogiſmum. Sed, cum concluſio cognoſcatur, vbicunque ſit, quæ de minore extremitate maiorem cõcludit extremitatem, mediumque non continet terminum; minor, quæ minus extremum cũ medio; maior, quæ maius extremũ cum medio comprehendit: ſi hæc omnia adſint, quocunque ordine collocata ſint, ſyllogiſmus eſt. Itaq; propter ordinẽ partiũ cõuerſum forma ſyllogiſmi non immutatur: nec ad enthymema redigitur ſyllogiſmus eo ipſo, quod non ſuo loco cõcluſio, & propoſitiones ponãtur, dicat, q̃quid velit, Maioragius cũ ſectatorib. ſuis.

Ami-

318

Amicus noſter, multarum Rhetoricarum auctor, exiſtimat enthymema componi ex totidem, non ſolum, cum ordo conuerſus eſt (qua in re ſequitur Maioragium, etiam ſi non nominet) verumetiam, cum ſyllogiſmo nihil deeſt, ſed materia eſt probabilis, & contingens, nō neceſſaria, & demōſtratiua, qualis eſt hæc argumentatio in materia appoſita ad perſuadendū; Omnis inſidiator iuſte interfici poteſt: Clodius fuit inſidiator: ergo iuſte interfici potuit. Hæc amicus noſter. Sed ab eo quærimus, vnde ipſe habeat illud, vt adſit forma ſyllogiſmi cum propoſitione maiore, minore, & concluſione, ac ſyllogiſmus non ſit, ſed enthymema propter materiā probabilem, & contingentem. Quod ſi verum eſſet, Ariſtoteles non traderet, lib. 1. Topicorum, genera ſyllogiſmorum eſſe, demōſtratiuum, dialecticum, captioſum: ſed ſolum demonſtratiuum appellaret ſyllogiſmum propter materiam neceſſariam, dialecticum vero, & captioſum nominaret potius enthymema, propter materiam non neceſſariam. Nec ſcriberet in hoc ipſo capite, varia eſſe enthymemata ex artium, & facultatum varietate, vt alia ſint de rebus moralibus, alia de naturalibus, alia de aliis: ſed diceret ſola enthymemata eſſe illa, quæ ſunt in materia non neceſſaria, etiamſi perfectam ſyllogiſmorum formā habeant, contra vero ſyllogiſmos eſſe omnes argumentationes, quæ ſunt in materia neceſſaria, etiā ſi forma enthymematica prædita ſint. Præterea illud abſurdi eueniret, quod materia, & nō forma ipſi rei afferret eſſentiam, & appellationē. Quod quomodo defendi queat, ipſe diligentius cogitet. Nos igitur longe alia in ſentētia ſumus: propterea quod Ariſtoteles, tametſi enthymema nominat imperfectū ſyllogiſmum; tamē clariſſimo Doriei exemplo declarat ſe formæ, nō materiæ imperfectionē intelligere; & id videtur naturæ enthymematis repugnare, vt perfectā habeat formā argumentandi; quo qui vtitur, in animo quidem antea, menteq; ſua ſyllogiſmum perfectū conflauit, ſed illud omittit, & in mente retinet, ac non profert, quod ante omnium oculos poſitum arbitratur, vt vis quoque vocabuli videtur indicare.

Non deſunt, qui putēt, cum duplex ſit ſyllogiſmus, vnus, quē appellant primū ſine probationibus, alter, quē ſecundū cū pro-

bationibus, ſi conferatur enthymema cum ſyllogiſmo primo, illud quidem ſemper eſſe ſyllogiſmum imperfectum, quia ei vna ex propoſitionibus deſit, & conſtare ſæpe ex paucioribus, cum eſt ſine vlla probatione: ſed quandoq; ex totidem, vel etiam ex pluribus, cum deficiente vna ex propoſitionibus, ob quam cauſſam eſt enthymema, ponitur vna, vel plures probationes inter partes enthymematis. Probationes autem poſſe inter partes argumẽtationis enumerari, auctor eſt Cicero lib. 1. de inuentione, vbi probat ratiocinationem modo eſſe tripartitam, modo quadripartitam, modo quinquepartitam. Tripartitam ex propoſitione, aſſumptione, complexione. Quadripartitam ex maiore, minore, alterutrius probatione, concluſione. Quinquepartitã ex propoſitione, propoſitionis probatione, aſſumptione, aſſumptionis probatione, complexioxione. Et ad illos, qui negant, neque a propoſitione, neque ab aſſumptione, approbationes earum ſeparari oportere, neque propoſitionem abſolutam, neque aſſumptionem ſibi perfectam videri, quæ approbatione confirmata non ſit, reſpondet ad hunc modum; Si quadam in argumentatione ſatis eſt vti propoſitione, & aſſumptione, & nõ oportet adiungere approbationem propoſitioni, & aſſumptioni; quadam autem in argumentatione infirma eſt propoſitio, & aſſumptio, niſi adiuncta ſit approbatio: ſeparatum quiddam eſt a propoſitione, & aſſumptione approbatio. Quod enim adiungi, & ſeparari ab aliquo poteſt, id non poteſt idem eſſe, quod eſt id, ad quod adiungitur, & a quo ſeparatur. Eſt autem quædam argumentatio, in qua propoſitio, & aſſumptio non indiget approbatione; & quædam, in qua nihil valet abſque approbatione. Separata eſt igitur a propoſitione, & aſſumptione approbatio. Itaque videtur enthymema totidem habere partes, quot ſyllogiſmus primus, cum deeſt ipſi propoſitio, aut aſſumptio, & adeſt alterutra, & alterutrius approbatio, & concluſio in hunc modum; Iuſtitia eſt virtus: Eſt enim habitus naturæ rationi conſentaneus: Ergo amabilis. Et virtus amabilis: Nam bonum: Ergo iuſtitia amabilis. Quod ſi reciperetur, nihil prohiberet, quominus vel ex pluribus conſtaret enthymema, & tamen imperfectus eſſet ſyllogiſmus, cum ſcilicet deeſſet propoſitio, & adeſſet

propo-

propoſitionis approbatio, aſſumptio, aſſumptionis approbatio, complexio; cuiuſmodi enthymema in huius libri proœmio reperitur, quod ad hunc reducitur ſyllogiſmum quinquepartitum; Qui nihil de enthymemate, quod eſt corpus fidei, dixerunt, plurima vero de iis, quæ ſunt extra rem, tradiderunt, exiguam artis Rhetoricæ particulam confecerunt. Fides enim ſola continet id, quod artificioſum eſt: alia vero additamenti ſunt loco. At alij dicendi magiſtri nihil dixerunt de enthymemate, plurima vero tradiderunt de iis, quæ ſunt extra rem. Criminatio enim, & miſericordia, & ira, & huiuſmodi animi affectus de re non ſunt, ſed ad iudicem referuntur. Ergo exiguam artis Rhetoricæ particulam confecerunt. Huius ſyllogiſmi ponitur prima concluſio, omittitur propoſitio, ſecunda affertur propoſitionis approbatio, tertia aſſumptio, quarta aſſumptionis approbatio. Itaque huiuſmodi enthymema ex quattuor partibus conſtaret. Verumtamen in hac explicatione non facile admittitur, poſſe eſſe vel ſexcentas enthymematis partes, nedum tres, aut quattuor, propterea quod in eo approbationes multiplicentur: quæ tametſi ſunt ſeparatæ a propoſitione, vel aſſumptione alicuius argumentationis, non ſunt tamẽ exiſtimandæ partes illius, ſed alterius, in qua eiuſmodi propoſitio, vel aſſumptio efficitur concluſio. Sed, vt ſint partes in ratiocinatione multiplici, qualis ne ſit collatio, enthymematis habentis approbationes cum ſyllogiſmo experte approbationũ?

Hanc dubitationẽ cum propoſuiſſem ſummo Philoſopho, Reuerendoque patri, Thomæ Peregrino, eorum, quæ μετὰ τὰ φυσικὰ dicuntur, in Gymnaſio Patauino explicatori clariſſimo, intellexi eum ſine vlla dubitatione ſentire, in illis Ariſtotelis verbis non de ſolo agi enthymemate, ſed vniuerſe de ſyllogiſmo, tum perfecto, tũ imperfecto; qui eſt quidem ex paucis, cum eſt perfectus, ſed ſæpe eſt ex paucioribus, quam ſyllogiſmus primus, & perfectus, cum ſcilicet eſt enthymema; quod ſæpe adhibetur, quia ſæpe aliquid notum eſt, quod non oportet dicere, quia id ipſe ſupplet auditor: vt nota eſt propoſitio maior in hac argumentatione; Dorieus vicit coronarium certamen: vicit enim Olympia. vbi deeſt, Qui vicit Olympia, vicit coronarium certamen; quod non oportet adiungere, quia

id omnes cognoſcunt. vnde colligitur, ſi propoſitio maior nota non ſit, eam eſſe proferendam. Quæ argumentatio conſtans ex concluſione, aſſumptione, & propoſitione, maiore erit, non, vt putat Maioragius, & qui eum ſectantur, enthymema, ſed ſyllogiſmus, quia habebit omnia ea, quæ in ſyllogiſmo requiruntur. Hanc grauiſſimi viri ſententiam, dubitaui, quomodo ſequi poſſem, propterea quod communis eſſet explicatorum conſenſus, huiuſmodi verba, Et ex paucis, &c. eſſe non vniuerſe de ſyllogiſmo, ſed de ſolo enthymemate proxime nominato. Quamobrem, ſi Peregrini auctoritati adhærerem, videbar a verbis Ariſtotelis, & communi omnium explicatione diſcedere: ſin minus, adhuc grauis dubitatio permanebat, quo modo enthymema quandoque conſtare ex totidem poſſet, ex quot conſtat ſyllogiſmus. Tandem loco obſcuriſſimo diu, multumque inſpecto, mecum ſtatui illud, quod nec a viri doctiſſimi explicatione, nec a verbis Ariſtotelis alienum eſt, etiamſi communi explicatorum opinioni repugnet; illa verba, Et ex paucis, pendere ab illis ſuperioribus, Contingit autem concludere ſyllogiſmo &c. ac philoſophum tradere de modis argumentandi tum materiam, tum formam, vt colligat, quinam oratoribus accommodatiores ſint: ac docere primum ratione materię alia cõcludi ex prius ſyllogiſmo concluſis, alia ex indigentib. ſyllogiſmo, alia ex probabilibus, & confeſſis; primumque genus non eſſe accommodatum Rhetoricæ propter longitudinem: nec ſecundum, quia non ſit ex perſuaſibilibus: ſed ſolum tertium, quod eſt ex perſuaſibilibus, id eſt, probabilibus, & confeſſis, & de iis, quæ contingunt ita, vt ſæpe ſe habeant etiam aliter, ſiue ſit exemplum, quod eſt inductio oratoria, ſiue enthymema, quod eſt ſyllogiſmus oratorius. Deinde ratione formæ, alia concludi ex paucis per ſyllogiſmum perfectum: alia, & quidem ſæpenumero, ex paucioribus per enthymema. Itaque, ſi ſpectetur materia argumentandi, tria ſunt genera concludendi, quorum tertium tantũ Rhetoricæ congruit. Si forma, duo ſunt, quorum vnum rarius congruit oratoribus, nempe ſyllogiſmus: alterum ſæpius, ſcilicet enthymema. Neque enim dubitandum eſt, quin orator quandoque ſyllogiſmo perfecto vtatur, quamuis non tam ſæpe, quã

ſyllo-

ſyllogiſmo imperfecto,& enthymemate. Nam, quemadmodum aut maiorem, aut minorem ſolet reticere, ſi notæ ſint: ſic, ſi ambæ ſint ignotæ, ambas profert. idcircoque & Cicero in arte oratoria perfectam quoque ratiocinationē dat oratoris & in orationibus quandoque tum Ciceronis,tum aliorū oratorum integri reperiuntur ſyllogiſmi. quod cum ſit notius, quam vt longiore indigeat explanatione,vnum tamen exemplum idcirco afferam, quia de eo ab amico meo diſſentio, ex principio orationis pro Archia, vbi ipſe ſcribit vſurpatum fuiſſe enthymema cum propoſitione minore, & concluſione ſine propoſitione maiore: tamē eſt ſyllogiſmus perfectus cum propoſitione maiore, minore, & concluſione. Sic enim Cicero argumentatus eſt per ſyllogiſmum hypotheticum; Si beneficio Archiæ alios defendere poſſum, ipſe quoque mihi eſt defendendus. At beneficio Archiæ alios defendere poſſum. Ergo ipſe quoque mihi eſt defendendus Sed huiuſmodi ſyllogiſmum more oratorio ornat. Nam maior propoſitio eſt; Si hæc vox huius hortatu, præceptiſque conformata nonnullis aliquando ſaluti fuit; a quo id accepimus,quo ceteris opitulari,& alios ſeruare poſſemus,huic profecto ipſi,quantum eſt ſitum in nobis,& opem, & ſalutem ferre debemus. Minor eſt; Quoad lōgiſſime poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari vltimam, inde vſque repetens, hunc video mihi principem & ad ſuſcipiendā, & ad ingrediendam rationē horum ſtudiorum extitiſſe. Concluſio eſt;Si quid eſt in me ingenij, iudices,quod ſentio,quā ſit exiguum;aut ſi qua exercitatio dicendi,in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatū; aut ſi huiuſce rei ratio aliqua ab optimarum artiū ſtudiis, & diſciplina profecta, a qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe: earū rerū omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope ſuo iure debet. Poſita eſt autem prima concluſio, ſecunda minor, tercia maior. Sed, vt ad Ariſtotelem reuertamur, eius verba ita explicamus; Contingit autem concludere ſyllogiſmo, & colligere, alia quidem ex ſyllogiſmo concluſis prius, & quæ ſequuntur, vſque ad illa verba, Exemplum quidem inductionem: enthymema vero ſyllogiſmum. Et ex paucis, id eſt,

ſimiliter contingit concludere ſyllgiſmo, & colligere ex paucis, & ſæpe paucioribus, quam ex quibus eſt primus ſyllogiſmus. Itaque illud, Ex paucis intelligimus de ſyllogiſmo perfecto, qui non tam ſæpe ab oratoribus vſurpatur: & illud, Ex paucioribus, de enthymemate, quo ſæpe vtuntur oratores. Nec diſcedimus a verbis Ariſtotelis. Nec illud abſurdi admittimus, vt enthymema eſſe quandoque ex totidem dicatur, ex quot eſt ſyllogiſmus perfectus. Quæ dubitatio ita explicatores torſit, vt alios adduxerit ad ſuam ipſorũ hac de re ignorantiam confitendam, alios, & quidem arrogantiores, & impudentiores ad ea tradenda, quæ repugnare naturæ, enthymematis, & Peripateticæ doctrinæ videantur.

Ἐπεὶ δ᾽ ἐστὶν ὀλίγα μὲν ἀναγκαῖα, ἐξ ὧν οἱ ῥητορικοὶ συλλογισμοί εἰσιν. Quoniam autem ſunt pauca neceſſaria, ex quibus oratorij ſyllogiſmi cõficiuntur. Muretus legit, *περὶ ὧν*, de quibus. Hoc autem in loco non excluduntur neceſſaria ab oratoris argumentatione, etiam ſi pauca eſſe dicantur; quemadmodum ne apud Ciceronem quidem lib. 1. de inuentione, vbi argumentatio definitur, & in Partitionibus, vbi agitur de veriſimilibus, & propriis rerum notis. Multa enim poſſunt etiam aliter ſe habere. quod probatur ſic; Quæ agunt homines, non ſunt ex neceſſitate. Quare lib. 1. de interpretatione præcipitur, homines eſſe principium actionum ſuarum; idque probatur ex conſultationibus, cum quidquid ipſi ſtatuerint conſultatione ſua, id agant, ita vt actiones pendeant a conſultante, tamquam a principio. At quæ tractant oratores, ſunt ea, quæ agunt homines. Verſantur enim circa ea, de quibus conſultamus, id eſt, circa ea, quæ aguntur ab ipſis, vt legitur lib. 3. Ethicorum cap. 3. Ergo quæ tractant oratores, non ſunt ex neceſſitate. Concluſiones autem non neceſſariæ ex propoſitionibus non neceſſariis colliguntur, & neceſſaria ex neceſſariis, vt Senes ſunt auari, Socrates eſt ſenex, ergo auarus; Iuuenes ſunt gloriæ dediti, hic eſt iuuenis, ergo gloriæ deditus; Homo eſt animal, hic eſt homo, ergo animal; homo eſt animal, hic non animal, ergo non homo. Apparet, ex quibus enthymemata ducuntur, alia quidem neceſſaria futura eſſe, plurima vero, quæ plerunque ſe habent. *λέγεται γὰρ ἐνθυμήματα ἐξ εἰκότων, καὶ σημείων.*

μένων. Ducuntur enim enthymemata ex veriſimilibus, & ſignis. Mur. λέγεται δέ. Ducuntur autem, &c. vt neceſſarium ſit horum vtrunque cum vtroque idem eſſe, hoc eſt, veriſimile, & ſignum cum eo, quod plerunque ſe habet, & cum neceſſario: non tamē ſimpliciter, quia omne quidem veriſimile eſt idem cum eo, quod plerunque ſe habet: ſed non omne ſignum eſt neceſſarium, vt inferius patebit. Amicus noſter tradit, enthymemata duci ex adiunctis, & ſignis; quaſi adiūcta tam late pateant, quam veriſimilia. Ac veriſimilis quidem eſt locus adiunctorum: ſed veriſimilis quoque locus coniugatorum, locus a maiori, locus a minori, locus a pari, & alij ſimiliter. Quare vocabulorum proprietas non eſt immutanda.

Τὸ μὲν γὰρ εἰκός ἐστιν ὡς ἐπιτοπολὺ γινόμενον. Muretus, τὸ μὲν γὰρ εἰκός ἐστι τὸ ὡς ἐπιτοπολὺ γιγνόμενον. Veriſimile enim eſt, quod plerunq; fit. οὐχ ἁπλῶς δέ, καθάπερ ὁρίζονταί τινες, ἀλλὰ τὸ περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν, οὕτως ἔχον πρὸς ἐκεῖνο, πρὸς ὃ εἰκός, ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος. Non ſimpliciter autem, quemadmodum definiunt nonnulli, ſed quod in iis, quæ contingit aliter ſe habere, ſic ſe habet ad illud, cui eſt veriſimile, vt vniuerſale ad ſingulare. Muretus omittit illud περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν, & vertit, ſed id demum, quod ita affectum eſt ad id, ad quod probandum adhibetur, &c. In veriſimili ſpectantur duo, primum, vt plerunque ita ſe habeat deinde, vt ſit vniuerſale. In Analyticis traditur, Veriſimile eſſe probabilē quandam propoſitionem. Quod enim plerunque vulgo norunt ita fieri, vel non fieri, eſſe, vel non eſſe, id veriſimile appellari, vt odiſſe inuidentes, vel amare amantes. Hoc Philoponus ita explicat, vt dicat, plerunque fieri, vt inuiſi inuidētes odio habeant, vel amantes ament amatos. Victorius, plerunq; fieri, vt inuidentes odio habeant inuiſos, vel amati ament amatos. Nos Victorij ſequimur explicationem, cum præſertim ſecundum exemplū magis continere neceſſitatem, quam veriſimilitudinem videatur, iuxta illud, Nemo amator eſt, qui perpetuo non amet.

Ex ſignis autē, vnum eſt neceſſariū nominatum tecmeriū, quod paullo poſt dicitur ſolui non poſſe, & recte in ſyllogiſmū cadere: alterum non neceſſarium innominatum; atque id duplex eſt, vnū ſingulare ad vniuerſale, quod inferius dicitur ſolui

poſſe, quamuis id,quod dicitur,verum ſit,propterea quòd ſyllogiſmo non concludatur: alterũ vniuerſale ad ſingulare,quod item dicitur ſolui poſſe,quamuis verũ ſit, quia ne hoc quidem ſub ſyllogiſmũ cadat.In Analyticis quoque præcipitur,ſignum triplex eſſe; aut enim ita ſe habere, vt in prima figura, & ſolui non poſſe:aut vt in media,& ſolui poſſe:aut vt in tertia,& ſolui item poſſe. Iam videamus, quibus huiuſmodi ſigna exemplis tum in Analyticis,tum in Rhetoricis illuſtrentur.

Nam hoc in loco Tecmerij exemplum affertur; Qui febrẽ habet,ægrotat:hic febrẽ habet: ergo ægrotat. Quæ lac habet, peperit; hæc lac habet: ergo peperit. Illic;Quæ lac habet, prægnans eſt: hæc lac habet : ergo prægnans eſt. Cadit igitur tecmerium in primam figuram,atque ita neceſſarium eſt,vt ſolui non queat.

Signi non neceſſarij ſingularis ad vniuerſale in hoc capite; Socrates eſt iuſtus: Socrates eſt ſapiens: ergo omnes ſapientes iuſti. & lib.2.cap.24 Harmodius,& Ariſtogiton fuerunt vtiles Reip.cum Hipparchum Tyrannũ interfecerunt: Harmodius, & Ariſtogiton fuerũt amatores : ergo omnes amatores vtiles. Illic;Pittacus eſt probus:Pittacus eſt ſapiens:ergo omnes ſapientes probi. Hoc ſignum eſt ſolubile in tertia figura, quia ex ſolis particularibus nihil ſyllogiſmo concluditur.

Signi non neceſſarij vniuerſalis ad ſingulare hoc in loco; Qui febrem habet,anhelat: hic anhelat:ergo febrem habet.& lib.2.cap.24.Omnes fures ſunt improbi: Dionyſius eſt improbus: ergo fur. Illic;Quæ vterum geſtat,pallet: hæc pallet: ergo vterum geſtat. Hoc quoque ſignum eſt ſolubile in ſecunda figura,quæ ex ſolis affirmantibus nihil recte concludit.

Ἔστι δὲ τῶν σημείων τὸ μὲν ὡς τὸ καθ' ἕκαστον πρὸς τὸ καθόλου. Eſt autem ex ſignis vnum quidẽ,vt ſingulare ad vniuerſale. Paullo poſt, *τὸ δὲ ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος ἔχον*, alterum vero,vt vniuerſale ad id,quod ſingulariter ſe habet.Hoc ſignũ nos non appellauimus tertium , vt fecit Sigonius: quod viderimus ab Ariſtotele non fuiſſe ita appellatum , & animaduerterimus ex præſcripto ipſius Ariſtotelis eſſe potius ſecũdum,cum alterum ſit vt ſingulare ad vniuerſale , alterũ vt vniuerſale ad ſingulare.

Τὸ δὲ, οἷον εἴ τις εἴποι σημεῖον, ὅτι νοσεῖ, πυρέττει γάρ· ἢ τέτοκεν, ὅτι γάλα ἔχει, ἀναγκαῖον, ὅπερ τῶν σημείων τεκμήριον μόνον ἐστίν.

μόνον

μόνον γὰρ ἂν ἀληθὲς ᾖ, ἄλυτόν ἐστι. Hoc autem eſt, vt ſi quis diceret ſignum eſſe, aliquem ægrotare, quia febrem habet, vel aliquam peperiſſe, quia lac habet, neceſſarium eſt, quod ex ſignis tecmerium ſolum eſt: ſolum enim, ſi verum ſit, ſolui non poteſt. Hæc exempla, quãuis afferre videatur philoſophus ad declarandum primum genus ſignorum innominatorum, vt quo modo differant huiuſmodi ſigna ab illis, quæ ſolui nõ queunt, intelligatur, tamen, ſi liceret, libenter in priorem tecmerij tractationem transferrem ſtatim poſt illa verba, τὸ γὰρ τέκμαρ, καὶ πέρας ταὐτόν ἐστι κατὰ τὴν ἀρχαίαν γλῶτταν, quia tecmar, & terminus idem eſt iuxta antiquam linguam. ſic enim diſtingueretur genus diſputandi quodammodo perplexum, quo primũ explicatur tecmerium, deinde ſuis exemplis declaratur ſignũ innominatum ſingulare, inde exempla tecmerij traduntur, poſtremo ſignum explanatur innominatum vniuerſale.

Iam quæritur, quid inter veriſimile, & ſignũ non neceſſariũ, vniuerſale interſit. nihil enim videtur intereſſe, cũ ſit neutrũ neceſſariũ, & vtrunq; vniuerſale. Quod ſi nulla differentia ſit, minus recte tradidiſſe philoſophus exiſtimabitur, enthymemata duci ex veriſimilibus, & ſignis, cum ſatis eſſet nominare ſigna, quibus veriſimilia ſubiicerentur. Nam ea vitioſa eſt diuiſio, cuius vna pars ſub altera continetur; vt, cum ea, ex quibus ducuntur enthymemata, in veriſimilia, & ſigna ſint diſtributa, in huiuſmodi diuiſione vitiũ notari queat, ſi veriſimilia ſignis ſubiaceant. In qua quæſtione libet notare, quid Philoponus, quid Quinctilianus, quid Cicero, quid alij ſenſerint, ac colligere, quid eſſe probabilius videatur.

Ac Philoponus quidem ſcribit diuidi ſignũ in tecmerium, & veriſimile: ac veriſimile eſſe idem cum homonymo ſigno. Quem ſequitur amicus noſter, ſcribens, ex ſignis alia eſſe veriſimilia, quæ neceſſario non cõcludunt: alia neceſſaria, quæ demonſtratiua ſunt, & neceſſario concludunt. Itaq; Philoponus cõfundit veriſimile cũ ſigno, & nomẽ ei ſigno tribuit, qđ apud Ariſt. innominatũ eſt. Quo cũ ſimul amicus noſter eſt lapſus.

Quinctilianus tradit, vt notat Victorius, quędã eſſe ſigna nõ neceſſaria, quę εἰκότα Gręci vocãt, id eſt veriſimilia. Quod profecto ſi Quinctil. ſcripſiſſet, idẽ eſſe ſignũ nõ neceſſariũ, & veriſimile exiſtimare cũ Philopono videret̃, atq; ab Ariſt. diſſẽtire.

Sed de Quinctiliani opinione non exiſtimamus eſſe prorſus Victorio aſſentiendum, dum ita ſcribit; Quinctilianus certe aliquando ſigna videtur appellare, quę εἰκότα verius dici debuerant: vt, cum inquit, Eorum autem, quæ ſigna ſunt quidem, ſed non neceſſaria, genus Hermagoras putat, non eſſe virginē Atalantam, quia cum iuuenibus per ſyluas vagetur: hoc enim potius veriſimile eſt, quam ſignum: nec enim nota aliqua, quæ illic appareat, intelligimus, ſtupratam eſſe Atalantam, ſed coniectura ducti ita ſuſpicamur: quia plerunque quæ in ſolis, remotisque locis virgines cum adoleſcentibus morātur, florem virginitatis amittunt, impetuque amatorum violantur. Non affirmarim autē, itane ſenſerit Hermagoras, an potius quod εἰκὸς apud eum erat, Quinctilianus reddiderit ſignum, parum apte, proprieque eo nomine vſus, cum idem etiam paullo ſupra dixerit, Alia ſunt ſigna non neceſſaria, quæ εἰκότα Græci vocāt. Hæc Victorius; quem Maioragius damnat in hunc modum; Quod Quinctilianum reprehendit, quia ex Hermagoræ ſententia dixerit ſignum eſſe, Non eſſe virginem Atalantam, quia cum iuuenibus per ſyluas vagetur, idque ait eſſe potius veriſimile, quam ſignum: decipitur, ipſe Victorius, cum ſignum ab effectis ducatur, & ab iis, quæ ſub ſenſum cadunt; & a ſignis etiam coniecturæ ducantur. Quod Victorius negare videtur. Sed de hac Maioragij explicatione, vt ſignum ab effectis ducatur, inferius agemus. Iam Quinctilianus, ſi diligentius legatur, & eius verba perpendantur, nec diſcedere a doctrina Ariſtotelis, nec appellare ſigna non neceſſaria, quæ εἰκότα Græci vocant, videtur. Nam quod ex ſententia Hermagoræ ſignum non neceſſariū appellauit, Non eſſe virginem Atalantam, quia cum iuuenibus per ſyluas vagetur; non videtur erraſſe, cum id ſit ſignum innominatū vniuerſale ad ſingulare ſolubile in ſecunda figura ad hunc modum; Quæ non ſunt virgines, cum iuuenibus per ſyluas vagantur: Atalanta cum iuuenibus per ſyluas vagatur: ergo Atalanta non eſt virgo. At, inquit, hoc potius veriſimile eſt, quam ſignum: quia plerunque, quæ in ſolis, remotisque locis virgines cum adoleſcentibus verſantur, florem virginitatis amittunt, impetuque amatorū violantur. Reſpondetur, id non fuiſſe veriſimile tēporibus heroicis, quibus fuiſſe

dicitur Atalanta; nec plerunque euenire, vt virgines loco illuſtri natæ, quæ quandoque venationis cauſſa cum iuuenib. per ſyluas vagãtur, vt fuiſſe dicitur Atalanta, quam Meleager filius Oenei Regis amauit, violentur, cum præſertim ſecum habere ſoleant comites, & adminiſtros, ac virginitatis ſuæ cuſtodes, vt Atalantam habuiſſe veriſimile eſt. Tantum igitur abeſt, vt illud, quod ait Victorius, ſit veriſimile, vt potius ſignum imperfectum, ac ſolubile eſſe videatur, cuiuſmodi eſſe omnia ſolent ſigna innominata. Neq; vero appellauit Quinctilianus ſigna non neceſſaria, quæ Græci dicunt εἰκότα. Legendum enim eſt ſic; Alia ſunt ſigna non neceſſaria, quæ εἰκαῖα Græci vocant. non, vt Victorius legit; Alia ſunt ſigna non neceſſaria, quæ εἰκότα Græci vocant. Nam ſigna innominata, quæ non ſunt tecmeria, nec neceſſaria, nominari quidẽ poſſunt εἰκαῖα, id eſt, leuia, cum ſolubilia ſint vel in ſecunda, vel in tertia figura, ſed non εἰκότα, id eſt, veriſimilia, cum plerunque ita ſe non habeant. Hanc duplicem lectionem commemorat quoque Quinctiliani explicator Raphael Regius in hunc modum; Alia ſunt ſigna neceſſaria, quæ εἰκαῖα Græci vocant. Varie quidem legitur hoc diuiſionis membrum. Quidam enim εἰκαῖα, alij εἰκότα legunt, ſed εἰκαῖα ſolum, quæ vana interpretari poſſunt, ſenſui conueniunt. Nam huiuſmodi ſigna idcirco vana, & leuia videntur, quia ſola ad tollendam dubitationem non ſufficiunt. εἰκότα vero non eſſe legendum, ne dubitandum eſt quidem, cum εἰκότα inter argumenta, non inter ſigna numerentur. Hæc Regius; qui mihi quidem perplacet, cum probet vetuſtiorem, & cõmuniorem lectionem: ſed in eo non ſatis placere poteſt, quod diſtinguit ſigna ab argumentis, cum etiam ſigna ſint argumenta, quamuis leuia: omnia enim dicuntur argumenta, quæ afferuntur ad aliquid probandũ, vel refellendum: ſed quędam ſunt probabiliora, & firmiora, vt veriſimilia, & in primis tecmeria: quædam minus probabilia, & minus firma, vt ſigna innominata, tum vniuerſale, tum ſingulare. quod infra patebit magis. Sed ad propoſitum redeamus.

Cicero in Partitionibus præcipit, Veriſimile eſſe, quod plerunque ita fit, vt adoleſcentiam procliuem eſſe ad libidinem: propriæ autem notæ argumentum, quod nunquam aliter fit,

certumque declarat, vt fumus ignem. Atque, cum tradat, veriſimilia reperiri in perſonis, in locis, in temporibus, in factis, in euentis, in rerum ipſarum, negociorumque naturis, addit eſſe genus argumentationis aliud, quod ex facti veſtigiis ſumitur, vt telum, cruorem, clamorem editum, titubationem, permutationem coloris, orationem inconſtantem, & eorum aliquid, quod ſenſu percipi poſſit, etiam ſi præparatum aliquid, ſi communicatũ cum aliquo, ſi poſtea viſum, auditũ, indicatum. Igitur loco ſigni propriam rei notam, & facti veſtigia nominat: id tamen, quod quærimus, non ſatis declarat. Libro autẽ primo de inuentione, definit ſignum, vt ſit, quod ſub ſenſum aliquem cadit, & quoddã ſignificat, quod ex ipſo profectũ videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipſo negocio, aut poſt ſit conſecutum, & tamen indiget teſtimonij, & grauioris cõfirmationis, vt cruor, fuga, pallor, puluis, & quæ his ſunt ſimilia. Hanc definitionem ſequitur Maioragius, & alij multi, qui putant, cũ omnis cognitio noſtra duplicem originem habeat, vel a ſenſu, vel ab intelligentia; neceſſe eſſe, vt etiam omnia argumenta, quæ nobis cognitionem aliquã afferunt, vel ad ſenſum, vel ad intelligentiam referantur. Et, quæ ad ſenſum pertinẽt, vocari ſigna, quod aliquid ſignificẽt per ſenſum, vt per viſum, aut per auditum, aut per alios: quæ vero ducuntur ab intelligentia, vel opinione, veriſimilia dici. Ergo illud ex horum ſententia intererit inter veriſimile, & ſignum innominatum vniuerſale, quod vnũ ad intelligentiam pertineat, vt matres amare filios: alterum ad ſenſum, vt febre laborantes anhelare. Hi tamen non vident apud Ariſtotelem ſignum quoque eſſe, quod pertinet ad intelligentiam, vt omnes ſapientes eſſe iuſtos, quoniam Socrates fuit ſapiens, & iuſtus. Æque enim pertinet ad intelligentiam ſapientia, & iuſtitia Socratis, qui ſunt animi habitus, & animo comprehenduntur, ac matrum amor erga filios. Bartholomæus Caualcantius, qui artem Rhetoricam Etruſco tractat ſermone, Ariſtotelisque ſententiam conatur facillime explicare, ait, ſapientiam, & iuſtitiam Socratis ad ſenſum pertinere, quia ab hominibus illius temporis, cum Socrates viuebat, viſu, & auditu comprehenſa ſit. At veriſimile quoque hoc comprehenditur modo, dum amoris in matribus conſpiciuntur effectus,

aut audiuntur. Itaque tam veriſimile, quam ſignum hoc modo cõſideratum ad ſenſum pertinebit. Verum noſtra quidem ſententia aliud eſt comprehendere virtutem, aliud effectum virtutis. Illud ad intelligentiam, hoc ad ſenſum eſt referendũ. Addit Maioragius; Eſt illa ſatis aperta differentia, inter veriſimile, & ſignum, quod veriſimile ducitur a cauſſis, & communi opinione, vt quod Malleolus culeo ſit inſuendus, quia eſt parricida, & Antonius ſit hoſtis iudicandus, quod patriæ bellum inferat. Nam ita cenſent omnes, nempe eos, qui parentes occidunt, culeis inſuendos eſſe, &, qui bellum patriæ inferunt, hoſtes eſſe iudicandos. Signum autem ducitur ab effectis rebus, quæ ſub ſenſum cadunt, vt Areopagitæ puerum damnarunt, qui coturnicibus oculos effodiebat, & deinde viuos emittebat. id enim ſummæ crudelitatis ſignum eſſe iudicarunt. Atque hæc diſtinctio facilis eſt, & expedita. Tibi quidem, Maioragi, facilis, & expedita: nobis vero non ſatis clara, & aperta, qui non intelligimus, cur etiam veriſimile ab effectibus eſſe non queat, vt, Eum, qui iraſcitur, paruifieri: Eum, qui nobis benefacit, amicum eſſe: & ſignum a cauſſis, vt Diem eſſe, quod Sol eſt ſuper terram: Cinerem fore, quod ignis eſt. Quare ne hæc quidem explicatio, quæ omne complectitur ſignum, plane veriſimile a ſigno innominato vniuerſali diſtinguit.

Iam vero mihi in hoc acrius intuenti nulla alia videtur eſſe inter res huiuſmodi differentia, niſi quod veriſimile eſt propoſitio probabilior: ſignum vero vniuerſale non neceſſarium propoſitio minus probabilis. Signum enim eſſe non terminum propoſitionis, ſed integram propoſitionem, inferius explicabitur. Quamobrem ita diſtinguendum arbitramur, vt dicatur, duplex eſſe ſignum, vnum perfectius veriſimili, quod appellatur tecmerium: alterum imperfectius, quod nomen non habet; & eſt duplex, aut tamquam ſingulare ad vniuerſale, & peccat in tertia ſyllogiſmorum figura, in qua ex ſolis ſingularibus nihil probari poteſt: aut tamquam vniuerſale ad ſingulare, & fallit in ſecunda figura, in qua ex ſolis affirmantibus non licet concluſionem colligere. Vtrumque autem eſt imperfectius veriſimili, quia

vtrunque ſyllogiſmo concludi non poteſt, cum veriſimile cadat in ſyllogiſmum primæ figuræ, quemadmodum etiam tecmerium. Itaque recte Victorius poſt multas, & varias diſtinctiones, Maiorem, inquit, ad probandum vim habent veriſimilia, quam ſigna; ac certiora inde argumenta conflantur; quia illa plerunque fiunt: ſigna autem, exceptis propriis, certiſque non tam firma ſunt, ſæpiuſque in fraudem inducunt. Veriſimile igitur eſt, quod crebro contingit, vt ſenes eſſe auaros, Matres amare filios: ſignum vero innominatum vniuerſale eſt, quod æque, vel raro contingit, vt Eum qui anhelat, febrẽ habere, qui febrem habent, anhelant: Eam, quæ pallida eſt, grauidam eſſe, quia quæ grauidæ ſunt, pallidæ ſunt; vt illa vox, Plerumque, quæ de veriſimili, non de ſigno legitur, diſtinguere hoc ab illo videatur.

Cum autem præcipiatur, ex ſignis vnum eſſe, vt ſingulare ad vniuerſale, alterum vt vniuerſale ad ſingulare; dubitatur a nonnullis, vtrum id de terminis propoſitionis intelligendum ſit, quorum alter ſit ſingularis ad vniuerſalem, alter vniuerſalis ad ſingularem; an de propoſitione, quæ ſit vel ſingularis ad vniuerſalem concluſionem, vel vniuerſalis ad ſingularem. Alexandro Piccolomineo, viro doctiſſimo, placet id de terminis eſſe intelligendum; eiuſdemque opinionis eſt quoq; inter cæteros Raphael Cyllenius, vir diſertiſſimus, in Tabulis Rhetoricis, dum ſcribit, Illorum ſignorum, quæ ſe habent, vt ſingularia ad vniuerſalia, vnum ſolui poſſe, vt Socrates ſapiens fuit, & iuſtus; omnes igitur ſapientes iuſti: alterum neceſſarium eſſe, vt, Qui febri laborat, ægrotat; & Quæ lac habet, peperit. Contra tamen ſentire Ariſtoteles videtur, apud quem in Analyticis legitur, Signum debet eſſe propoſitio demonſtratiua, vel neceſſaria, vel probabilis. &; Vbi vna tantum propoſitio dicitur, ſignum eſt tantum: ſin altera aſſumatur, tum eſt ſyllogiſmus. Accedit, quod, cum veriſimile ſit tamquam vniuerſale ad ſingulare, ſi ſpectarentur termini propoſitionis, & non propoſitio, poſſet eſſe quoque tamquam minus vniuerſale ad vniuerſalius, vt Inuidentes odio habere; & Matres amare filios. Minus enim vniuerſalis eſt inuidia, quam odium, & nomen matrum minus late patet, quam nomen amoris in filios, etiã patribus

tribus congruentis. Quemadmodũ autẽ veriſimile dicitur eſſe tamquam vniuerſale ad ſingulare non propter terminos, ſed quia ſit propoſitio vniuerſalis ad cõcluſionem ſingularem: ſic de ſignis dicendum eſt. Quid? quod ſimpliciter tradit philoſophus, ſignum, quod ſe habet tamquam ſingulare ad vniuerſale ſolui poſſe? Id quod falſum eſſet de tecmerio, ſi propterea intelligeretur eſſe tamquã ſingulare ad vniuerſale, quia in propoſitione, quæ dicitur ſignum, ſit vnus terminus tamquam ſingularis ad vniuerſalem, vt ſe habet febris ad ægrotationem in hac propoſitione; Qui febrẽ habet, ægrotat. Ariſtoteles enim quodammodo corrigendus eſſet; & dicendum, non illud ſignum, quod ſe habet vt ſingulare ad vniuerſale, ſolui poſſe, ſed partim poſſe, partim nõ poſſe, quemadmodum corrigere Cyllenius nõ ſine ſuo errore viſus eſt. Hactenus de veriſimilibus, & ſignis, ex quibus enthymemata conficiuntur.

Quod attinet ad alteram argumẽtationem oratoriam, dictum eſt ſuperius, exemplum eſſe inductionem oratoriam, id eſt, imperfectam. Et, cũ ex ſimilibus aliquid probatur, in Dialectica eſſe inductionẽ, in Rhetorica exemplum. Et materiam exempli eſſe eandem, atque enthymematis, nempe de iis, quæ contingunt ita, vt ſæpe ſe habeant etiã aliter. Iam forma exempli eſt perquirenda. omnis enim argumentatio eſt, aut tamquam pars ad totum, & inductio dicitur: aut tamquam totum ad partem, & eſt ſyllogiſmus, vel enthymema: aut tamquam totum ad totum, & eſt quoque ſyllogiſmus, vel enthymema: aut tamquam pars ad partem, ſimile ad ſimile, cũ ambo quidem eidem generi ſubiiciuntur, ſed alterum altero notius eſt. His enim quattuor proprietatibus definitur exemplum. *ὡς μέρος πρὸς μέρος, ὅμοιον πρὸς ὅμοιον.* Vt pars ad partem, ſimile ad ſimile. Muretus; Similis ad ſimilem. Ac diſtinguitur ab inductione, quia inductio quidem probat vniuerſale: exemplum vero particulare. Quamquam illa etiam videtur probare particulare; vt horum librorum ſecundo cap. 23. quod iis, qui male curarunt alienos equos, non cõmittunt ſuos. Neque iis, qui euerterunt alienas naues. Igitur, ſi ſimiliter in omnibus, neq; iis, qui male cuſtodierunt alienam, ſuam committerẽ ſalutem debent. Et inductio Aſpaſiæ apud Cic. lib. 1. de inuen. Dic mihi

quæſo, Xenophontis vxor, ſi vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, vtrũ illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quod ſi veſtem, & ceterum ornatum muliebrem precij maioris habeat, quam tu habes, vtrumne tuum, an illius malis? Illius vero, reſpondit. Age, inquit, ſi virum illa meliorem habeat, quam tu habes, vtrumne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit. Et; Quæſo, Xenophon, ſi vicinus tuus meliorẽ equum habeat, quam tuus eſt, tuumne equum malis, quam illius? Illius, inquit. Quod ſi fundum meliorem habeat, quam tu habes, vtrũ tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem ſcilicet. Quod ſi vxorem meliorem habeat, quam tu habes, vtrum tuam, an illius malis? Atque hic Xenophon quoq; ipſe tacuit. Quamobrem Boethus lib. 2. de differentiis Topicis ſcripſit, per inductionem non ſolum vniuerſale, ſed etiam ſingulare comprobari. At contra afferri poteſt, quod illæ inductiones, quæ ſingulare probant, imperfectæ ſunt, & oratoriæ, ac proprie exempla; idcircoque Ariſtoteles de illis in Logica non meminit, ſed tantum in Rhetorica; Ciceroque eas ſine dubio pertractauit, quatenus oratori ſeruiunt probabiliter, non neceſſario. Ac exemplum quidem ab inductione diuerſum eſt, non ſolum ratione concluſionis, verumetiam ſimilium, quæ ad probandam colliguntur concluſionem. Qua de re in hunc modum ſcribit Ariſtoteles in Analyticis; Exemplum ab inductione differt, quod inductio ex vniuerſis ſingulis extremum in medio eſſe confirmat, nec connectit ſyllogiſmum ad extrema: exemplum autem coniungit quidem, at ex omnibus non probat. Vbi duas affert differentias; vnam, quod inductio ex omnibus ſingularibus oſtendit ineſſe extremum medio, exemplum non ex omnibus: alteram, quod illa ad extremum non copulat ſyllogiſmum, hoc copulat. Quæ differentiæ cuiuſmodi ſint, breuiter perpendamus.

Ac inductio quidem ex minore extremitate, quæ ex omnibus conſtat ſingularibus, oſtendit medio termino ineſſe maiorem extremitatem.

Minor extremitas eſt homo, equus, mulus, alia eiuſmodi.

Medius terminus vacans bile.

Maior extremitas longæuum.

Sic

Sic ducitur argumentum;

Homo vacans bile longæuus eſt, & equus, & mulus, & cetera huiuſmodi.

Ergo omnia vacantia bile longæua ſunt.

Minor extremitas conſtat ex omnibus; quod docet Ariſtoteles ſic; Oportet autem intelligere minorem extremitatem, quaſi quid ex vniuerſis ſingulis compoſitum. Nam inductio ex omnibus efficitur. Præterea inductio ad extremum non copulat ſyllogiſmum. Quare idem ſcribit ad hunc modum; Inductio ſyllogiſmo contraria eſt aliquo pacto. hic enim ex medio probat extremum in tertio: illa vero ab extremo cõfirmat tertium in medio. Cum igitur ſyllogiſmus per medium terminum alteram extremitatem alteri copulet; & inductio per alteram extremitatem oſtendat medio termino ineſſe alteram: fit, vt hæc illi quodammodo opponi videatur.

Exemplũ vero per id, quod eſt ſimile minori extremitati, oſtendit medio termino ineſſe maiorem extremitatem.

Minor extremitas eſt, Athenienſes contra Thebanos.

Simile eſt, Thebanos contra Phocenſes.

Medius terminus, Contra confines inferre bellum.

Maior extremitas, Malum.

Ita ducitur argumentum;

Contra confines inferre bellum, malum eſt, vt Thebanos contra Phocenſes.

Ergo etiam Athenienſes contra Thebanos.

Quod autem eſt ſimile minori extremitati, non omne adducitur. præterea exemplum copulat ſyllogiſmum ad extremum in hunc modum;

Contra confines inferre bellum, malum eſt, vt Thebanos contra Phocenſes.

Atqui Athenienſes contra Thebanos inferre bellum, eſt contra confines inferre.

Ergo malum.

Cum autem Ariſtoteles tradat, inductionem conſtare ex omnibus, exemplũ non ex omnibus; quæritur, vtrum illud Non ex omnibus, de vno tantũ ſingulari intelligatur, an etiã de pluribus. Boethius putat, de vno tantũ, cuius verba ſunt, Exẽplũ in-

ductioni copulatur, & ab ea diſſidet. Eſt enim exemplũ,quod per particulare propoſitum particulare quiddam oſtẽdere contendit,hoc modo,Oportet a Tullio conſule necari Catilinam, cum a Scipione Gracchus fuerit occiſus. Quæ vtraque particularia eſſe,ac non vniuerſalia, ſingularum deſignat interpoſitio perſonarum. Quoniam igitur ex parte pars approbatur,quaſi inductionis ſimilitudinẽ tenet id, quod exemplum vocamus. Quod vero non plures,quibus quid efficiat, colligit partes, ab inductione diſcedit. Hæc Boethus. Addi poteſt,præcipere philoſophum,exemplum eſſe tamquam partem ad partem,ſimile ad ſimile;& hoc modo vnum ſingulare ad alterum:cumque plura connumerantur ſingularia, eſſe quoque plura exempla. Verumtamen, cum præcepiſſet in Analyticis exemplum per vnum ſimile tertio oſtendere medio ineſſe extremum, vt contra cõfines inferre bellum, malum eſſe, quemadmodum Thebanos contra Phocenſes,quod eſt ſimile huic tertio, Athenienſes contra Thebanos; addidit, Eodem modo fiet, ſi ex multis ſimilibus probetur medium in extremo ineſſe. Itaque videtur conſtituere exemplum ex multis quoque ſingularibus, ſicut hoc etiam in loco, vbi oſtenditur forma exempli, in quo præcepto illud perpendi debet, Exemplum omnes fiunt Dionyſij. Et;Hæc autem omnia huic vniuerſali ſubiiciuntur. Formatur enim exemplum, in quo ſimilia ſunt, Piſiſtratus, Theagenes, & alij,quoſcunque ſciunt. Minor extremitas Dionyſius. Medius terminus,Cuſtodes poſtulare.Maior extremitas, Affectate tyrannidem. Ac ducitur argumentum in hunc modum;

Qui cuſtodes poſtulat, affectat tyrannidem, vt Piſiſtratus, Theagenes, & alij.
At Dionyſius cuſtodes poſtulat.
Ergo affectat tyrannidem.

Itaque in hoc exemplo duo ſimilia ſunt expreſſa,Piſiſtratus, & Theagenes,& alia ſignificata. Formatur quoque lib.2. cap. 20. alterum exemplum, in quo ſimilia ſunt Dareus, Xerxes. Minor extremitas Rex. Medius terminus,occupare Ægyptũ. Maior extremitas,Traiicere. Sicque ducitur argumentum;

Qui occupãt Ægyptum,traiiciũt,vt fecit Dareus,& Xerxes.
At Rex occupabit Ægyptum.

Ergo

Ergo traiiciet.

Quid? quod ipſe Ariſtoteles eiuſdem libri ſecundi cap. 25. aperte declarat, exemplum ex pluribus ſingularibus poſſe conſtari? Nam vbi præcipit, enthymemata ex quattuor duci, & hęc quattuor eſſe, veriſimile, exemplum, tecmerium, ſignum, exponens enthymemata, quæ ducuntur ab exemplo, ſcribit in hanc ſententiam; Quæ ex inductione rei ſimilis, aut vnius, aut plurium, cum aliquis, qui aſſumpſerit vniuerſale, deinde concludat id, quod eſt in parte; ab exemplo. Argumenta autẽ contraria refelli poſſunt, vt dicatur, illud, Non ex omnibus, poſſe etiam intelligi ex aliquibus, contra quam ſenſit Boethus. Et exemplum quidem eſſe tamquam partem ad partem: ſed accipi quoque partem pro multis ſingularibus, vt in inductione, quæ ſine dubio ex multis conſtat ſingularibus, immo vero ex omnibus, & tamen dicitur eſſe tamquam pars ad totum. Et, cum dicitur, vtrumque eſſe ſub eodem genere, & alterum altero notius, conſiderari exemplum ex quibus minimum conſtet. Nec appellanda eſſe plura exempla, quia plura ſint ſingularia: non enim eſſe exemplum vnumquodque ſimile, quod in argumentatione colligitur, ſed totam argumentationem cum approbatione vnius, vel plurium ſimilium. Alioqui illud abſurdi euenturum, vt ne argumentatio quidem illa, in qua vnum ſingulare probat alterum, appellari exemplum queat, ſed tantum ſingulare illud, quod ponitur in approbatione. Id quod alienum eſſe a doctrina Ariſtotelis arbitramur; vt exemplum ſit vnus terminus, vel vna propoſitio, & non integra argumentatio.

Maxima autem eſt enthymematum varietas, vt etiam ſyllogiſmorum. *τὰ μὲν γάρ ἐστι κατὰ τὴν ῥητορικὴν, ὥσπερ καὶ κατὰ τὴν διαλεκτικὴν μέθοδον τῶν συλλογισμῶν.* Alia enim ipſorum ſunt in Rhetorica, vt etiã in Dialectica methodo ſyllogiſmorum. Conuertit Muretus; Quædam enim Rhetoricæ conuenientia ſunt. cetera prætermittit. *τὰ δὲ κατ᾽ ἄλλας τέχνας, καὶ δυνάμεις, τὰς μὲν οὔσας, τὰς δ᾽ οὔπω κατειλημμένας. Διὸ καὶ λανθάνουσι τοὺς ἀκροατὰς, καὶ μᾶλλον ἁπτόμενοι κατὰ τρόπον, μεταβαίνουσιν ἐξ αὐτῶν.* Alia in aliis artibus, & facultatibus, partim extantibus, partim nondum compertis. Quamobrem etiam latent audi-

tores,& qui magis ea attingunt,quã par eſt,recedunt a ſe ipſi. In quibuſdam libris legebatur, δεόντως μεταβαίνουσιν, decenter recedunt. In aliis, οὐ δεόντως, non decenter. Victorius putauit vocem δεόντως eſſe gloſſema. Itaque reiecit. Muretus legit, Διὸ καὶ οἱ μᾶλλον ἁπτόμενοι, ἢ κατὰ τρόπον, λανθάνουσί τε, καὶ μεταβαίνουσιν ἐξ αὐτῶν. & vertit; Quo fit, vt oratores interdum imprudentes ab officio, & munere ſuo diſcedant, propius, quam par eſt, ea, de quibus dicunt, attingentes.

Λέγω γὰρ διαλεκτικούς τε, καὶ ῥητορικοὺς συλλογισμοὺς εἶναι, περὶ ὧν τοὺς τόπους λέγομεν. Dico Dialecticos, & Rhetoricos ſyllogiſmos eſſe de quibus locos dicimus. Muretus legit, ὧν πάντα εἴδη, καὶ τοὺς τόπους λέγομεν. Quorum & ſpecies, & locos tradimus. Loci ſunt communiter de iuſtis, & naturalibus, & de ciuilibus, & de multis differentibus ſpecie, vt maioris, & minoris locus. Nihil enim magis licebit ex hoc concludere ſyllogiſmo, vel enthymema dicere de iuſtis, quam naturalibus, aut de quacunque re. Atque hæc ſpecie differunt. ἴδια δὲ ὅσα ἐκ τῶν περὶ ἕκαστον εἶδος, καὶ γένος προτάσεών ἐστιν. Propria vero, quæcunque ex propoſitionibus vnicuique ſpeciei, aut generi inſitis ſunt. Muretus, εἴδη δὲ, ὅσα. Species autem, quæcunque, &c. vt de naturalibus ſunt propoſitiones, ex quibus neque enthymema, neque ſyllogiſmus eſt de moralibus, & de his aliæ, ex quibus non erit de naturalibus, ſimiliterque id ſe habet in omnibus. Prima igitur differentia inter locos, & ſpecies, vel formas eſt; quod illi communiter omnibus rebus conueniunt: hæ ſunt propriæ quarundã rerum. Altera differẽtia eſt, quod quæ ex locis ducuntur argumenta, neminem reddunt in aliquo genere prudentem, & doctum: quæ vero ex formis, reddunt. ταῦτα δὲ, ὅσῳ τις ἂν βέλτιον ἐκλέγηται τὰς προτάσεις, λήσει ποιήσας ἄλλην ἐπιστήμην τῆς διαλεκτικῆς, καὶ ῥητορικῆς. Hæc vero quo quis meliora ſeligat ad propoſitiones conficiendas, clam efficiet diuerſam ſcientiam a Dialectica, & Rhetorica. Muretus delet illud, τὰς προτάσεις, & vertit; Atque hæc quo quis melius delegerit, latebit, aliam quandam artem efficiens a Dialectica, & Rhetorica. Tertia differentia eſt, quod illa ſunt plurima: hæc pauciora. καθάπερ οὖν καὶ ἐν τοῖς τοπικοῖς, καὶ ἐνταῦθα διαιρετέον, τῶν ἐνθυμημάτων τά τε εἴδη, καὶ τοὺς τόπους, ἐξ ὧν ληπτέον. Vt igitur etiam

in To-

in Topicis, ſic his in libris diſtinguendæ ſunt enthymematum & formæ, & loci. Hoc præceptum facit, vt probem correctionem Mureti. Non enim ſolum ex locis ducuntur oratoria enthymemata, verumetiam ex formis ſuis. Definit Ariſtoteles formas vel ſpecies, vniuſcuiuſque generis proprias propoſitiones. At locos, communes ſimiliter omnium. polliceturque ſe prius formas explicaturum, poſteaquam genera Rhetoricæ diſtinxerit.

IN CAPVT TERTIVM, *de tribus generibus orationum.*

EΞ *ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν.* Ex neceſſitate ſunt tria genera orationum oratoriarum, deliberatiuũ, iudiciale, demonſtratiuum. Muretus; Neceſſario tria ſunt genera ſermonũ oratoriorum, deliberatiuum, iudiciale, & id, quod ad oſtentationem cõparatum eſt. cap. 9. *ἡ μὲν αὔξησις ἐπιτηδειοτέρα τοῖς ἐπιδεικτικοῖς.* Amplificatio quidem epidicticis accommodatiſſima eſt. & lib. 2. cap. 18. *τὸ μὲν αὔξειν οἰκειότατον τοῖς ἐπιδεικτικοῖς.* Amplificatio quidem ad genus oſtentatiuum accõmodatiſſima. Itaque *τὸ γένος ἐπιδεικτικὸν* appellat modo ad oſtentationẽ comparatum, modo epidicticum, modo oſtentatiuum; & ma uult vel paraphraſim adhibere, vel græca voce vti, vel vocabulum nouum vſurpare, quam appellare demonſtratiuum, Ciceronis, vt arbitramur, auctoritati, Quinctiliani præferẽs auctoritatem, lib. 3. in hunc modum ſcribentis; Eſt vnum genus, quo laus & vituperatio continetur, ſed eſt appellatũ a parte meliore laudatiuum. Idem alij demonſtratiuum vocant. Vtrumq; nomen ex Græco creditur fluxiſſe. Nam & *ἐγκωμιαστικὸν*, & *ἐπιδεικτικὸν* dicunt. Sed mihi *ἐπιδεικτικὸν* non tam demõſtrationis vim habere, quam oſtentationis videtur, & multum ab illo *ἐγκωμιαστικῷ* differre. & paullo poſt; Vt cauſſarum quidem genera tria ſint, ſed ea tum in negociis, tum in oſtentatione poſita. Niſi forte non ex Græco mutuantes demonſtratiuũ vocãt. Verum id ſequũtur, quod laus, & vituperatio, quale ſit quid q; demonſtrat. Alterum eſt deliberatiuũ, tertiũ iudiciale. Hęc ille.

Iam quæritur, cur tria ſint genera cauſſarũ. Quinctilian. lib.

3. duas affert rationes his verbis; Mihi cuncta rimanti & tali quædam ratio ſuccurrit, quod omne oratoris officium aut in iudiciis eſt, aut extra iudicia. Eorum, de quibus iudicio quæritur, manifeſtum genus eſt. Ea, quæ ad iudicem non veniunt, aut præteritum habent tempus, aut futurum. Præterita laudamus, aut vituperamus. de futuris deliberamus. Item omnia, de quibus dicendum eſt, aut certa ſint, neceſſe eſt, aut dubia. Certa, vt cuique eſt animus, laudat, aut culpat. Ex dubiis partim nobis ipſis ad electionem ſunt libera; de his deliberatur: partim aliorum ſententiæ commiſſa; de his lite contenditur. Hæc ille.

Ex Ariſtotelis vero doctrina quattuor afferri rationes poſſunt.

Quarum prima eſt, quod tria ſunt genera auditorum. ergo tria genera orationum, quæ habētur ad auditores. Cum enim ex tribus conſtet oratio, tum ex eo, qui dicit, tum ex eo, de quo loquitur, tum ex eo, ad quē verba facit; auditor in primis ſpectandus eſt, ad quem finis Rhetoricæ refertur. Ac auditor quidem eſt aut diſceptator rerum futurarum, vt concio, & tūc genus eſt deliberatiuum: aut diſceptator rerum præteritarum, vt iudex, & tunc iudiciale: aut diſceptator, qui iudicat de facultate oratoris, & tunc demonſtratiuum. Idem tradit Cic. in partitionibus.

Altera eſt, quod tria ſunt munera oratoris. ergo tria orationum genera. Nam eius munus eſt poſitum partim in ſuaſione, aut diſſuaſione: ſemper enim tum qui priuatim deliberāt, tum qui publice concionantur, horum alterum faciunt. partim in accuſatione, aut defenſione: horum enim alterum eos, qui controuerſantur, facere neceſſe eſt. Addit Cicero lib. 1. de inuen. petitionem, & recuſationem: ſed hæ ad accuſationem, & defenſionem referuntur. partim in laude, aut vituperatione. Quæ omnia præſtantur in tribus generibus, deliberatiuo, iudiciali, demonſtratiuo.

Tertia eſt, quod tria ſunt tempora, de quibus agit orator. ergo eius orationes ſunt trium generum. Etenim modo tractat futurum, vt in deliberatiuo, nam de futuris deliberat aut ſuadens, aut diſſuadens. Modo præteritum, vt in iudiciali, nam de rebus factis vnus accuſat, alter defendit. Modo omne tempus,

pus,& in primis præſens,vt in demonſtratiuo.ex iis enim,quæ inſunt,omnes laudant,aut vituperant,aſſumuntq; etiam præterita,quæ in memoriam reuocant, & futura,quæ coniectant.

Quarta eſt,quod tres ſunt fines, quos propoſitos habet orator. ergo etiam eius orationes in tribus generibus verſantur. Ac vnum quidem finem ſpectat vtile,& pernicioſum,vt cũ deliberat. Etenim ſuadens vt melius ſuadet: diſſuadens,vt peius diſſuadet.alia autem ad hoc ſimul aſſumit,vel iuſtum,vel iniuſtum,vel honeſtum,vel turpe. Alterum vero finem,iuſtum, & iniuſtum, vt cum iudiciũ tractat. quidquid enim accuſat,tamquam iniuſtum accuſat, quidquid defendit, tamquam iuſtum defendit, cum alia ad hæc ſimul aſſumat. Tertium finem honeſtum, & turpe, vt cum laudat, & vituperat: præcipue enim hæc ipſa inſpicit,alia vero ad hæc refert.

Probantur huiuſmodi fines, quod is, qui ſemper attenditur in aliquo genere, eſt proprius eius generis.

At iuſtum ſemper attẽditur in iudiciali, vbi qui iudicio prouocatur, quandoq; de aliis non controuerſabitur,vt quod non fecerit,aut non nocuerit: ſed ſe iniuſte feciſſe nunquam confitebitur: nihil enim opus eſſet iudicio.

Et vtile ſemper in deliberatiuo, vbi qui deliberant, alia quidem ſæpenumero dimittunt: ſe vero inutilia deliberare, aut ab vtilibus diſſuadere,non confitebuntur: non eſſe autem iniuſtũ, finitimos in ſeruitutem redigere, & nullam iniuriam inferentes, ſæpe non cogitant.

Et honeſtum in demonſtratiuo, vbi, qui laudant, & qui vituperant,non conſiderant,vtiliane egerit,an pernicioſa,ſed in laude ſæpe ponunt, aliquem neglecto eo, quod ſibi prodeſſet, egiſſe aliquid honeſti, quemadmodum Achillem laudãt, quod adiuuerit ſodalem Patroclum, cum ſciret ſe mori oportere, & ipſi liceret viuere, cui eiuſmodi quidem mors honeſtior erat, ſed viuere vtile. Vbi obſeruanda eſt elocutio Ariſtotelis, quod Achilles adiuuit mortuum Patroclum,cædem eius vlciſcens.

Itaque apparet tales fines eſſe proprios generum,ſingulos ſingulorum. Vnus autẽ eſt proprius finis: alij vero poſſunt eſſe aſſumpti; vt, cum Cicero tribuat generi deliberatiuo vtile, & honeſtum, errare minime videatur, ſi vnum finem intelligit

proprium deliberationum, alterum vero aſſumptum. Amicus noſter non ſine ſuo errore vtrunq; eſſe proprium generis deliberatiui finem affirmat. Immo quodam in loco ſcribit, rem præcipuam, quæ in omnibus deliberationib. attendatur, eſſe honeſtatem. Præterea, cum hi ſint fines ratione rerum, quæ ab oratore pertractantur, alij fines a Cicerone conſtituuntur in Partitionibus ratione auditorum, nempe delectatio in exornatione: in iudicio aut ſæuitia, aut clementia iudicis: in ſuaſione autem aut ſpes, aut reformidatio deliberantis.

Ac formæ quidem, & propoſitiones propriæ vniuſcuiuſque generis dupliciter intelliguntur, partim, quæ probant propriũ finem, vt vtile, & pernicioſum in deliberatiuo, honeſtum, & turpe in demonſtratiuo, iuſtum, & iniuſtum in iudiciali: partim quæ cum ſint communes omnibus cauſſarum generibus, ſunt tamen magis propriæ vnius, quam alterius, vt de eo, quod fieri, vel non fieri poteſt, de facto, vel non facto, de futuro, vel non futuro, de magno, vel paruo; quas communiter omnibus generibus conuenire Ariſtoteles hoc in loco teſtatur: eſſe vero etiam proprias, & magis proprias vnius generis, quam alterius, aperit lib. 2. cap. 18. vbi cum tradidiſſet, huiuſmodi propoſitiones eſſe communes, addidit; Ex communibus autem amplificare demonſtratiuis aptiſſimum eſt: Factum vero iudicialibus; de his enim iudicium eſt: atque id, quod fieri poteſt, & futurum deliberatiuis. Et cap. 20. ſignificauit, eaſdem inter proprias enumerari poſſe, cum poſt ipſarum pertractationẽ ſcripſit; Reliquum eſt exponere fidem omnibus cõmunem, quoniam dictum eſt de propria.

Obiter hoc in loco duo placet perpendere, quæ nonnullam habere difficultatẽ videntur; primum, an omnia, quæ ad oratoris officium pertinent, ſub his tribus generib. contineantur: deinde quo in genere orationes eccleſiaſticæ verſentur, quas noſtrorum tẽporum concionatores habere in eccleſiis ſolent.

Ac Muretus quidem in commentario ſecundæ Catilinariæ Ciceronis, refellendi ſtudio inuectus eſt in veteres dicendi magiſtros; ac ſcripſit, illud conuenire nullo modo poſſe, vt & omnibus de rebus dicere ſit oratoris, & totum illius officiũ contineatur tribus cauſſarum generibus, demõſtratiuo, delibera-

tiuo,

330

tiuo,iudiciali. & paullo poſt in huncaddidit modum;Tu vero, qui oratorem Hippiam quendam παντοδαπὸν facis,quæro ex te, cum ille de corporũ cœleſtium motibus, de fulguribus,de terræmotibus diſputabit(quando hęc quoq; ad munus illius pertinere vis) in quo iſtorum trium generum eum verſari dices? neque enim tum laudabit,neque vituperabit: neque ſuadebit, neque diſſuadebit: neque accuſabit,neque defendet. Hæc ille. Nobis vero facilis videtur eſſe ad illum,atque expedita reſponſio, omnibus quidem de rebus dicere oratoris eſſe, ratione ſcilicet dicendi ad perſuadendũ appoſita, & ad cõmunem hominum intelligentiam accõmodata;ſed res omnes trib. cauſſarũ generibus non cõtineri:quod quęſtiones infinitę quandoq; ab oratore tractẽtur,quæ auctore Cicerone non ſunt cauſſæ: nomen enim cauſſarũ is tribuit in Partitionib. tantũmodo quæſtionib.definitis,id eſt,generi demonſtratiuo,deliberatiuo,iudiciali.Omnes autẽ res vel ipſe Ariſtot.dat oratori in definitione Rhetoricæ:& in munere oratorio nõ ſolũ quæſtionẽ agnoſcit definitã, ſed etiã infinitam, vt probauimus, cũ definitionẽ Rhetoricę explicaremus.Itaq; nõ ſunt cõfundẽdæ quęſtiones. Neq; dubitandũ eſt,ſub quo triũ generũ contineantur quęſtiones de corporum cœleſtiũ motibus,de fulgurib.de terræmotibus. Notiſſimũ enim eſt, de his quæri aut infinite,aut definite. Primo modo quęſtiones illas ſub nullo eſſe,quippe quę infinitæ ſint: ſecundo modo ſub aliquo, vt ſub deliberatiuo,cũ quis ex illis ſuadere voluerit aut bonũ aliquod ſperãdum, aut malũ metuendum, aut metum abiiciendũ, quod illa naturalia ſint, quemadmodũ narrat Quinctil.lib.primo,Periclẽ Athenienſes Solis obſcuratione territos, redditis eius rei cauſſis, metu liberauiſſe, & Sulpitiũ Gallum in exercitu L. Paulli de Lunæ defectione diſſeruiſſe,ne velut prodigio diuinitus facto militũ animi terrerentur: vel etiã ſub demõſtratiuo,cũ illa ad alicuius laudem,vel vituperationẽ trahuntur,quemadmodũ ſi quis Cęſarẽ volens vituperare,naturalẽ eſſe ſtellam illã crinitam oſtẽdiſſet, quã eo mortuo per ſeptẽ dies cõtinuos fulſiſſe,memorię proditum eſt, creditũq; eſt ab imperita multitudine animã eſſe eius in cœlũ recepti, vt ob id ſimulachro ipſius addita eſſe ſtella dicatur. Ad quæſtionem autem definitam,quæcunq; ab oratore

definite, & ſingulariter pertractantur, omnia referuntur, quæ tametſi aperte in ipſis generibus non ſunt: ſub ipſorum tamen cadere præcepta exiſtimantur. Quod Cicero, Quinctilianus, aliiq; docuerunt. Contra tamen ſenſit Muretus, qui multa eſſe profitetur, quæ in veteribus dicendi magiſtris admiretur, & non ſatis probet; cum tamen maiorem gloriæ ſuæ partem ex artis Rhetoricæ ſtudio vendicaſſe videatur. Verum ea ſemper fuit magnorum conſuetudo oratorum, vt artem ſuam nimis fortaſſe ſuſpectam occultarent. Qua in re ipſius artis Rhetoricæ peſſima videtur eſſe conditio, quod qui ab ea maxime adiuuantur, eas ſæpe gratias referunt, vt eam ſpernere, floccifacere, & maledictis inſectari videantur. Niſi forte dicamus, cum ipſa doceat, quomodo oratio in cõtrarias partes conuertatur, ipſam etiam cõtra ſe id muneris obire, vt verum eſſe, quod ipſa profitetur, magis appareat. Muretus igitur in hunc modum; Ego autem, ſiquis quærat ex me, quo in genere cauſſæ, aut controuerſiæ ſit ea oratio, qua quotannis olim eos, qui pro patria occubuerant, Athenis laudare mos erat, plane reſpondebo in nullo: nullà enim ibi neque cauſſa, neque controuerſia eſt, neque quidquam, de quo quiſquam controuerſetur. Et tamen è Platonis, Ariſtotelisq; doctrina vere dici poteſt, eſſe γένος ἐπιδεικτικὸν ῥητορικοῦ λόγου. & paullo poſt; Ac ne longius exempla repetamus, in Catilinam orationes, præter poſtremam, quæ ſane deliberatiua dicatur, ſub nullum ex illis tribus generibus includi queunt. Non ſub iudiciale: neque enim habentur in iudicio. Non ſub demonſtratiuum: nam in demonſtratiuo ſolà audientium voluptas quæritur; totumque illud genus ad pompam, & ad oſtentationem comparatur. Non ſub deliberatiuũ: in priore enim, vt videmus, nullà deliberatio eſt; quin id tãtum agebat Cicero, vt exiret Catilina, quo ipſe poſtea cum ſenatu deliberare de Rep. poſſet; neque enim præſente eo deliberare, aut decernere, vtile fuiſſet. Hac autem, itemq; tertia nihil aliud agit, niſi vt exponat populo ea, quæ geſta ſunt, eumque confirmet, ac bene ſperare iubeat. Hæc ille. Nos autem reſponderi poſſe arbitramur, orationem de iis, qui pro patria occubuerãt, fuiſſe demonſtratiuam, & cauſſam, ac controuerſiam, ſi nõ de re, at certe de qualitate, vel quantitate rei; cuiuſmodi contro-

uerſias

...uas in genere demonſtratiuo agnouit Ariſtoteles lib.3.cap. 16. vbi ſcripſit narrationem demonſtratiuam non ſolum conſtare ex iis, quæ atte carent, quod, qui dicit, actionũ auctor non ſit, ſed etiam ex iis, quæ artem habent; hoc autẽ eſſe, vt res aut eſſe demonſtretur, ſi fide careat, aut qualis ſit, aut quanta, aut etiã omnia. Quod attinet ad orationes Catilinarias, dicimus ex Ariſtotelis doctrina omnes ad genus referri deliberatiuũ; idque cognoſci ex auditoribus, ex partibus, ex tempore, ex fine, quæ quattuor in ſingulis generibus ſpectanda eſſe ipſe Ariſtoteles docet. Nã prioris orationis auditor eſt ſenatus, quemadmodum etiam poſtremæ: ſecundæ autem, & tertiæ concio; cuiuſmodi eſſe generis deliberatiui auditores conſueuerunt. Cum vero eius duæ partes ſint, adhortatio & dehortatio, in prima Cicero hortatur, & quodammodo impellit, & exagitat Catilinã, vt ex vrbe exeat, quippe qui patefactis conſiliis ſuis nihil efficere amplius queat. Eſſe autem eam hortationem quandã, vel ipſe affirmat, cum ait; Sin tu, quod te iamdudum hortor, exieris, exhaurietur ex vrbe tuorum comitum magna, & pernicioſa ſentina Reip. In ſecunda, atque in tertia, per narrationem eorum, quæ geſta ſunt, hortatur populum, vt in tanto periculo domos ſuas cuſtodiis, vigiliisque defendant. In quarta, de qua ne ipſe quidem dubitat Muretus, patres hortatur, vt fortiter, atque animoſe decernant. Præterea in omnibus de re futura ſine dubio agitur, quod tempus eſt generi deliberatiuo accommodatum. Et in omnibus vtile, ac pernicioſum ſpectatur, vt illud in tanto periculo procuretur, hoc vitetur, qui finis eſt proprius generis deliberatiui. Cum igitur omnes orationũ deliberatiuarum proprietates Catilinariis congruant, non eſſe dubitandum videtur, quin deliberatiuæ ſint, vel ad genus deliberatiuum referri debeant, etiamſi huic luci tenebras offundere vir diſertiſſimus lumine ingenij ſui conatus ſit.

Eccleſiaſticas autem orationes quidã putant eſſe modo demõſtratiuas, modo iudiciales, modo deliberatiuas; idq; etiam præcipiunt in Rhetorica Eccleſiaſtica. Nos vero eſſe tantum deliberatiuas exiſtimamus. Nunquam iudiciales: quia tales in eccleſiis, & ſuggeſtis non exercentur. Raro demonſtratiuas, immo nunquam proprie tales, ſed quandoq; aſſumptas ad co-

hortandum, quod eſt munus generis deliberatiui. Nam, genera orationum diſtinguantur ex generibus auditorum, & ſit genus συμβουλευτικὸν, cum auditor eſt ἐκκλησιαστής, qui aliquid de rebus futuris decernit: huiuſmodi orationum auditor ſemper eſt concio, quæ de vita futura deliberat. Itaq; ipſæ ſemper in deliberatiuo verſantur. Accedit, quod partes generis deliberatiui ſunt προτροπὴ, καὶ ἀποτροπή: totum autem concionandi munus in hortationib. poſitum eſt, ſcribente Di. Paullo: Pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Sic ſemper res ſpectatur futura, nempe melior vita: quod tempus deliberationibus accommodatum eſt. Et ſuadetur vtile, nempe id, quod confert ad vitam æternam; quē conſtat eſſe proprium finem eiuſdem generis, quod non ſolum vocatur συμβουλευτικὸν, & deliberatiuum, verumetiam ἀπὸ τοῦ ἐκκλησιαστοῦ, ἢ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, id eſt, a concione, ἐκκλησιαστικὸν, & concionale, quod eſt idem, ac δημηγορικὸν, id eſt, populare. Quare Ariſtoteles in procemio, ſignificās genus deliberatiuum dicebat, περὶ τὰ δημηγορικὰ, & τὴν δημηγορικὴν πραγματείαν, id eſt, ἐκκλησιαστικὰ, & ἐκκλησιαστικήν. Neque obſtat, quod in his orationibus ſæpenumero laus, & vituperatio, vel accuſatio, & defenſio adhibeantur. Nam illa omnia non ſunt ipſarum propria, ſed aſſumpta; &, cum quæritur, in quo genere ſit aliqua oratio, eius attenditur finis, & non ea, quæ ad talem finem aſſumpta ſint. Sæpe enim fit, vt vnum genus aſſumatur ad alterum pertractandum, vt aperte docuit Ariſtoteles. Exempli gratia in oratione pro lege Manilia vult probare Cicero, bello Mithridatico Pompeium eſſe præficiendum, & ad confirmandam hanc concluſionē deliberatiuam, aſſumit probationem demonſtratiuam, quod in Pompeio ſumma inſint omnia, quæ in ſummo Imperatore ineſſe oportet. Si igitur cōcionatores aliquando ſanctos collaudant viros, id efficiunt, vt populos ad eorum excitent imitationem, ita vt inſpecto fine huiuſmodi orationes eſſe deliberatiuæ videantur. Et funebres pertinent magis ad oratorem alium, quam ad cōcionatorem. Sic, ſi qui a religioſis viris interdum accuſantur, vel defenduntur, id fit aut κατὰ συμβεβηκὸς in concionibus, aut magis in foro, quam in eccleſiis, vt id pertinere ad alios oratores, & non ad con-

ad concionatores videatur. Iam, cum Rhetorica Eccleſiaſtica noſtro quidem iudicio ſit eadem, ac deliberatiua, ſine dubio ea, quæ de hoc genere perſcripta ſunt, ad noſtrorum temporum trahi conciones queunt, &, quod attinet ad artis conformationem, tam perfecta ſunt, vt eis vix aliquid addi poſſit. Quamobrem Concionatores nec aliorum Rhetoricas Eccleſiaſticas debent contemnere, quæ præſertim a præceptis Ariſtotelis prorſus alienæ non ſint: nec parũ adiuuabuntur in ſuis concionibus ex arte formandis, ſi ad omnium Philoſophorũ, & Rhetorum coryphæum confugerint Ariſtotelem.

Qui proponit, ſe ſeparatim eſſe explicaturum,
De quibus deliberatio ſit:
& de quibus demonſtratiuæ orationes:
& de quibus iudicia.

IN CAPVT QVARTVM, *de quibus ſit deliberatio.*

Lib.3. Ethicorum, cap.3. deliberatio definitur, vt ſit quæſtio, cuius vltimum in reſolutione debet eſſe primum in generatione, in iis, quæ fieri poſſunt a nobis, vel ab amicis noſtris, qua quæritur, per quæ, & quomodo finis nobis propoſitus obtineri queat. Ratio igitur deliberandi poſtulat, vt vnum ſupponatur, nempe finis, de quo non deliberatur, ſed tantum de iis, quæ ad finem referuntur: duo vero quærantur, ſcilicet per quæ, & quomodo agendum ſit.

In genere autẽ deliberatiuo duo ſunt cognoſcenda, De quibus ſit deliberatio, Ex quibus ſit. Nam eſt de iis, quæ fieri a nobis poſſunt, ac potiſſimum de quinque, hoc eſt, de parandis pecuniis, de bello, & pace, de cuſtodia regionis, de iis, quæ importantur, & exportantur, de legum latione. Præterea eſt ex quinque, tum ex iis, quæ pertinent ad felicitatem, vel ad partem aliquam felicitatis, tum ex propoſitionibus bonorum confeſſorum, tum ex propoſitionibus bonorum controuerſorũ, tum ex propoſitionibus bonorum comparatorum, tum ex iis, quæ referuntur ad finem Reip. Quæ omnia qualia ſint, videndũ eſt.

Περὶ ποῖα ἀγαθὰ, ἢ κακὰ ὁ συμβουλεύων συμβουλεύει. Cuiuſmodi

in bonis, aut malis is, qui deliberat, verſetur. Sigonius vertit, Quibus de bonis, aut malis ſuaſor ſuadeat. At Ariſtoteles non ſolum ſignificat eum, qui ſuadet, ſed etiã eum, qui diſſuadet; vt maluerimus conuertere, Qui deliberat; etiamſi cauſſa deliberatiua apud Quinctilianum ſuaſoria, & apud Ciceronem ſuaſio appelletur, a præcipua ſcilicet parte, quemadmodũ demonſtratiua quoque dicitur exornatio. Quęritur autem, de quibus aut non ſit, aut ſit deliberatio. Nam omnia aut ſunt cõtingentia, aut neceſſaria. Et ſub neceſſariis ea comprehenduntur, quę fieri non poſſunt. Quod enim neceſſe eſt, vt ſit, fieri nõ poteſt, quin ſit. Et quod fieri non poteſt, neceſſe eſt, vt non ſit. Neceſſaria lib. 3. Eth. cap. 3. dicuntur eſſe æterna, vt Mundus, & Deus, & quæ ſemper eadem ſunt, vt ſiccitates, & ortus. Eorum, quæ fieri non poſſunt, exemplum affertur diameter, & latus, quæ ſymmetra eſſe non queunt. Iam de neceſſariis, ſeu impoſſibilibus non deliberatur, ſed de contingentibus. prætereà contingentia partim ſunt naturalia, vt ſiccitates, & imbres: partim fortuita, vt theſauri inuentio: partim humana, vt Reipub. gubernatio. Et deliberatio non eſt de naturalibus, nec de fortuitis, ſed de humanis. Poſtremo humana aut non ſunt in noſtra poteſtate, vt quomodo Scythæ Rempublicam adminiſtrare queant: aut in noſtra poteſtate, vt an militare debeamus, an præclara ſequi litterarum ſtudia. Non de illis, ſed de his eſt deliberatio. Eiuſmodi enim, inquit Ariſtoteles, ſunt, quę referri ad nos poſſunt, & quorum principium vt oriantur, pendet a nobis. Nam vſque eo conſiderando progredimur, donec inueniamus, ea ne agere ipſi poſſimus Atque hæc omnia referuntur ad quattuor rerum cauſſas, quas eodem Ethicorum loco philoſophus commemorat, neceſſitatem, naturam, fortunam, mentem hominis.

Quæritur vero, an ſingula, de quibus poteſt eſſe deliberatio, ſint in Rhetorica diligenter enumeranda, & in ſuas ſpecies diſtribuenda, ac, quantum fieri poteſt, ex veritate explicanda. Reſpondet philoſophus id efficiendum non eſſe, duas ob cauſſas; primum quia id non eſt Rhetoricæ artis, ſed prudentioris, ac verioris, nempe eius philoſophiæ, quæ in agendo verſatur: deinde quia Rhetorica debet eſſe contẽta illis, quæ ipſi data ſunt, pluri-

pluribus ſane, quam eius poſtulare contemplationes videbantur, tunc cum dictum eſt, Rhetoricam eſſe agnatum quiddam Dialecticæ, & Politicæ, & hoc modo conflatam eſſe tum ex Analytica ſcientia, id eſt diſſerendi facultate propter argumentationes, tum ex Politica propter mores, & affectus; Similem vero eſſe partim Dialecticæ, quæ videt ſyllogiſmum, partim ſophiſticis diſputationibus, quæ eum, qui apparet, ſyllogiſmũ vſurpant. Traditum enim eſt, Dialecticum quidem eſſe ex potentia, qui vti falſis argumentationibus poteſt, ſed non vtitur; & Sophiſticum ex prælectione, qui præligit quoq; vſum falſarum argumentationum: oratorem vero ſimul ex potentia, & prælectione, cuius nimirum ars videt tum appoſitum ad perſuadendum, tum quod videtur appoſitum.

Cum autem duplex ſit conſiderandi, & tractandi modus, vnus exactior, qui conuenit ſcientiis, alter minus exactus, ſed quantum ſatis eſſe poſſit ad propoſitum finem: primus nō conuenit Rhetoricæ, nec Dialecticæ, quæ non ſunt ſcientiæ. Nam profecto quæ ſunt ſcientiæ, habent determinatas quaſdā res, circa quas verſantur: Dialectica vero, & Rhetorica nullam ſubiectarum rerum determinationem habent, ſed ſunt de rebus omnibus: ergo non ſunt ſcientiæ, ſed tantum facultates, & potentiæ parandarum rationum ad quamlibet quæſtionem pertractandam. Quamobrem, inquit Ariſtoteles, ſi quis vel Dialecticam, vel hanc, non tamquam facultates, ſed ſcientias conatus fuerit inſtruere, latenter naturam ipſarum demolietur, eo quod cōcinnans tranſeat in ſcientias ſubiectarum quarundam rerum, non autem ſolummodo rationum.

Iam, cum de rebus illis, quæ ſub conſultationē cadunt, duobus agi modis poſſit, aut exacte, aut ad perſuaſionem accōmodate; primus modus Politicæ relinquitur: alter in Rhetorica retinetur. Verumtamen, inquit philoſophus, quæcunq; melius eſt, vt explicētur, ac præterea ſcientiæ Politicæ meditationem relinquunt, nunc etiam dicamus.

Quinq; vero enumerātur maxima & præcipua, de quib. illi, qui deliberāt, cōcionantur. Primũ ęſt de apparationib. pecuniarũ: alterũ de bello, & pace: tertiũ de cuſtodia regionis: quartũ de iis, quę importātur, & exportant: quinctũ de legũlatione.

Ὥστε περὶ μὲν πόρων τὸν μέλλοντα συμβουλεύειν, δέοι ἂν τὰς προσόδους τῆς πόλεως εἰδέναι. De apparationibus pecuniarum qui deliberaturus fuerit, eum oportebit reditus ciuitatis ſcire. paullo poſt, *ἔτι δὲ τὰς δαπάνας τῆς πόλεως ἁπάσας*. Præterea vero ſumptus ciuitatis omnes. *περὶ πόρων*, Maioragius, Muretus, alij vertunt, De vectigalibus. At videtur ſignificare Ariſtoteles vias, & modos parandarum pecuniarum, ad quos duplex pertinet inſpectio, tum redituum, id eſt, tributorum, & vectigalium, tum ſumptuum. Additur, duas eſſe rationes bonarum de parandis pecuniis conſultationum, tum rerum priuatarum experientiam, tum hiſtoriarum notitiam. De reditibus ciuitatis duplex habenda eſt cogitatio; primum, vt ſi quis deſit, adiungatur: deinde, vt ſi quis minor ſit, augeatur. Ac reditus quidem publici partim ſunt ordinarij, vt *φόροι, καὶ τέλη*, Tributa, & Vectigalia: partim extraordinarij, vt *εἰσφοραὶ, καὶ τιμήματα*, contributiones extra ordinem indictæ, & condemnationum pecuniæ. Tributum, inquit Varro, erat pecunia populo imperata, quæ tributim a ſingulis pro portione cenſus exigebatur. Tributa vero poſt bellum cum Xerxe geſtum Athenienſes ſociis ciuitatibus indixerunt, auctore Ariſtide, atque ex iis quadringenta ſexaginta talenta collegerunt, quæ poſtea Pericles, & Alcibiades vſq; ad mille auxerunt. Apud Romanos autem an. Vr. 349. tributum cœptum eſt conferri quotannis ex cenſu in ſtipendium militare: ac deſitũ imperari, & exigi ob victoriam L. Paulli Macedonicam poſt an. Vr. 586. Qua de re ſic ſcribit Cicero de officiis; Omni Macedonum gaza, quę fuit maxima, potitus eſt Paullus. Tantum in ærarium pecuniæ inuexit, vt vnius Imperatoris præda finem attulerit tributorum. Vectigal, inquit Varro, erat ea pecunia, quæ vel portus, vel venditionis, vel omnino circumuectionis nomine exigebatur. Sed, vt mittamus varia Athenienſiũ vectigalia, qui etiam a meretricib. vectigal exigebant, quod ab Æſchine in oratione contra Timarchum *πορνικὸν τέλος* vocatur; inuenimus Romanos habuiſſe quinq; vectigalia, tum portoria, quæ portitoribus pendebantur: tum decumas frumenti: tum ſcripturã ex ſyluis, & paſcuis publicis: tum ſalis vectigal, a Cẽſoribus Nerone, & Salinatore ex ſalaria annona bello Punico ſecundo inſtitutũ: tum viceſimam,

qua

334

qua libertini tantum aſtringebantur. Scribit Thucydides, in bello Peloponneſiaco, cum Mitylenæ ab Athenienſib. obſiderentur, exhauſto ærario, contributiones extra ordinē indictas eſſe. Narrat Feſtus, apud Romanos fuiſſe Tributū temerariū, cum re cogente omnes, quidquid auri, atq; argenti habuerūt, ſine diſcrimine in ærariū contulerunt, vt poſt Vrbē a Gallis captam, & bello Punico ſecundo; cuius Tributi ea vis fuit, vt cōfecto bello, & ærario locupletato, ſuæ cuiq; pecuniæ redderētur. Condemnationū autē pecuniæ erant illæ, quæ a ciuibus, aut a ceteris iudicialis mulctæ nomine exigebantur. De ſumptibus quoq; duplex ſuſcipienda eſt cogitatio; Primū, vt ſi qui ſint ſuperuacanei, tollantur: deinde, vt ſi qui maiores ſint, minuātur. Non enim ſolū, inquit Philoſophus, ad ea, quæ habent, adiungendo, ditiores fiunt: ſed etiā de ſumptib. detrahendo. Et ad bonas hac de re conſultationes multū ſane valet priuatarū rerum experiētia, de qua multa ſcribit Ariſt. lib. 1. Politicorū cap. 7. vbi tradit, Chrematiſticā, & Pecuniariam, ac parandarū pecuniarū facultatem eſſe duplicē; alteram, quæ quęrit pecunias ex rebus naturalibus, vt fructib. equorū, boum, pecorū, aliorumq; animalium; & fructibus agrorū tum nudorū, tum conſitorū; ac fructibus apum, aliarumq; animantiū aut aquatilium, aut volatilium: alterā, quæ in cōmutatione conſiſtit, vt Mercaturam, vt fœnerationē, vt operę locationē, ſeu operam mercenariam. Addit tertiā quandam pecuniæ quærendæ rationem, interiectam inter hanc, & primā, partim natura, partim permutatione conſtantem, quæ pecuniā e terra, atq; ex iis, quæ terra nata ſunt, quærit, fructu carentibus quidem illis, ſed tamen vtilibus, qualis eſt materiæ exactio, & ars omnis, quæ ad metallorum pertinet effoſſionem. Et cōmemorat factū Thaletis, qui emit πάντα ἐλαιουργεῖα, vt conuertit Petrus Victorius, omnia torcularia, vt Dionyſius Lābinus, omnia olei conficiendi loca, vt ait Cic. lib. 1. de diuinatione, omnē oleā, antequā florere cœpiſſet in agro Mileſio; & factū illius, qui in Sicilia omne ferrū emit; quorum vterq; excogitauit, quomodo ſolus vendendi poteſtatem haberet; idq; cognoſcęre, ciuitatū rectorib. valde eſſe vtile affirmat. Non ſolum autem ex rerum priuatarum experientia licet perſpicere ea, quę pertinent ad bonam de apparationibus

pecuniarum conſultatiônem: ſed neceſſarium eſt etiam, eorũ, quæ alij inuenerunt, hiſtoricum eſſe, id eſt, varias vias, & modos parandarum pecuniarum ex hiſtoria cognoſcere; cuiuſmodi ſunt multa, quæ leguntur lib.2. Oeconomicorum.

Bellum, vel pacem ſuaſuro, vel diſſuaſuro quattuor traduntur percipienda. Primum facultas ciuitatis, quanta, & qualis ſit ea, quæ habeatur, & quæ haberi poſſit. Deinde bella propriꝗ ciuitatis, & finitimorum, vel eorum, quibuscum bellare glorioſum eſt, vt cum potẽtioribus quidem pax exerceatur, cum minoribus vero bellare in arbitrio ſit. Tertio loco facultates vtrum ſimiles, an diſſimiles ſint. Qua in re poſitũ eſt quoque, vt plus poſſideamus, aut inferiores ſimus. Poſtremo etiam bella aliena, vt ex ſimilibus ſimilia colligamus, & ex aliorum rebus geſtis coniecturam de noſtris faciamus.

Quod attinet ad facultatem ciuitatis, Cicero in Philippicis argumentatur a quantitate, & qualitate copiarum Romanarum, dum hortatur ſenatum ad bellum ſuſcipiendum contra Antonium, quod illæ ſatis magnæ, & ſatis firmæ ſint. Ad potentiam autem ciuitatis in primis pertinent quinque, vt colligitur ex lib.2.cap.5.de metu, & fidentia; Primum multitudo pecuniarum, ſine quibus auctore Demoſthene in prima Olynthiaca nihil fieri poteſt eorum, quæ vtilia, ac decora ſint: quas appellauit Cicero neruos Reip. quæ denique vincunt omnia. Quare Philippus Macedonum Rex dicere ſolebat, nullàm arcem eſſe tam munitã, quæ expugnari facile non poſſet, ſi modo aſellus onuſtus auro in eam ingrederetur. Deinde robur corporum, quod valde laudatum eſt in Germanis atque Romanis. Cæſar lib.1.de bello Gallico in occupatione Veſontionis oppidi Sequanorum inter quattuor præcipuas laudes Germanorum cõmemorat primam a corporibus ductam ad hũc modum; Ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute, atque exercitatione in armis eſſe prædicabant; ſæpenumero ſeſe cum his congreſſos, ne vultum quidem, atque aciem oculorum dicebant ferre potuiſſe. Pyrrhus Epirotarum Rex cum corpora robuſta Romanorum aduerſis tantum vulneribus proſtrata vidiſſet, exclamauit, ſi haberet tales milites, ſe totum terrarum orbem facile eſſe ſubacturum. Cato quoq; in ptin-

 335

in principio librorum de re ruſtica ſignificat robur corporum in ruſticis, cum ait; Ex agricolis & viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur. In quem ſenſum nomē ruſticorum in laude ponitur apud Ciceronem pro Archia; Noſtri illi fortes viri, ſed ruſtici, ac milites. Tertio loco firmitas regionis, quā muniunt muri non ſolum lapidei, ſed etiam quandoque lignei, id eſt, Triremes, & naues, vt Themiſtocles oraculum Apollinis interpretatus eſt dicentis, muris ligneis aduerſus Xerxē Athenienſibus opus eſſe. Præterea militia pedeſtris, equeſtris, naualis. Quarto loco firmitas amicorum, a qua argumentabatur Demoſthenes in oratione ad epiſtolam Philippi, oſtendens magnam eſſe potētiam Athenienſium contra Philippum a firmitate amicorum, Perinthiorum, Byzantiorum, Theſſalorū, Aſianorū ſatraparum, Xerxis. Poſtremo firmitas inſtrumentorum militarium, & tormentorum bellicorum, vel omnium, vel maximorum, in quibus nunc ſunt præcipua illa, quę appellantur Arcus vacui, & Bombardæ, quorum inuētione gloriantur Germani, ad necādos ſtatim homines, & demolienda mœnia pila ex illis emiſſa vi ignitæ pulueris impellentis. Quod attinet ad bella propriæ ciuitatis, & eorum, quibuscum bellare glorioſum ſit; argumentatur Cicero a bellis propriæ ciuitatis pro lege Manilia; Si propter ſocios nulla ipſi iniuria laceſſiti maiores noſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cū Pœnis bella geſſerunt; quāto vos ſtudio conuenit iniuriis prouocatos ſociorum ſalutem vna cum imperij veſtri dignitate defendere? Tradit idem Cicero lib. 1. officiorum, quemadmodum ſunt duo genera eorum, qui ciuiliter contēdunt, inimici, quibuscum eſt certamē capitis, & famæ, ac competitores, quibuscum eſt certamen honoris, & dignitatis: ſic duo eſſe genera hoſtium; nam cum quibuſdam decertari, vt cum inimicis, vtra pars ſit, non vtra imperet, quale certamen fuit Romanis cum Celtiberis, & Cimbris; cum aliis, vt cum competitoribus, vtra pars imperet, non vtra pars ſit, quale fuit eiſdem cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho. Quod attinet ad ſimilitudinem, vel diſſimilitudinem copiarum, hoc quoq; plurimum valet ad intelligēdum, an ſuperiores, vel inferiores eſſe poſſimus. Argumentatur Cicero a diſſimilitudine potentiæ in

4. Philippica ad hunc modũ; Eſt igitur, Quirites, populo Rom. victori omnium gentium omne certamen cum percuſſore; cum latrone, cum Spartaco. Nam quod ſe ſimilem Catilinæ gloriari ſolet, ſcelere pareſt illi; induſtria inferior. ille cũ exercitum nullum habuiſſet, repente cõflauit: hic eum exercitum, quem accepit, amiſit. Quod attinet ad cognitionẽ alienorum bellorum, hæc petenda eſt ex hiſtoria. Plato in Timæo, vbi ſermones refert Ægyptij cuiuſdam ſacerdotis cum Solone habitos de omni antiquitate, illum in huiuſmodi verba prorumpentem inducit; O Solon, Solon, vos Græci ſemper pueri eſtis, nec quiſquã eſt ex Græcia ſenex: propterea quod iuuenis ſemper vobis eſt animus, in quo nulla ineſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla cana ſcientia. In eandem ſententiam ſcribit Cicero in oratore ad Brutum; Neſcire, quid, antequam natus ſis, acciderit, nihil ſignificare aliud, quã ſemper puerum eſſe. Cum igitur hiſtoria omnibus ſit vtiliſſima, prodeſt tamen præcipue ad conſultandum, vt conſultationes quoque de bello, & pace valde iuuare queat, ſimilia ſubminiſtrans, ex quibus de ſimilibus fiat coniectura.

De cuſtodia regionis præcipitur quattuor nota eſſe oportere: primo loco modum cuſtodiendi, an copiis pedeſtribus, an equeſtribus, an triremibus, an propugnaculis: ſecundo loco multitudinem cuſtodum, vt ſciatur, quot pedites poſſint eſſe ſatis, quot equites, quot triremes, quot propugnacula: tertio loco τὸ εἶδος. Victorius intelligit τὸ εἶδος τῆς φυλακῆς, & conuertit genus cuſtodum, id eſt, vt ipſe interpretatur, quæ copiæ huic rei neceſſariæ ſint, equeſtresne, an pedeſtres. Similiter Maioragius vertit, quales copiæ ſint neceſſariæ, & explicat, vtrum pedites, an equites. Nos intelligimus τὸ εἶδος τῶν φυλακτηρίων, formam præſidiorum, vt qua forma debeant eſſe propugnacula ratione ſitus, oblongane, an breuia; alta, an humilia; rotunda, an quadrata, vel triangularia. ſic quoque arces, ſic caſtella, ſic caſtra, quę nomine φυλακτηρίων intelligi queunt. Poſtremo loca præſidiorum: non enim omnia loca indigẽt præſidiis, ſed quædam, quæ maius periculum habere exiſtimãtur. Additur harum rerũ cognitionem haberi non poſſe ab eo, qui non ſit peritus regionis: quæ peritia requirit, vt tota regio &

corpore,

.orpore,& animo perluſtretur per peregrinationem,& per ra-ionem Coſmographiæ,cuius quattuor præcipuæ partes commemorantur,Vranographia,Anemographia,Hydrographia, Geographia. Illud hac præceptione conficitur, triplicem hac de re habendã eſſe cogitationem, primũ,vt ſi qua cuſtodia minor ſit,augeatur:deinde,vt ſi qua ſuperuacanea ſit,tollatur:poſtremo,vt opportuna loca magis ſeruẽtur.parum autẽ opportuna ſunt loca nimis longinqua,quæ ſeruari difficulter poſsũt. Quare T. Flamininus Achæis petentibus, vt poſt victum Philippum in Macedonia ſibi Zacynthus traderetur,dixit illã non eſſe ipſis accõmodatam,vt ab ipſorũ finib.ſeiunctam.Longinquitatem vero locorum valde incõmmodam eſſe experti ſunt quoq; proximis ſuperioribus annis Veneti, nobiliſſima inſula Cypro ſibi a Turcis prærepta.Philoſophus libri ſeptimi Politicorum capite quincto, & ſexto declarat, in qua parte regionis ſit vrbs condenda: & capite vndecimo, an deceat habere muros, & propugnacula.

De re cibaria quatuor ſunt cognoſcẽda. primũ *πόση δαπάνη ἱκανὴ τῇ πόλει*,quantus ſumptus ſit ſatis ciuitati. Victorius;quot alimenta neceſſaria ſunt ciuitati,'vt *δαπάνη* hoc in loco valeat alimentum. deinde quid habeatur tum natiuũ, tum aſcitum. præterea quæ res ſint exportandæ. poſtremo, quæ res ſint importandæ. Vt cum eis, qui ad has res ſunt vtiles (nam poſt illa verba *περὶ τούτους* ſubintelligo illa inferiora, *εἰς ταῦτα χρησίμους*) fiant conuentiones, *καὶ συμβολαὶ*, & contractus. Notat Victorius dictum quoque fuiſſe eadem de re lib. 3. Politicorũ *σύμβολα* in genere neutro;quemadmodum apud Terentium in alia ſignificatione;Symbolum dedit,cœnauit.Quamquam habeo librum ſatis antiquum, vbi legitur muliebri genere; Symbolã dedit. Apud duo, inquit Ariſtoteles, hominũ genera neceſſariũ eſt cuſtodire ciues culpa carẽtes,tũ apud potẽtiores, tũ apud eos,qui ad has res vtiles ſunt. Hoc vltimũ genus explicat Maioragius,qui res ad victũ neceſſarias in ciuitatẽ aduehũt, aut mittunt,aut aduehi cõcedunt,quales ſunt mercatores, fœderatæ gẽtes,aut ſtipendiariæ.puto eũ decipi de mercatoribus. Nã Ariſtoteles videtur tantũ reſpicere eos populos, easq; gentes, & nationes,a quibus ciuitas rem cibariam accipere queat,

Res autem cibaria eſt vna de ſex rebus neceſſariis in ciuitat., quæ commemorantur lib.7.Politicorum cap.8.Et genera parandi victus ex rebus naturalibus enumerantur tria lib.1.cap.5. Et ibidem oſtenditur facultas parandorum ciborum eſſe naturalis.

Atque hęc quidem omnia tradit Philoſophus perſpiciend eſſe, vt ciuitas incolumis, tutaque conſeruetur: ſed non minimum eſſe,vt legum ferendarum ratió teneatur; quæ quattuor rerum requirit cognitionem. Primum enim ſciēdum eſt,quot ſint ſpecies Rerump. Cum enim leges referantur ad ſalutem Reip. cognoſcēda eſt natura eius Reip. in qua leges ſunt ferendæ; idque per diſtinctionem eius ab aliis Rebusp. Satis autem eſt tritum, & peruulgatum illud, quod traditum eſt lib.3. Politicorum,cap.5. aut gubernari Remp.ad vtilitatem ſubditorum, & eſſe rectam: aut ad vtilitatem imperantium, & eſſe prauam. Et rectam quidē aut ab vno adminiſtrari,& eſſe Regnum: aut a paucis, & eſſe Ariſtocratiam, ac optimatum dominatum:aut a multis,& eſſe Politiam,& ciuilem poteſtatem; quæ lib.8.Ethicorum,cap.10. dicitur Timocratia,& cenſuum poteſtas. Prauam vero eſſe aut Tyrannidem: aut Oligarchiā, & paucorum factionem:aut Democratiam,& popularem dominatum. In eodem loco Ethicorum legitur,ſex Rebusp.eſſe ſimiles ſex ſocietates in familiis; vnam patris,& filiorum,quæ eſt ſimilis Regno:alteram domini,& ſeruorum,quæ Tyrannidi: tertiam boni mariti, & vxoris,quæ Ariſtocratiæ: quartam mali mariti,& vxoris,quæ Oligarchiæ:quinctam fratrum,quę Timocratiæ: ſextam eorum,qui ſimul habitant ſine domino, vel cum imbecilli domino, quæ Democratiæ. Deinde eſt cognoſcendum, quæ vnicuique Reip. proſint. Etenim proſunt ea,quæ ad finem referuntur. Nam in Regno,& Tyrannide eſt finis cuſtodia,vel ad vtilitatem ſubditorum, vel ad commoditatem imperantis relata. In Ariſtocratia legum diſciplina. In Oligarchia diuitiæ. In Politia,& Democratia libertas. De quibus finib. in huius libri cap.8.peragetur. Tertio loco nō ignorandum, a quibus Reſp.naturam habeant, vt corrumpantur, tum propriis ciuitatis, tum contrariis. Duo enim ſunt modi corrumpendarum Rerump. vt legitur etiam lib.5. cap.1. Vnus

a con-

a contrariis, cum ex vna Rep. fit altera eius contraria, vt ex Democratia Oligarchia, vel contra: ex Democratia Politia, vel contra: ex Oligarchia Ariſtocratia, vel contra. Alter a propriis, cum retinetur eadem forma Reip. & tamẽ aliquo modo corrumpitur. Dicit Ariſtoteles ceteras omnes Reſp. poſſe corrumpi a propriis præter optimam Rempub. corruptioni minime ſubiectam, ſcilicet Monarchiam, & Regnũ ad ipſius normam formatum, in libro tertio Politicorum. Quem vnius dominatum doctiſſimi homines laudarunt, propterea quod quemadmodum vnus Mundus eſt, & vnus Deus, ſic vnus quoque debet eſſe princeps. Qua de re ita cecinit Homer. lib. 2. Iliadis, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Et apud Herodotũ lib. 3. Darius, cum ageretur poſt mortuũ Cambyſem filiũ Cyri de Rep. conſtituenda, Monarchiã ceteris prętulit Rebusp. quod vnius viri, qui optimus ſit imperio, nihil eſſe melius conſtet. Tres autem fiunt corruptiones à propriis, vt traditur eiuſdem libri quincti capite eodem; prima, cum mutãtur Rectores, vt in Oligarchia, & Tyrannide: altera, cum magiſtratus nouus cõſtituitur, vel vetus deletur, quemadmodum cum Theopompus in Rep. Lacedæmoniorum Ephoros Regibus oppoſuit; Pauſanias vero euertere Ephoratum voluit; & Cleomenes euertit: tertia, cùm ſit intenſio, vel remiſſio, vt in Oligarchia, ſi nimis pauci dominentur, vel non tam pauci, & in Democratia ſi nimis multi imperent, vel non tam multi. Democratia, inquit Ariſtoteles, non ſolum ſi remittatur, debilior fit, vt tandẽ ad Oligarchiam peruentura eſſe videatur: ſed etiam ſi intẽdatur nimis; vt & grypitas, & ſimitas non ſolum ſi remittantur, perueniunt ad medium, ſed etiam, ſi fiant nimis grypa, vel ſima, ita rem diſponunt, vt ne nares quidem eſſe videantur. Grypitas autem eſt deformitas naſi, qui media ſui parte quaſi gibberus eſt, & gibbus quidam naſi. Simitas vero eſt nimia eius depreſſio. Quarto loco intelligendum, quis Reip. ſtatus profuerit, non ſolum noſtræ ciuitati, ſed etiam aliis. ὥστε δῆλον, ὅτι πρὸς μὲν τὴν νομοθεσίαν αἱ τῆς γῆς περίοδοι χρήσιμοι. Quare manifeſtũ eſt ad legumlationes terræ peregrinationes vtiles eſſe. Obſeruauit Victorius, τὰς τῆς γῆς περιόδους fuiſſe commentarios, in quibus & picturæ vrbium, locorumq; deſcriptæ forent:

& incolarum etiam leges, moreſque explicati. Quare poſtea περιφερεζόμενος conuertit ſic; Quapropter perſpicuum eſt, ad leges ferendas vtiles eſſe libros de ſitu orbis terrarum, moribusque. Et Muretus ſecutus Victorium ita; Conſtat itaque ad leges quidem ferendas vtiles eſſe eos libros, quibus terrarum ſitus, & deſcriptiones continentur. Nos reliquimus vocabulum, vt erat, & conuertimus τὰς περιόδους peregrinationes, cum ipſa peregrinatio ſine dubio afferat diuerſarum legum, & morum notitiam, ob quam cauſſam Vlyſſes eſt laudatus, Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes; etiam ſi non negemus, quod exemplis patet allatis a Victorio, quoſdam libros inſcriptos fuiſſe, Terræ peregrinationes. Quidquid autem ſit, cum Ariſtoteles non nominet libros de Terræ peregrinationibus, ſed tantummodo Terræ peregrinationes, quid eſt, quod in re, quæ vtrumq; ſenſum commode habere queat, periphraſi vti velimus? Ratio, cur ad legum lationem plurimū valeant peregrinationes, affertur ea, quod hinc licet accipere gentium leges. Ad ciuiles vero deliberationes dicuntur eſſe vtiles hiſtoriæ eorum, qui de actionibus conſcribunt. Atque hęc omnia affirmantur ad Politicæ, non Rhetoricæ munus pertinere, niſi quatenus Rhetorica eſt agnatum quiddam Politicæ, & ex Politica eſt conflata. Cum autem adhuc illa pręcipua ſint explicata, de quibus eſt deliberatio: ſequitur, vt explicentur illa, ex quibus ſuaſiones, & diſſuaſiones ducuntur.

IN CAPVT QVINCTVM, *ex quibus ſit deliberatio, quid ſit felicitas, quæ ſint partes felicitatis.*

SVmuntur ſuaſiones, & diſſuaſiones ex iis, quæ pertinent ad felicitatem, vel ad partem aliquam felicitatis: ex propoſitionibus bonorum confeſſorum, controuerſorum, comparatorum: ex iis, quæ ad finem Reip. ſunt accommodata.

Primo loco probatur, cur agendum ſit de felicitate, & partibus eius, ad hunc modum, Qui ſcopus eſt omnibus propoſitus ad eligendum, & fugiendum, de eo oportet agere. At felicitas, & particulę ipſius ſunt ſcopus omnibus propoſitus, ad eligendum,

338

gendum,& fugiendum. Ergo de felicitate,& particulis ipſius oportet agere. Ferme autem, inquit Philoſophus,tum priuatim ſingulis,tum communiter omnibus propoſitus ſcopus,& quaſi ſignum quoddam eſt, quo tendentes quædam expetunt, & quædam fugiunt in vita homines. idque eſt, vt ſummatim dicatur tum felicitas,tum particulæ ipſius. Has igitur res tametſi alterius facultatis eſt perfecta conquiſitione ſingulas conſtituere,ac comprobare: tamen, vt veluti exemplar quoddam habeatur, ipſas ſimpliciter, & populariter loquendo tractabimus,& oſtendemus,quid ſit,& ex quibus cõſtet felicitas. Probatur quoque ſic;Ex quibus rebus exiſtunt ſuaſiones,& diſſuaſiones,de iis agendum eſt. At ex iis rebus,quæ pertinent ad felicitatem,& ad partes eius. & ex iis,quæ ei cõtraria ſunt,omnibus exiſtunt ſuaſiones & diſſuaſiones. Confirmatur hæc aſſumptio, quia, quæ ipſam conſtituunt, aut partem eius aliquã, aut maiorem pro minori reddunt,oportet agere:quæ vero tollunt, aut impediunt, aut contraria afferunt, non agere. Ergo de felicitate, & partibus eius agendum eſt.

Secundo loco definitur felicitas. ἔστω δὴ εὐδαιμονία, εὐπραξία μετὰ ἀρετῆς. Sit igitur felicitas bene ſe habens actio cum virtute. Muretus; Sit igitur felicitas bonus rerũ ſucceſſus cum virtute coniunctus. De vocabulo felicitatis ita ſcribit Victorius in cap.4.lib.1.Ethicorum; Non alienum eſt teſtari, me in exprimenda Græca voce εὐδαιμονία non ſeruaturum eſſe conſuetudinem huius ætatis noſtræ, ac ſuperioris etiam doctorũ virorum, qui vertunt felicitatem, cum apud veteres illos Romanos felicitas ſit; quæ a Græcis appellatur εὐτυχία. longe autem aliud eſſe εὐδαιμονίαν ab εὐτυχία apertum eſt. M. Cicero plerunque hoc ſeruauit, qui felicem dixit; quem illi vocant εὐτυχῆ, vt cum in ſecunda Philippica inquit; In quo Cæſar fuit felicior. magis enim ipſum fortunatum fuiſſe in conſilio ſuo ad exitum perducendo, ſignificauit. Virgilius tamen; iam cum deleta pene omni nobilitate, & plena vrbe peregrinorum, felicem manifeſto vocauit εὐδαίμονα, cum cecinit; Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſſas. θεωρία enim efficit hominem εὐδαίμονα, beatumque, non felicem. Hæc ille, qui etiam in fine capitis octaui eiuſdem libri primi conuertit,

τὴν εὐτυχίαν felicitatem, & τὴν εὐδαιμονίαν beatitudinem. Nos vero a conſuetudine virorum, quos ipſe Victorius doctos appellat, cum Mureto non recedentes, quemadmodum vocabulum beatitudinis conuenienter ſummum bonum ſignificare confitemur, ſcribente Cicerone in 5. Tuſc. ad hunc modum; Videamus, qui dicẽdi ſint beati; equidem hos exiſtimo, qui ſint in bonis, nullo adiuncto malo; nec vlla alia huic verbo, cum beatum dicimus, ſubiecta notio eſt, niſi ſecretis malis omnibus cumulata bonorum complexio: ſic putamus vocabuli Græci originem ex opinione pendere plurimorum, qui ſummum bonum a fortuna exoriri crediderunt: quam opinionẽ Ariſtoteles attigit eodem capite octauo, cum ſcripſit, ἔοικε προσδεῖσθαι καὶ τῆς τοιαύτης εὐημερίας. ὅθεν εἰς ταὐτὸ τάττουσιν ἔνιοι τὴν εὐτυχίαν τῇ εὐδαιμονίᾳ. Videtur etiam indigere beatitudo huiuſmodi proſperitate. quo fit, vt idẽ eſſe ſtatuant nonnulli proſperam fortunam cum beatitudine. Vox igitur εὐδαιμονία inde orta eſt, quod cum plerique a fortuna ſummũ bonum proficiſci exiſtimauerint, apud Græcos δαίμων ſignificet etiam fortunam, vnde dicta eſt εὐδαιμονία, quaſi εὐτυχία, & eudæmones, & cacodæmones, pro fortunatis, atque infortunatis. Quamobrem, quemadmodum vocabulum Græcum a communi opinione formatum eſt, & a peritis quoque hominibus retẽtum, quamuis ab eis ſummi boni eſſentia in aliis rebus, quam in fortunę proſperitate poſita ſit: ita felicitas, vt proſperam fortunam proprie denotet, recte tamen exprimere τὴν εὐδαιμονίαν, & trahi ad exprimendã beatitudinem noſtro quidem iudicio videtur. Iam in prima felicitatis definitione, quæ eſt ex ſententia Ariſtotelis, primum obſeruandum eſt, lib. 1. Eth. cap. 4. ex coniugatorum loco ſic argumentum duci; Felicitas, & felix coniugata ſunt. At felicem eſſe idem exiſtimatur, quod bene viuere, & bene agere. Ergo felicitas eſt bona vita, & bona actio. Deinde notandum, intelligi bene ſe habentẽ actionem cum bonis corporis, & externis. Sic enim legitur eiuſdem libri cap. 8. Non admodum felicitatis eſt compos, qui ſpecie prorſus deformis eſt, vel ignobilis, vel ſolitarius, vel ſine liberis. Præterea vero fortaſſe minus, ſi cui omnino mali filij fuerint, vel qui boni erant amici, mortui ſint. &, Fieri non poteſt,

eſt,vel non facile fit,vt honeſte agat is,cui neceſſaria non ſuppetunt. Præterea intelligendum, quod legitur apud Ciceronē lib.5.de finibus,duplicem eſſe actionem; aut cōſiderationem, cognitionemque rerum cœleſtium, & earum, quas a natura occultatas, & latentes indagare ratio poteſt:aut rerum publicarum adminiſtrationem, & adminiſtrandi, ſciendique prudentem,temperatam,fortem,& iuſtam rationem,reliquasque virtutes, & actiones virtutibus congruentes, quæ vno verbo honeſta dicuntur;ita vt ſub hac definitione comprehendi vtraque felicitas videatur, tum contemplandi, tum agendi. Inde animaduertendum dici cum virtute,quia actio virtutis conſtituit naturam felicitatis. Habet enim felicitas eſſentiam ſuam in actione virtutis: cetera vero requirit,tamquam inſtrumēta, & ornamenta,de quibus ſic legitur eodem capite octauo;Multa enim fiunt, quaſi per inſtrumenta quædam, per amicos, & diuitias,& ciuilem potentiam.Rebus vero quibuſdam,qui priuati ſunt, beatitudinem maculant,vt nobilitate, liberorū probitate,pulchritudine. Poſtremo ſciendum,felicitatem eſſe cū virtute,non virtutem. Nam,vt eiuſdem libri cap.5. ſcriptū eſt, videtur contingere,vt qui virtutem habet,& dormiat,vel ab actionibus humanis alienus ſit, & male afficiatur, & in maximis rebus infortunatus ſit. Qui autē ſic viuat,eum nemo beatum dixerit,niſi qui defendere propoſitum velit.Secunda definitio eſt etiam ex ſentētia Ariſtotelis,vt ſit ſufficiens vita. Eiuſdem libri cap.7. declaratur ſufficiens duobus modis. primum ſic;Sufficiens dicimus,nō ei ſoli,qui viuit vitam ſolitariam ,ſed & parentibus,& filiis, & vxori,omninoque amicis,& ciuibus. ſiquidem ciuile quiddam natura homo eſt. Horum autem ſumendus eſt aliquis terminus. ſi quis enim ſe extēdat ad parentes, & nepotes, & amicos amicorum, in infinitum progreditur.Deinde vero ſic; Sufficiens autem ponimus, quod ſi ſolum relinquatur,eligendam efficit vitam,& nullius rei indigētem. Eiuſmodi autem eſſe felicitatem arbitramur. Tertia definitio eſt ex opinione illorum, qui ſummum bonū in voluptate collocabant, quos ſecutus eſt Epicurus, is, qui poſt mortem Ariſtotelis præeſſe cœpit ſcholæ Mytilenis, Olymp. 118. & Athenis ſcholā habuit Olymp. 119. vt ſcilicet felicitas ſit vita iucun-

diſſima cum ſecuritate. Tamen eiuſdem libri cap.5. probatur, felicitatem in voluptate non eſſe collocandam, quia quod hominibus eſt cõmune cum beſtiis, non debet hominũ felicitas cenſeri. cuiuſmodi eſt voluptas. Quarta definitio eſt ex opinione illorum, qui felicitatẽ in diuitiis ponebant, vt ſit bona conſtitutio poſſeſſionum, & corporum cum facultate harum rerum conſeruatrice, & effectrice. At eodem cap.5. oſtenditur, diuitias non eſſe felicitatem, propterea quod violẽtia quadam comparantur, & ad aliud referuntur, ac minus præſtantes ſunt, quam voluptas, virtus, honor, in quibus tamen felicitas non conſiſtit.

Tertio loco enumerantur partes felicitatis, vel ſpecies bonorum. Illa autem eſt ſatis contrita, & peruulgata diuiſio, quæ legitur libri primi Ethicorum cap.8. vt tria ſint genera bonorum, externa, corporis, animi. Hoc vero ex loco duæ aliæ ſumuntur diuiſiones. Nam partes felicitatis ſunt aut extra corpus, vt nobilitas, multorum amicitia, diuitiæ, bona proles, multa proles: aut in corpore, vt bona ſenectus, & quinque virtutes corporis; ſanitas, pulchritudo, robur, magnitudo, facultas certandi: (ex quibus conſiderandum eſt, quomodo Maioragius bonam ſenectutem numerauerit inter bona, quæ ſunt extra corpus; Ariſtoteles autem non appellauit virtutem, fortaſſe eadem ratione, quam attulit libri quarti Ethicorum capite vltimo, de verecundia, quod quibuſdam tantum conueniat, & non omnibus, quemadmodum enim verecundia cõgruit tantum iuuenibus, ſic bona ſenectus tantum ſenibus; quæ vero dicitur virtus, debet omnibus conuenire, & iuuenibus, & viris, & ſenibus) aut ſunt extra animum, vt gloria, honor, bona fortuna: aut in animo, vt prudentia, fortitudo, temperantia, iuſtitia. Omnino partes felicitatis ſunt aut in ipſo, aut extra ipſum. Ac in ipſo quidem, quæ in animo, & quæ in corpore ſunt. Extra ipſum vero, quæ nec in animo, nec in corpore ſunt, vt nobilitas, amici, pecuniæ, honor, opes, fortuna. Pecuniæ autem, & opes, quæ ſuperius non ſunt nominatæ, ad diuitias referuntur.

Quarto loco agitur de nobilitate, quæ lib. 2.cap. 15. definitur, ἐντιμότης τις προγόνων, dignitas quædam maiorum; ita

vt,

:, qui maiorum non habet dignitatem, nobilis eſſe non poſſit, ſed vel nouus, vel ignobilis ſit, ſi vel ſua gaudeat virtute, vel non gaudeat: qui vero eam habet, nobilis ſit, quamuis quandoque flagitioſus. Vbi etiam nobilis a generoſo diſtinguitur, quod nobilis ſit ex virtute generis: generoſus vero non ſolum ex virtute generis, verum etiam ſua; ita vt qui non eſt nobilis, & qui non habet virtutem ſuam, generoſus eſſe nequeat: qui vero generoſus eſt, etiam nobilis ſit. Duplex autem hoc in loco nobilitas conſideratur, vna gentis, & ciuitatis, vel publica: altera familiæ, vel priuata. Ac nobilitas quidem publica quattuor in rebus ſpectatur. primum, ſi maiores fuerint indigenæ, & eo in loco nati, quales fuiſſe ſolos Athenienſes, & Arcadas, Demoſthenes in oratione de ementita legatione teſtatur. Deinde ſi fuerint antiqui, vt etiam fuiſſe Arcadas memoriæ proditum eſt, qui propterea appellati ſunt προσέληνοι, & nati ante Lunam. Antiquitate quoque merito gloriantur Patauini, cum Patauium originis vetuſtate vel gentium principem ſuperet Romam, ſcilicet pluſquam trecentis annis, per quos regnatum eſt in vrbe Alba longe ante Romam conditam. de qua re ſic cecinit Virgilius;

Hic iam tercentum totos regnabitur annos
Gente ſub Hectorea, donec regina ſacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.

Patauium autem vel ante ipſam Albam dicitur eſſe conditum ab Antenore. Præterea ſi maiorum primi, & generis auctores fuerint illuſtres. ob quam cauſſam vrbium origines etiam in deos relatæ ſunt. Quod teſtatur Liuius ad hunc modum; Datur hæc venia antiquitati, vt miſcendo humana diuinis primordia vrbium auguſtiora faciat. Et, ſi cui populo licere oportet conſecrare origines ſuas, & ad deos referre auctores, ea belli gloria eſt populo Romano, vt cum ſuum, conditoriſque ſui parentem Martem potiſſimum ferat, tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quam imperium patiuntur. Hæc ille.

De Marte auctore generis Romani Cicero quoque in quarta Philippica ſic meminit; Quid Legio Martia? quæ mihi videtur diuinitus ab eo deo traxiſſe nomen, a quo

340

populum Romanum genitum accepimus. Quemadmodum autem illuſtres generis auctores maxime vrbes honeſtant, ita infames ſine dubio maculant. Cuiuſmodi maculam Seruius inurit Patauio, cum in illud Virgilij; Antenor potuit mediis elapſus Achiuis Illyricos penetrare ſinus; ſcribit Antenorem conditorem eius fuiſſe cum Ænea patriæ proditorem, vtẽs teſtimonio Liuij, & Siſennæ. Sed mea quidem ſententia immerito. Etenim Liuius tantum ait, Æneæ, & Antenori fuiſſe vetuſtum hoſpitium cum Græcis, ſcilicet etiam ante bellum Troianum; eosq; fuiſſe ſemper auctores pacis, & reddendæ Helenæ, nempe quia viri prudentiſſimi iuſtam eſſe cauſſam Græcorũ putabant, & patriæ excidium prçuidebant, niſi illa redderetur. Hinc vero conſequi illud, vt fuerint proditores, aperte negatur. Siſennam vero id ſcripſiſſe de ſolo Antenore, non niſi ex eodẽ Seruio apparet, qui fortaſſe de eo ſomniauit, quemadmodum etiam de Liuio. Nam quod addit ex ſua perſona, id argui, quia legatos Helenam repetentes hoſpitio accepit: & Vlyſſem ſub mendici habitu cognitum non prodidit; eorum meo quidem iudicio alterum minime arguit proditionem, ſed potius benignitatem, & liberalitatem illam, quæ in Legatos a principibus ciuitatis ſolet adhiberi: alterum negari debet, nulla veterum ſcriptorum auctoritate cõfirmatum. quod profecto ſi verum fuiſſet, de eo accuſatus eſſet Antenor, & condemnatus, nec vſque ad excidium Troiæ toleratus. Poſtremo publica nobilitas eſt, ſi ex maioribus propagati ſint multi illuſtres iis rebus, quæ ſub æmulationem cadunt, vt plurimi Romani illuſtres fuerũt, Curij, Fabricij, Coruncanij, Metelli, Fabij, Marcelli, Scipiones, Paulli, Lepidi, alij innumerabiles, præclara, atque ad omnis poſteritatis famam illuſtria, abſtinentiæ, modeſtiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, prudentiæ, omnisque virtutis exempla. In priuata quoq; nobilitate quattuor cernuntur. primum ſi maiores fuerint præſtantes, vel viri, vel fœminæ. vtraque enim pars eſt ſpectanda in vera nobilitate, vt nobiliores exiſtimandi ſint illi, qui ex nobili patre, & nobili matre orti ſint, quam qui ex illo nobili, & hac ignobili, vel econuerſo. Deinde ſi maiores fuerint legitime coniuncti, ita vt a priuata nobilitate excludi illi videantur, qui ex iuſtis nuptiis orti non ſint; qui profecto ſi virtute

careant,

361

careant, nihil eis ignobilius poteſt reperiri: ſi virtutis ſplẽdore fulgeant, poſſunt eſſe principium nobilitatis. quod certe plus eſt, quam nobilitate præſtare ſine virtute. Nothus enim fuit Themiſtocles: ſed illuſtris virtute ſua. Præterea ſi vt in ciuitate, ſic etiam in familia, maiorum primi, & generis auctores clari fuerint, aut propter virtutẽ, aut propter diuitias, aliudue quid eorum, quæ in honore habentur. Muretus γνωρίμους conuertit nobiles. Tamen auctores generis poſſunt eſſe noui. Ad principium autem nobilitatis pertinent quoque diuitiæ. Brutum illum primum, qui exegerat Reges, ſpectauit Cicero in 4. Philipp. cum dixit; Eſt quaſi deorum immortalium beneficio, & munere datum Reip. Brutorum genus, & nomẽ ad libertatem populi Rom. vel conſtituendam, vel recuperandam. Denique ſi ex maioribus multi illuſtres orti ſint tum viri, tum fœminæ, tum iuuenes, tum ſenes, vt Romæ plurimi Fabij floruerunt: Venetiis plurimi Contareni.

Quincto loco agitur de bona, & multa prole, quæ ipſa quoque conſideratur tum publica, tum priuata. Ac multa quidem proles publica eſt tamquã ver in anno. Quare huius libri cap. 7. & libri 3. cap. 10. celebratur dictum Periclis, tollere τὴν νεότητα ἐκ τῆς πόλεως, iuuentutem ex ciuitate, eſſe tollere ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ver ex anno: quod tempus eſſe florentiſſimũ conſtat, quemadmodum etiam ciuitas plena iuuenum florentiſſima videtur. Idcirco procurant leges multitudinem liberorũ, & prohibent, quæ contra talem multitudinem faciunt. Lib. 2. Politicorum cap. 7. dicitur fuiſſe lex Lacedæmone, vt qui tres liberos procreaſſet, vacationem militię haberet: qui quattuor, immunis eſſet omnium publicorum munerum. Quod imitati ſunt poſteriores iuriſconſulti in excuſationibus tutorum, vel curatorum, vt qui Romæ tres, in Italia quattuor, in prouinciis quinque haberent vel in poteſtate, vel emancipatos naturales, iuſtosque liberos, a tutela, vel curatione excuſari poſſent, exemplo ceterorum munerum: quia & tutelam, & curam placuit publicum munus eſſe, vt ait Iuſtinianus lib. 1. Inſtitutionũ, cap. 25. vbi obiter obſeruandum eſt, ad numerum liberorum prodeſſe etiam eos, qui in acie amiſſi ſunt. Ii enim, inquit Imperator, qui pro Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriã vi-

uere intelliguntur. Et Cicero pro Plancio; Qui pro Rep. vitam reddiderunt, nunquam mehercule eos mortem potius, quam immortalitatem aſſecutos putaui. Et in 9. Philipp. Iis maiores noſtri qui ob Remp. mortem obierunt, pro breui vita diuturnam memoriam reddiderunt. Apud Plutarchum autem in Lyſandro legitur, Lacedæmone fuiſſe alteram legem, quæ puniebat ἀγαμίους, qui nunquam vxorem duxiſſent: ὀψιγαμίους, qui ſero duxiſſent: κακογαμίους, qui culpam commiſiſſent in vxore ducenda, vt qui pro bonis, & vtilibus Reip. ciuibus locupletum quæritabant affinitates; ideoque Lacedæmonios cōdemnaſſe maritos filiarum Lyſandri, qui poſt mortem ipſius Lyſandri pauperis inuenti eas repudiarunt. Plato quoque lib. 4. de legibus, in Rep. ſua hanc legem volebat eſſe, vt vxorem quiſque a trigeſimo anno vſque ad trigeſimum quinctum duceret: ſi non duceret, pecunia mulctaretur, ac dedecore. Cuius temporis ratio affertur ab Ariſt. lib. 2. cap. 14. quia in illis quinque annis tunc maxime viget corpus. Multa proles priuata pertinet ad ſingulorum hominum felicitatem, qua inter ceteros Q. Metellus Macedonicus potuit gloriari. is enim præter quam quod Prætor Andriſcum Pſeudophilippum in Macedonia deleuit, vnde Macedonicus eſt nuncupatus, & de illa victoria triumphauit, ac fuit non ſolum conſul, ſed etiam cenſor, tunc cum inſignem habuit orationem de ducendis vxoribus, quam poſtea Auguſtus Cæſar, cum de maritandis ordinibus ageret in ſenatu recitauit, vt legitur in Epitoma 59. quamque fortaſſe falſo Gellius tribuit Metello Numidico lib. 1. cap. 6. miram quoque liberorum ſeptem habuit proſperitatem; quippe qui tres filias nuptui dedit, earumque ſobolem ſinu ſuo excepit, ac quattuor filios vidit maxime florentes, Q. Metellum conſularem, vocatum Balearicum a Balearibus inſulis deuictis, ac de ipſis Balearibus triumphantem: L. Metellum itidem conſularem, dictum Dalmaticum, a bello geſto in Dalmatia, & triumphantem, & cenſorem: M. Metellum conſulem: eodemque tempore C. Metellum prætorem; qui duo poſteriores filij poſt mortē patris alios honores ſunt conſecuti. Nam M. triumphauit de Sardis: C. vero cognomento Caprarius ex contumelia, fuit conſul, ac triumphum

egit

342

egit de Macedonia, ac cenſuram adminiſtrauit cum Q. Metello Numidico patruele. Itaque Macedonicus non vnum tantum filium vidit triumphantem, vt ſcribit Cicero lib. 5. de finibus, ſed duos, Balearicum & Dalmaticum, quorum alter etiam fuit Cenſor, nempe Dalmaticus. Nec vidit tres filios conſulares, vt ſcribunt Valerius, & Plinius, ſed duos conſulares, Balearicum, & Dalmaticum, tertium autem conſulem, & quartum prætorem. Quo tempore morte præuentus nec tertij triumphum videre potuit, nec quarti conſulatum, triumphum, cenſuram. Quod obiter notatum ſit. Bona proles publica ſpectatur potiſſimum in maribus, in quibus debent eſſe virtutes corporis; magnitudo, pulchritudo, robur, certandi facultas. prętermiſſa eſt ſanitas. quod quidam tribuerunt errato memoriæ Ariſtotelis, vt etiam, cum libro 3. cap. 9. citauit verſum tamquam Sophoclis, qui Euripidis eſſet. At dici poteſt hoc in loco ſupponi, & ſubintelligi ſanitatem, ſine qua aliæ virtutes eſſe non debent. Præterea in ipſis requiruntur virtutes animi; temperantia, & fortitudo ad moderandas facultates rationis expertes. Bona proles priuata cernitur potiſſimum in fœminis, in quibus requiruntur virtutes corporis; pulchritudo, & magnitudo: ac virtutes animi, temperantia, & operis ſtudium ſine illiberalitate, & ſordibus. Virtutes corporis expreſſit Virgilius lib. 1. Æneidos;

> Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ,
> Quarum quæ forma pulcherrima, Deiopeiam,
> Connubio iungam ſtabili, propriamque dicabo.

Virtutes animi Liuius lib. 1. Lucretiam haudquaquam, vt Regias nurus, quas in conuiuio, luxuque cum æqualibus viderant, tempus terentes, ſed nocte ſera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium ſedentem inueniunt. Oportet iam pariter & priuatim, & communiter tum quæ ad viros, tum quæ ad mulieres pertinent, quærere, an horum vnumquodque bonorum adſit. Apud quos enim quæ ad mulieres pertinent, mala ſunt, vt Lacedæmonios, ij dimidia fere parte felicitatis priuantur. Lib. 2. Politicorum cap. 7. traditur, ex nimia licentia fœminarum tria præcipua mala oriri.

Primum vt deſit dimidia pars felicitatis, vt apud Lacedæmonios. Quare Euripides ſub perſona Pelei ait, Ne ſi vellet quidẽ, atque huic vni rei ſtuderet, poſſe virginem Lacænam continentem eſſe. Alterum, vt deprauetur Reſp. nimio ſtudio diuitiarũ, cum viri ſunt in poteſtate mulierum maxime ſtudentiũ diuitiis, vt ſunt multæ nationes militares præter Celtas populos Galliæ, qui cõtrarium remediũ inuenerunt, longe peius ſuperiori malo, vt narrat etiam Athenæus lib. 13. Quoniam autẽ nationes militares ſolent eſſe in poteſtate mulierum, idcirco fictum eſt, Martem copulatum eſſe cum Venere. Tertium, vt fiant fœminæ audaciores, non tamen in bello vtiles. Quod probatur exemplo, cum Thebani incurrerunt in fines Lacedæmoniorum poſt Leuctricam pugnam, duce Epaminonda. Nam vtilitatem quidem nullam attulerunt: ſed trepidationẽ, & tumultum ciuitati incuſſerũt maiorem, quam hoſtes. Idem narratur de mulieribus Romanis a Liuio lib. 26. quæ, cũ Hannibal ad portas eſſet, fletu & lamentatione omnia compleuerunt. Ibidem exponit Ariſtoteles ortam eſſe licentiam illam ex abſentia virorum, cum bellum eſt geſtum in Argiuos, Arcadas, Meſſenios, ita vt ad bonam diſciplinam fœminarũ plurimum valeat virorum præſentia.

Sexto loco agitur de diuitiis. & primum ſex partes diuitiarum enumerantur; numi, multitudo terræ, poſſeſſiones locorum, ſeu prædiorum, poſſeſſiones ſupellectilium, tum pecorum, tum ſeruorum, multitudine, magnitudine, pulchritudine præſtantium. Quarum partium hæc ratio affertur, quod quædam res ſunt inanimatæ, quædam animatæ. Ac inanimatæ quidem partim mobiles, vt numi, & ſupellectilia: partim immobiles, vt multitudo terræ, & poſſeſſiones prædiorum. Animatæ vero aut participes rationis, vt ſerui: aut expertes rationis, vt pecora. Ciceronis verba ſunt lib. 2. off. Quæ ad vitã hominum tuendam pertinent, partim ſunt inanimata, vt aurum, argentum, vt ea, quæ gignuntur e terra, vt alia eiuſdem generis: partim animalia, quæ habent ſuos impetus, & rerum appetitus. Eorum autẽ alia rationis expertia ſunt: alia ratione vtentia. Expertes rationis ſunt equi, boues, reliquæ pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum vſum, atque vitam.

tam. Ratione autem vtentium duo genera ponuntur; vnum deorum: alterum hominum. deos placatos pietas efficiet, & ſanctitas: proxime autem, & ſecundum deos homines hominibus maxime vtiles eſſe poſſunt. Præterea natura diuitiarum collocatur in tribus, in iis, quæ ſecura ſunt, quæ liberalia, quæ vtilia. Addit Muret. Propria. conuertit enim ſic; Eaq; omnia vt & tuta ſint, & homine ingenuo digna, & vtilia, & propria. Nos cum Victorio putamus, mentionem fieri proprietatis paullo infra, tamquam rei pertinẽtis ad ſecuritatem, vt modo declarabimus. Vtilia igitur dicũtur eſſe, quæ fructuoſa ſunt, hoc eſt, ex quibus capiuntur fructus; Liberalia vero quæ voluptaria ſunt, hoc eſt, ex quibus nihil, quod quidem aliqua æſtimatione dignum ſit, percipitur præter vſum. Et ſecura ſunt, quæ eo in loco, & eo modo poſſidentur, vt in poſſidentis arbitrio ſit ipſorũ vſus. Eſt autem in arbitrio poſſidentis vſus eorum, cum ſunt propria. Et terminus proprietatis eſt, cum ex habentis arbitrio pendet alienatio. Atque alienatio vocatur donatio, & venditio. Poſtremo traditur, conſiſtere magis diuitias in vſu quam in poſſeſſione. idque probatur definitione diuitiarum; quia ſunt actus, & vſus eiuſmodi rerum. Capite ſexto huius libri diuitiæ dicuntur eſſe virtus poſſeſſionis. Ergo qui nõ vtuntur rebus, non ſunt diuites, vt auari. Et, qui non habẽt virtutem poſſeſſionis, hoc eſt, qui non bene ipſis rebus vtuntur, nomine diuitum digni non ſunt, vt prodigi.

Septimo loco explicatur bona fama. In partibus felicitatis nominata eſt δόξα, id eſt, gloria: hic vero nominatur εὐδοξία, quæ a Cicerone lib. 3. de finibus dicitur bona fama. Poſita eſt autem in eo, vt quis exiſtimetur ab omnibus virtute præditus, aut tale aliquid habere, quod omnes appetunt, vt diuitias; vel multi, vt imperia; vel boni, vt honeſtas actiones; vel prudentes, vt ſcientias. De gloria autem legendus eſt Cicero lib. 2. officiorum, cum eiuſdem de gloria libri duo temporum iniuria interierint. Et de contemptu gloriæ in 5. Tuſc.

Octauo loco de honore quattuor declarantur; primũ quid is ſit: deinde qui honorentur: præterea, quid ſit beneficium, ex quo tamquam ex fonte oritur honor: poſtremo quæ ſint partes honoris. Definitur honor ſic, τιμὴ δ' ἐστι μὲν σημεῖον εὐεργε-

τικῆς δόξης. Honor autem eſt ſignum beneficæ opinionis. In hanc definitionem ſic Victorius; Quid δόξα valeat (eſt enim anceps verbum) quærendum, gloriamne, an opinionem: &; vtrum hic ſenſus huius partis ſit; Honor eſt ſignũ gloriæ comparatæ ex multis, magniſq; beneficiis in alios collatis: an hic; Eſt indicium opinionis, quam habent, de benefica eius, quem honorãt, natura, qui eum ei tribuunt. Priorem explicationem ſecutus eſt Maioragius, conuertens ſic; Honor eſt ſignũ gloriæ ex plurimis in alios meritis cõparatæ. cui interpretationi conuenit vetus lectio a Victorio notata, dum obſeruauit in antiquiſſimo libro non δόξης, ſed εὐδοξίας legi. Poſteriorem verò ſenſum idem poſtea probauit Victorius, cum cõuertit ſic; Honos eſt indicium opinionis de aliquo, quod pronus ad homines iuuandos ſit. Et Muretus quoque, cum ſic; Honor ſignum quidem eſt, eum, cui habetur, beneficum haberi. Vtraq; tamen interpretatio duriuſcula poteſt videri; vt δόξα εὐεργετικὴ intelligatur vel gloria ex beneficiis comparata, vel opinio, quę habetur de benefica natura. Nam aliquid dicitur εὐεργετικὸν, non quod comparatum eſt ex beneficiis, nec quod habetur de benefica natura, ſed quod benefacit; quemadmodum infra, cap. 9. definita eſt virtus δύναμις εὐεργετικὴ, facultas benefica, vel quæ benefacit, ac in benefaciendo verſatur. & alibi homines appellati ſunt εὐεργετικοὶ, qui benefaciunt, & ad benefaciendũ propenſi ſunt. Quamobrem cogitandum eſt, an tertia recipi poſſit explicatio, vt honor ſit ſignum in honorante, quod ſignificat beneficam opinionem, mentem, & animum honoranti. ſic enim quandoq; δόξα videtur accipi, vt cum Plato in epiſtolis ait, ὡς ἡ ἐμὴ δόξα μαντεύεται. Neque eſt, quod dubitetur, vt nonnulli faciunt, quod ſignum ſignificet aliquid in eo, a quo proficiſcitur, & non externum, vt, cum quis febrem habet, ſignum eſt, eum ipſum ægrotare; cum aliqua lac habet, ſignum eſt, eam ipſam peperiſſe. Nam nihil prohibet, quominus ſignum rem etiam externam ſignificet; quemadmodum cum Socrates eſſet iuſtus, & ſapiens, ſignum erat etiam alios ſapientes eſſe iuſtos, vt legitur ſupra, cap. 2. & cum Pittacus eſſet probus, & ſapiens, ſignum erat, alios quoque ſapientes eſſe probos, vt in Analyticis ſcriptum eſt. Honorantur autem

344

tem duo genera hominum; primum iure quidem vel maxime, qui beneficium dederunt: deinde qui poſſunt benefacere. Et beneficium dicitur ſex præcipuis modis; aut ad ſalutem, eaque omnia, quibus fit, vt ſimus, quale fuit Harmodij, & Ariſtogitonis, cum Hipparchum Tyrannum Athenarum interfecerunt: aut ad diuitias, quale Nicomedis Regis Bithyniæ, cum regni ſui heredem inſtituit populum Romanum: aut ad aliud aliquod bonum eorum, quæ paratu facilia non ſunt, quale Tiſiæ, & Coracis, cum primi artem Rhetoricam ſcripſerunt: aut omnino. nam beneficium debet eſſe plenum: aut eo loco, vbi oportet: aut eo tempore, cum oportet. Multis enim etiam, quæ exigua videntur, honori fuerunt: ſed cum ad ea locorum, aut temporum commendatio accederet. Partes honoris enumerantur vndecim; tum ſacrificia, tum monumenta litterarum aut verſibus concluſa, aut ſine verſibus, tum præmia, tum delubra, & ſacella, tum priores in conſeſſibus loci, tum ſepulcra, tum ſtatuæ, tum alimenta ex publico, tum barbaricæ adorationes, tum barbaricæ exceſſiones, tum dona, quæ apud quoſque in pretio ſunt. Nam donum eſt propriæ rei, vt ab alio poſſideatur, datio: & honoris ſignum. Quare, & pecuniæ amantes, & honoris cupidi dona appetunt. Habet enim donum ea, quæ vtrique optant. nam & rem auget, quod auidi pecuniæ: & honori eſt, quod honoris ſtudioſi concupiſcunt.

Nono loco virtutes corporis perpenduntur. & primum ſanitas, quæ duo requirit, vt & morbo quis careat, & corpore vtatur. Multi enim ſani ſunt, vt Herodicus dicitur, quem nemo felicem dixerit cauſſa ſanitatis, propter omnium abſtinētiam humanorum, aut plurimorum. Victorius, & Muretus legunt, οὓς οὐδεὶς, quos nemo, &c. Herodici Selymbriani meminit quoque Plato lib. 3. de Rep. & in Phædro, ac Plutarchus de ſera deorum animaduerſione. Secunda virtus eſt pulchritudo, quæ, cum tres ſint ætates, vt colligitur ex libri ſecundi cap. 14. iuuentus vſque ad triginta annos; vigens ætas corporis a triginta ad triginta quinque, animi ad quadraginta nouem: ſenectus deinceps in vnaquaque ætate ita ſpectatur, vt duo requirantur. Ac in iuuentute quidem corporis vtilitas ad labores,

& ad curſum, & ad vim: ac iucunditas oris, ac vultus ad voluptatem. Quocirca pulcherrimi ſunt quinquertiones, quod æque apti ſunt & ad vim, & ad celeritatem. de quibus etiam infra. In vigente vero ætate corporis vtilitas ad labores bellicos: ac iucunditas cum terrore. In ſenectute autem vtilitas ad labores neceſſarios: ac indolentia, propterea quod nullo incōmodo laboret eorum, quibus ſenes conflictari ſolent. Verba Ariſtotelis ſunt de ſene, πρὸς μὲν πόνους τοὺς ἀναγκαίους ἱκανὸν ἄλυπον δὲ, διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν, ὧν τὸ γῆρας λωβᾶται: Ad labores quidem neceſſarios idoneum: indolentem vero, quia nihil habeat eorum, quibus ſenectus offenditur. At ἄλυπος dicitur non ſolum qui dolore vacat; ſed etiam qui non eſt moleſtus. Quam ſignificationem ſpectauit Muretus, vertens ſic; Senis autem, quod ſatis ſit ad labores neceſſarios ſuſtinendos, ita vt moleſtus non ſit iis, qui vna ſunt; quod nullo incōmodo laboret eorum, quibus ſenes conflictari ſolent. Tertia virtus corporis eſt robur, quod definitur facultas mouendi alterum arbitrio ſuo: & ſpectatur in quinque generibus motionis; in trahendo, in pellendo, in tollendo, in deprimendo, in collidendo; ita vt robuſtus vel his omnibus, vel horum aliquibus robuſtus ſit. Inter homines autem robuſtiſſimos cōmemoratus eſt Polydamas, & Milo Crotoniata. Quarta virtus eſt magnitudo, in qua duo requiruntur; primum exuperantia, vt quis ſuperet multos proceritate, craſſitudine, latitudine: deinde, ne propter exuperantiam tardiores reddantur motiones. Quincta virtus eſt facultas certandi, quæ conſtat ex magnitudine, robore, velocitate. Etenim velox robuſtus eſt. Sunt autem tria præcipua genera certaminum, curſus, lucta, pugilatus. Et quinque genera certatorum; Curſor, qui valet curſu, & crura quodammodo proiicere, & mouere velociter, ac longe poteſt: Luctator, qui lucta, & ſtringere, ac tenere: Pugil, qui pugilatu, & ictu pellere: Pancratiaſticus, qui lucta, & pugilatu ſimul: Pentathlus, & quinquertio, qui omnibus his, nempe curſu, lucta, & pugilatu. Maioragius paullo ſupra, vbi legitur; Quinquertiones pulcherrimos eſſe, qui ad vim, & ad velocitatem ſimul apti ſint, explicat Pentathlos, & quinquertiones, qui ex quinque certaminibus victoriam, præmiumq; reportabant, hoc eſt, luctatione, curſu,

ſaltu,

ſaltu, diſco, iaculatione. Idem in hunc locum non videtur ſibi conſtare, cum ſcribat, Pentathlos, qui Latine Quinquertiones vocantur, fuiſſe, qui & lucta, & pugilatione, & curſu victores euadebant, atque ita dictos, quod quinque nomina poſſent habere, & nominari luctatores, pugiles, curſores, pancratiaſtæ, pentathli. Quamquam autem plerique putant ad Quinquertiones quinque certaminum genera pertinuiſſe, nempe illa, de quibus meminit Simonides in illo diſticho,

Ἴσθμια, καὶ πυθοῖ, Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα,
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Iſthmia, & Pithia Diophon Philonis vicit,
Saltum, curſum, diſcum, iacula, luctam:

Tamen Ariſtoteles, vt modo notauimus, trium tantum certaminum mẽtionem facit, curſus, luctæ, pugilationis; vt ex eius ſententia quinquertiones ſint, non qui quinque certamina exercerent, ſed qui eſſent in quincto genere eorum, qui certarẽt; & appellati ſint pentáthli, & quinquertiones, non qui in quinque, ſed qui in tribus certaminibus valerent, quemamodum Pancratiaſtæ in duobus. Quod voluimus hic adnotare, vt ſtandum eſſe ſecundæ Maioragij explicationi affirmaremus, quæ Ariſtotelis verbis, & ſententiæ quadrat, prætermiſſa quoque, quod ad hãc rem attinet, auctoritate Victorij, qui magis, quid Grammatici de quinquertionibus tradiderint, quam quid ipſe ſenſerit Ariſtoteles, obſeruare viſus eſt.

Decimo loco explicatur bona ſenectus, quam efficiũt duo, tarditas, & indolentia. id probatur a contrariis. Neque enim, ſi quis velociter ſeneſcat, bonam ſenectutem habet. Neque ſi vix quidem, ſed dolenter. Additur bonam ſenectutem eſſe ex virtutibus corporis, & ex bonis fortunæ. μὴ ἄνοσος γὰρ ὤν, μηδὲ ἰσχυρὸς, οὐκ ἔσται ἀπαθὴς, οὐδ᾽ ἄλυπος, καὶ πολυχρόνιος, οὔτ᾽ ἂν ἄνευ τύχης διαμείνειεν. Nam qui expers morbi non ſit, neque robuſtus, non erit perturbationis expers. Neque indolens etiam erit longæuus. Nec ſine fortuna durare poterit. Legit Victorius, vt modo ſcriptum eſt, οὔτ᾽ ἂν ἄνευ τύχης. & hunc totum locum ſic vertit; Niſi enim vacuus a morbo ſit, atque validus, non erit ſine metu offenſionis: neq; expers longitudinis, ac longæuus: neque vtique fortunatus permaneret. Quam lectionem Ma-

ſoragius quoq; probat, vertens ita; Nam niſi ſine morbo fuerit,& niſi vires conſeruet; non erit expers moleſtiarum,ac dolorum: nec vitam producere poterit, nec proſperā fortunam retinere. Muretus lib. 7. variarum lectionum delet illud, οὔτ', & legit, αὖ δὲ τύχης. Idem vertit ſic; Nam neque perturbatione vacabit, niſi & immunis a morbis, & robuſtus fuerit: neque ſine fortuna diu viuere expers moleſtiæ poterit. Quam correctionem ſequitur quoq; Sigonius, conuertens ſic; Etenim niſi expers morbi ſit, ac robuſtus, non carebit malo: neque indolens, & longæuus ſine fortuna conſtiterit. Non deſunt, qui ita corrigendum putant, οὔτ' αὖ μὴ δ' εὐτυχὴς διαμείνη. Nos nihil nec delemus, nec addimus, & legentes αὖ δὲ τύχης, vt legit Muretus, hunc ſenſum colligimus; In bona ſenectute requiruntur tum corporis, tum fortunæ bona. Nam ſine corporis virtutibus, ſanitate, & robore, non habebit indolentiam, quæ eſt prima proprietas bonæ ſenectutis: &, ſi non ſit indolens, non habebit longæuitatem, quæ eſt ſecunda proprietas: præterea ſine bonis fortunæ carebit longæuitate. Quare vtraque requiruntur bona. Additur quoque eſſe quandam ſine robore, & ſine ſanitate vitæ producendæ facultatem: multos enim ſine virtutibus corporis diu viuere: ſed harum rerum accuratam tractationem nihil hoc quidem tempore neceſſariam eſſe.

Vndecimo loco traditur, multorum, & bonorum amicitia quid ſit, obſcurum non eſſe, ſi cognoſcatur, quid amicus ſit. Ac definitur amicus, quicunque eorum, quæ arbitratur bona eſſe illi, cui eſt amicus, effector eſt propter illum: quemadmodum lib. 2. cap. 4. definitur amare, vt ſit velle alicui, quæ putat bona; propter illum, qui amatur, non propter illum, qui amat; & pro viribus eorum effectorē eſſe. Amicus vero, qui amat, & redamatur. Cum autem veteres tribuerint amicitiæ beneficētiam, beneuolentiam, concordiam, definiuerunt amicum, vt legitur lib. 9. Ethicorum, cap. 4. tum ex beneficentia, vt ſit is, qui vult, & agit bona aut quæ videntur, illius cauſſa. Tum ex beneuolentia, qui vult & eſſe, & viuere amicus ipſius cauſſa. Tum ex concordia, qui ſimul degit, & eadem eligit; quique ſimul dolet, & ſimul gaudet cum amico. Iam cui multi ſunt tales, eſt multorum amicus. Hæc autem multorum amicitia difficulter

ter

ter haberi poteſt, quia pauci ſunt amici, vt tradidit Cicero lib. 1. de finibus, & de amicitia, & Plutarchus de amicitia in multos diffuſa. Cui etiam boni viri ſunt tales, eſt bonorum amicus. Quæ bonorum amicitia difficulter ſine dubio paratur, quia pauci boni ſunt, & plerique vtilitatem, ac iucunditatem ſequuntur, non ſolam honeſtatem.

Duodecimo loco oſtenditur, primum quæ ſit bona fortuna: deinde quarum rerum cauſſa ſit fortuna: deinceps quæ ſint ſigna earum rerum, quæ a fortuna proficiſcuntur: poſtremo cuiuſmodi exempla. Bona igitur fortuna eſt, cum, quorum bonorum cauſſa fortuna eſt, ea eueniunt, & inſunt aut omnia, aut plurima, aut maxima, quemadmodum ſi quis ſit nobilis, diues, charus principibus, aliaque huiuſmodi habeat. Cum autem fortuna omnium ſit cauſſa, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, & varietati ſubiecta ſunt; dicitur hoc in loco eſſe cauſſa nonnullorum, quæ ſunt etiam ab arte, & nonnullorum, quæ ſunt quoque a natura: tunc enim ea, quæ ſolent fieri ab arte, & a natura, dicuntur fieri à fortuna, cum præter rationem eueniunt. Exempli gratia ſanitas fit ab arte medica, tamen quandoque etiam a fortuna, vt cum inimicus Phereum Iaſonem vellet interficere, impetumque in eum feciſſet, gladio vomicam eius aperuit, quam ſanare medici non potuerant. Itaque ſanauit, contra quam volebat. Pulchritudo vero, & magnitudo liberorum prouenit a natura. tamen quandoque à fortuna, vt ſi alij fratres deformes, & parui ſint, hic autem pulcher, & magnus: ſi mater, & pater magni, filij autem parui. Optime notat Victorius, cum tria enumerentur genera bonorum, animi, corporis, & fortunæ, & bona fortunæ intelligantur tantum ea, quæ ſunt externa, ex doctrina Ariſtotelis non ſolum externa, ſed etiam corporis bona pertinere ad fortunam, vt hoc in loco, & lib. 2. cap. 12. vbi dicitur, proſperam fortunam facere, vt meliore conditione ſimus in iis, quæ pertinent ad bonam prolem, & in bonis corporis. Duo autem commemorantur præcipua ſigna eorum bonorum, quæ proueniunt a fortuna; alterum, ſi in eis verſetur inuidia; vnde vere vulgo dici ſolet, tribus ex

optimis rebus tres peſſimas oriri; e veritate odium, e familiaritate contemptum, e felicitate, & bonis fortunæ inuidiam: alterum, ſi ſint præter rationem. nam imperiti quoque homines, vt Ariſtoteles in 2. naturalis auſcultationis oſtendit, fortunam παράλογον eſſe dicebant, quos etiam ipſe laudat, & bene ſenſiſſe tota re explicata oſtendit. Quattuor præterea huiuſmodi rerum a fortuna pendentium exempla afferuntur, nempe duo, quæ pertinēt ad commodorum acquiſitionem, & duo alia, quæ ad incommodorum euitationem. Primum exemplum eſt, ſi quis formoſus ſit, cum alij fratres ſint deformes. alterum, ſi quis abſconditum theſaurum reperit, cum alij, qui in eodem loco verſabantur, nunquam aduerterint. tertium, cum duo prope ſtarent, vnus telo non eſt offenſus, alter eſt percuſſus. quartum, qui ſolebat locum frequentare, eo die non venit, quo ille locus plenus fuit latronum, vel illud ædificium cecidit: qui vero nunquam antea eo in loco fuerant, eo die venerunt, & interfecti ſunt. hæc enim omnia in fortunæ proſperitatibus numerari ſolent.

Decimo tertio loco exponitur cauſſa, cur hic non agatur de virtutibus animi, quæ inter partes felicitatis poſitæ ſunt. Traditur enim proprium locum eas pertractandi eſſe in genere demonſtratiuo. Itaque cum eo ventum erit, de eis accurate diſputatum iri.

IN CAPVT SEXTVM, *de bonis confeſſis, & controuerſis.*

ADhuc declaratum eſt, quæ ſpectare debeant illi, qui ſuadent, tamquam futura, aut præſentia: ex quo etiam conſtat, quæ ſpectare debeant illi, qui diſſuadent, ea videlicet, quæ his aduerſantur. Iam finis conſultori propoſitus eſt vtilitas. Et non conſultatur de fine, quod is omnibus ſatis ſit propoſitus: ſed de iis, quę ad finem ducunt. Ea vero ſunt, quæcunque in ſingulis actionibus vtilia ſunt. Atque vtile bonum eſt. Idcircoque propoſitiones de rebus bonis, & vtilibus, horumq; quaſi quædam elementa ſimpliciter videntur tradenda. Non conſultari autem de finibus, ſed de iis, quæ ad finem ſpectant, ſcriptum eſt quo-

eſt quoque libri tertij Ethicorum cap. 3. ad hunc modum; Ac conſultamus quidem non de finibus, ſed de iis, quæ ad finem tendunt. Nam neque medicus, an ſanare: neque orator, an perſuadere: neque ciuilis, an bene legibus inſtitutam patriā reddere debeat: neq; ex aliis quiſpiam de fine conſultat. Cum igitur agendum ſit de iis, quæ afferunt vtilitatem, & hoc modo de bonis; hæc ipſa bona ſpectantur tripliciter, aut confeſſa, aut controuerſa, aut comparata.

Bonum confeſſum decem modis definitur. primo modo, quod propter ſe eſt expetēdum, vt honeſta, & felicitas, & amicus, & vita. Secundo, cuius gratia aliud expetimus, vt felicitas. Tertio, quod omnia appetunt, aut omnia ſenſum habētia, aut mentē, aut ſi eis mens daretur, vt voluptas. Quarto, quod mēs vnicuique dictauerit eſſe bonum, vt patriam defendere, coniuges, liberos, parentes incolumes conſeruare. Quincto quod mens, quæ de vnoquoque eſt, vnicuique dictauerit eſſe bonū, vt quæ ſingulis accommodata ſunt, claſſis Venetis, equitatus Cæſari, alia aliis. Sexto, quo præſente bene ſe habet, neq; quidquam præterea requirit, vt virtus. Septimo, quod ſibi ex ſe ſufficit, vt felicitas. Octauo, quod idoneum eſt ad talia efficienda, & cuſtodienda, vt virtus: ea, quæ ſunt iucunda: ea, quæ ſunt honeſta: iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnanimitas, magnificentia, alij huiuſmodi habitus: ſanitas, pulchritudo: diuitiæ, amicus, amicitia, honor, gloria: facultas dicendi, agendi, ingenium, memoria, docilitas, velox animi motus, ſcientiæ, artes. paullo infra legitur, *καὶ τὰ ποιητικὰ τριχῶς. τὰ μὲν ὡς τὸ ὑγιαίνειν ὑγιείας· τὰ δὲ, ὡς σιτία ὑγιείας· τὰ δὲ, ὡς τὸ γυμνάζεσθαι, ὅτι ὡς ἐπιτοπολὺ ποιεῖ ὑγίειαν.* Ac idonea ſunt ad efficiendū tripliciter; partim vt ſanum eſſe ſanitatem: partim vt cibaria ſanitatem: partim vt exerceri, quod plerunque efficit ſanitatem. Sigonius; Efficiendi vero vim habent trifariam; alia, vt valere valetudinis: alia, vt cibaria valetudinis: alia, vt exercitatio, quod plerunque efficit valetudinem. Cogitandus eſt modus elocutionis, Valere habet vim efficiendæ valetudinis: Cibaria habēt vim efficiendæ valetudinis. Nono, quo poſito talia conſequuntur, vt adeptiones bonorum, depulſiones malorum, pro minore bono maioris adeptio, pro maiore malo minoris ſum-

ptio,honor,exiſtimatio. paullo infra dicuntur conſequi dupliciter. Nam vel ſimul: vel poſterius. Vt diſciplinam quidẽ poſterius ſcientia: ſanitatem vero ſimul vita. Atque hi ſunt duo modi conſequendi ipſo actu. In ſequenti capite additur tertius modus facultate. Decimò,quod idoneum eſt ad prohibenda, aut tollenda ea, quæ talibus aduerſantur, vt præſidia militum, tormenta militaria. Poſt has definitiones, ſeu propoſitiones, afferuntur duæ bonorum enumerationes. prima habet octo partes. Nam primum ſumptiones bonorum dicuntur eſſe bonæ. quod probatur ex propoſitione 9. quia hoc conſequitur ſimul,vt malum non habeamus. Deinde depulſiones malorũ. quod etiam ex propoſitione 9. quia hoc conſequitur poſtea, vt bonum habeamus. Tum pro minori bono maioris ſumptio,quia ex duobus bonis ſemper maius eſt eligẽdum. Tum pro maiori malo minoris ſumptio, quia ex duobus malis minus eſt eligendum. Quatenus enim maius ſuperat minus. fit, vt vbi maius bonum eſt,illud ſumatur: vbi vero maius malum, illud reiciatur. Tum virtutes; quod confirmatur ex propoſitione 6. quia his bene afficiuntur, qui eas poſſident: & ex 8. quia idoneæ ſunt ad bona efficienda,& peragenda. Tum voluptas; quod probatur ex propoſitione 3. quia omnia animalia ipſam natura appetunt. Tum iucunda; quod ex 8.quia voluptatis ſunt efficientia. Poſtremo honeſta: quorum quædam probantur ex propoſitione 8. quia voluptatem efficiunt:quædam ex prima, quia propter ſe ſunt expetenda. Altera enumeratio ſex partes complectitur. Primum enim ponitur bonum perfectum,vt felicitas. quod confirmatur ex propoſitione prima,quia propter ſe eſt expetenda: & ex 7. quia ſibi ex ſe ſufficit: & ex 2. quia eius gratia multa eligimus. Deinde virtutes animi,iuſtitia,fortitudo,temperantia,magnanimitas,magnificentia,& alij eiuſmodi habitus.quod probatur ex 6.quia ſunt virtutes,quibus bene afficimur:& ex 8.quia ſunt virtutes bona conficientes. Præterea virtutes corporis, vt ſanitas, & pulchritudo.quod ex 8.qui ſunt conficientes multorum,vt ſanitas voluptatis, & vitæ. Idcirco optimum quiddã videtur, quod duorum apud hominũ multitudinem pręſtantiſſimorũ bonorum cauſſa ſit, voluptatis ſcilicet, & vitæ. Tum bona externa,vt diuitiæ,

364

uitiæ, quæ ſunt virtus poſſeſſionis. quod probatur ex 8. quia ſunt conficientes multorum. Et amicus, & amicitia. quod ex prima, quia amicus eſt quiddam propter ſe expetendum. & ex 8. quia eſt conficiens multorum. Et honor, & gloria, quæ iucunda ſunt. quod probatur ex 8. quia ſunt conficientia multorum. & ex 9. quia conſequitur illud plerunque, vt adſint illa, in quibus honorantur. Tum bona naturalia, vel acquiſita, vt facultas dicendi, agendi. quod probatur ex 8. quia conficientia ſunt bonorum. Ingenium, memoria, docilitas, velox animi motus, omnia huiuſmodi. quod etiam ex 8. quia ſunt facultates bonorũ conficientes. Similiter vero etiam ſcientiæ omnes, & artes. Poſtremo bonum cõmune, vt viuere. quod probatur ex prima, quia ſi nullum aliud bonum ſequeretur, eſt res propter ſe expetenda. Et iuſtum, quia eſt quiddam cõmuniter vtile. Atque hæc quidem ferme ſunt certa, ac confeſſa bona.

Bonorum controuerſorũ tres, & viginti afferuntur propoſitiones. Prima eſt, bonum eſſe, cui contrariũ eſt malum, vt bellum malum eſt: ergo pax bona. Secunda, cuius contrariũ inimicis prodeſt. Vt ſi nos timidos eſſe maxime conducit inimicis, conſtat fortitudinẽ maxime noſtræ ciuitati vtilẽ eſſe. Tertia, cuius contrarium inimici volunt. Itaque recte dictum eſt; Gaudebit certe Priamus. Verba ſunt Neſtoris apud Homerũ lib. 1. Iliadis, qui cum conaretur, Achillis & Agamemnonis contentionem componere, dicit lętaturum eſſe Priamum; & Priami filios, aliosque Troianos valde animo ſuo gauiſuros, ſi audient illos inter ſe decertare. Hoc autẽ non ſemper euenit, ſed plerunq;. nihil enim prohibet, interdum iis, qui inimici ſunt, idem conducere. vnde illud in ore hominũ verſatur; quod mala conciliant homines, cũ ambobus ſit idẽ pernicioſum. Quarta, cuius non eſt nimiũ, vt virtutis non eſt nimium. ergo virtus bona. quod autem maius eſt, quam oportet, malum eſt. Quincta, cuius gratia multũ laboratum eſt, & multũ impenſum. bonũ enim iam tunc videtur: iamq; quod ita comparatũ eſt, vt finis exiſtimatur, iſque multarum curarum, laborum, impẽſarum. finis vero bonus. Vnde illa dicta ſunt; Et certe famam Priamo. Verba ſunt Iunonis lib. 2. Iliadis, quæ cũ Mineruã mitteret ad Græcorũ diſceſſũ prohibendũ, ſignificauit eos multũ infamiæ,

dedecoriſq; ſubituros eſſe, ſi gloriam Priamo, & Troianis reliquiſſent Argiuam Helenam. & Turpe manere diu. Verba ex oratione, qua Vlyſſes lib. 2. Iliadis milites ad prœliũ cohortatus eſt. Vt item, quod labore partum eſt, oſtendatur eſſe bonũ, facit & illud prouerbium, In foribus hydriam. Sexta, quot multi appetunt, & quod apparet pugna dignum. Vt magiſtratus multi appetunt, & propter eos pugnatur. ergo magiſtratus boni. quod enim omnes appetunt, id ſuperius bonum eſſe dicebatur. multi autem perinde ac omnes accipiuntur. Septima, quod laudandum eſt. Vt eſſe diuitem laudandum eſt. ergo bonũ. quia nemo, quod bonum nõ eſt, laudat. Octaua, quod inimici, & improbi laudant. Vt Scipionem etiam Annibal inimicus laudauit, tamquam bonum imperatorem. ergo Scipio fuit bonus imperator. Iam enim quaſi omnes confitentur, cum etiam illi agnoſcant, qui male affecti ſunt. Nam rem confitentur, propterea quod apparet. ὥσπερ καὶ φαῦλοι, οὓς οἱ φίλοι ψέγουσι· καὶ ἀγαθοὶ, οὓς οἱ ἐχθροὶ ἐπαινοῦσι. Vt & improbi, quos amici vituperant, & probi, quos inimici laudant. Victorius immutauit vocem ἐπαινοῦσιν, ſecutusque auctoritatem antiquiſſimi libri ſcripſit μὴ ψέγουσι, nõ vituperant. Muretus legit ὥσπερ καὶ φαῦλοι, οὓς οἱ φίλοι, ψέγουσι, καὶ οἱ ἐχθροὶ μὴ ψέγουσι, & illud delet, ἀγαθοὶ οὓς, ac vertit: Vt cõtra nihili ſint oportet, quos & amici vituperant, & inimici non vituperant. Quocirca ſe Corinthij hoc Simonidis verſu contumelia affectos putarunt; Corinthiis autem Ilium haud iraſcitur. Nona, quod aut prudentium, aut bonorum aliquis, ſiue vir, ſiue mulier, rebus aliis præferendum putauit. vt Vlyſſem Minerua: Helenam Theſeus: Alexandrum Deæ: Achillem Homerus ceteris aliis præſtare exiſtimauit. Decima, quod prælectione dignũ eſt; præeligunt enim vt faciant tum ea, quæ dicta ſunt, tum quæ inimicis mala important, tum quæ amicis bona, tum quæ fieri poſſunt. Quæ vero fieri poſſunt, dupliciter intelliguntur, tum quæ fiunt, tum quæ facile fiunt. Et facilia ſunt illa, quæ vel ſine moleſtia, vel breui temporis ſpacio fiunt. Nam difficile vel moleſtia, vel temporis longitudine metimur. Vndecima, quod euenit, vt volunt. Volunt autem aut id, in quo nihil inſit mali: aut id, in quo malũ minus ſit, quam bonum. Idque huiuſmodi

erit,

349

erit, vt ſi quis reus malit vel crimen celari, ne puniatur, vel eam pœnam ſubire, quæ minima ſit. Duodecima, quod proprium eſt, vnde illud apud Virgilium; Propriamque dicabo. Decima tertia, quod nemo alius habet, Vt quinq; ſumma habuit Craſſus, qui fuit ditiſſimus, nobiliſſimus, eloquentiſſimus, iuriſperitiſſimus, pontifex Max. Decimaquarta, quod eximium eſt. Vt fuerunt aulæa Luculli. ſic enim honor adeſt magis. Decima quincta, quod congruit ipſis. Vt eximia connubia diuitibus. Congruere autem videntur, quæ generi, potentiæ, & viribus conueniunt, decentque ac pro cuiuſque dignitate, & facultate cuilibet videntur debere accedere. Decimaſexta, quod deficere exiſtimatur, etiamſi paruum ſit. nihil enim minus talia præeligunt, vt faciant. Vt Dario aqua deficiebat in maxima ſiti, bibitque aquam turbidam & cadaueribus inquinatam, ac dixit ſe nunquam bibiſſe iucundius. Decimaſeptima, quod commode efficitur. Talia enim fieri poſſunt, vt facilia. Inter illa vero, quæ commode efficiuntur, illa enumerantur, quæ omnes, vel multi, vel pares, ac ſimiles, vel inferiores, & deteriores recte egerunt. Decimaoctaua, quod gratum eſt amicis, & moleſtũ inimicis, vt nos obtinere dignitates, & conſequi doctrinam. Decimanona, quod præeligunt illi, quos admiramur, vt legũ, vel philoſophiæ ſtudium. Vigeſima, in quo ingenioſi ſunt, & experti, vt in ſua quiſque arte. facilius enim arbitrantur ſe recte acturos. Vigeſimaprima, quod nemo improbus eligit. talia enim ſunt magis laudanda. Vox φαῦλος hoc in loco vertitur a Mureto abiectus, ac parui pretij, id eſt, infimus, & deterior ceteris. Vigeſimaſecunda, quod cupiunt, vt honores, & diuitiæ. quod enim quis cupit, non iucundius modo, ſed & melius videtur. Vigeſimatertia, in quo ſinguli tales ſunt; quemadmodum ſtudioſi victoriç, ſi aderit victoria: ſtudioſi honoris, ſi honor: ſtudioſi pecuniarum, ſi pecuniæ: & alij eodem modo. De bono igitur, & vtili, ex quibus fides fieri debeat, hæc dicta ſint.

IN CAPVT SEPTIMVM, *de bonis comparatis.*

QVoniam vero ſępenumero qui confitentur vtrumq; vtile eſſe, de eo, quod vtilius eſt, controuerſantur: ſequitur

deinceps, vt de maiori bono, & vtiliori diſſeratur. Quædam itaque prius, vt quæ maiora, quæque minora fuerint, pateſiat, conſtituuntur: nempe id aliud ſuperare, quod tantum habet, & plus, quam illud, quo eſt ſuperius; quod vero ſuperatur, in eo, quod ſuperat, contineri. Præterea maius quidem, & plus comparatione ſemper, quam habeat cum minori; magnum vero & paruum magnitudine amplitudinis, & multum, & paucum multitudine pluríum ſpectari. Et eſſe quidem magnum, quod amplitudine, ac mole ſuperat, paruum vero, quod ſuperatur; atq. multum, quod multitudine ſuperat, modicum vero, quod ſuperatur. Poſitis his, repetuntur quædam propoſitiones bonorum cõfeſſorum, nempe prima, vt bonum ſit, quod propter ſe, & non propter aliud eſt expetendum: & tertia, quod omnia appetunt, & quod mentem, ac rationem habentia eligerent: & octaua, quod idoneum eſt ad efficiendum, & cuſtodiendum: & nona, quod conſequuntur talia: & ſecunda, cuius gratia eligimus aliud: Talis autem eſt finis; Et finis eſt, cuius gratia alia ſunt: & quincta, quod ipſi accommodatum eſt. Poſt quam repetitionem ſeptem, & ſexaginta propoſitiones traduntur bonorum, vel malorum comparatorum. Prima eſt. plura vno, & paucioribus, cõnumerato vno, vel paucioribus, maius bonum ſunt. ſuperant enim. quod vero in eo, quod ſuperat, continetur, ſuperatur. proptereaque id, quod ſuperatur, minus bonũ erit. Vt ſapientia, & diuitiæ ſimul ſunt maius bonum, quam diuitiæ ſolæ. Secunda eſt, *ἐὰν τὸ μέγιστον τοῦ μεγίστου ὑπερέχῃ, καὶ αὐτὰ αὐτῶν· καὶ ὅσα αὐτὰ αὐτῶν, καὶ τὸ μέγιστον τοῦ μεγίστου.* Si maximũ maximo præſtat, etiam genera generibus: &, ſi genera generibus, etiam maximum maximo. Conuertimus *αὐτὰ* genera facilitatis cauſſa. Intelligenda enim eſſe genera, conſtat ex illis verbis, *ἀνάλογον γὰρ ἔχουσιν αἱ ὑπεροχαὶ τῶν γενῶν, καὶ τῶν μεγίστων ἐν αὐτοῖς.* Vbi *τῶν γενῶν* valet Ipſorum. & *ἐν αὐτοῖς* in generibus. Quæ cauſſa fuit, quamobrem faciliorem lib. 1. Ethicorum reddiderimus Ariſtotelem ſcribentem ſic cap. 6. *πᾶσαι γὰρ ἀγαθοῦ τινος ἐφιέμεναι, καὶ τὸ ἐνδεὲς ἐπιζητοῦσαι, παραλείπουσι τὴν γνῶσιν αὐτοῦ.* Si enim conuertatur, vt verba ſonant; Omnes enim ſcientiæ boni alicuius appetentes, & inquirentes id, cuius indigent, relinquunt cognitionem ipſius; diffi-

difficile erit, quid ſibi velit philoſophus, intelligere. Quare conuertimus τὴν γνῶσιν αὐτοῦ cognitionem generis. Tradit enim omnes ſcientias bonum ſingulare pertractare, & relinquere cognitionem generis, id eſt, eius boni, quod vniuerſale eſt, quatenus ſcilicet agunt. nam ſecus eſt, ſi conſiderentur, quatenus præcepta tradunt. Valet igitur ſic argumentum; Si maximus iuriſconſultus maior eſt maximo philoſopho, etiam generatim iuriſconſulti ſunt maiores philoſophis. & e conuerſo. Si maximus vir maxima muliere maior eſt, ſequitur, vt & viri omnino mulieribus maiores ſint. itemque ſi viri omnino mulieribus maiores ſunt, ſequitur, vt maximus vir maxima muliere maior ſit. Generum enim, & eorum, quæ in quoque genere maxima ſunt, exuperantiæ, eadem inter ſe proportione reſpondent. Tertia, cum illi quidem hoc conſequens eſt, huic vero nequaquam illud, quod non conſequitur, eſt maius. Conſequens vero eſt, vel ſimul, vel poſt, vel facultate. ineſt enim vſus conſequentis in vſu alterius. Et conſequens ſimul eſt, ſi eſt ſanus, vt viuat. At poſterius, ſi diſcit, vt ſciat. Facultate vero, ſi ſacrilegus eſt, vt ſurripiat. Notat Victorius eſſe præter omnium opinionem illud, quod vi huius argumentationis videtur, diſcere ſcilicet plus eſſe, quam ſcire: quia ſcire poſterius conſequitur illud, quod eſt diſcere. At diſcere poſterius non conſequitur illud, quod eſt ſcire. Ergo diſcere, quod non conſequitur, eſt maius, quam ſcire, quod conſequitur. Nobis vero Maioragij probatur explicatio, vt diſcere ſit maius, inſpecta ſcilicet quantitate, non qualitate. Maius enim intelligitur multis modis. Et id, quod non conſequitur, ſat eſt, ſi aliquo modo maius dicatur; vt ſi ſanus eſt, ſimul conſequitur, vt viuat: ſi viuit, ſimul non conſequitur, vt ſit ſanus: ergo ſanum eſſe maius eſt, quam viuere, ſcilicet maius bonum. Si diſcit, poſterius conſequitur, vt ſciat: ſi ſcit, poſterius non conſequitur, vt diſcat: ergo dicere eſt maius, quam ſcire, id eſt, amplius, latius, & generalius. Si ſacrilegus eſt, facultate conſequitur, vt etiam ſurripiat: ſi ſurripit, facultate non conſequitur, vt ſacrilegus ſit: ergo ſacrilegum eſſe maius eſt, quam ſurripere, hoc eſt, maius flagitium. Quarta, quod cum eodem

collatum, maiori parte vincit, ipſum quoque maius eſt. Neceſſe eſt enim, vt & illud ſuperet, quod tertio illo maius eſt. Vt Dictatura magis ſuperat Præturam, quam Conſulatus. ergo Dictatura eſt maior conſulatu. Quincta, quod eſt efficiens maioris boni, maius eſt: hoc enim ſignificabat eſſe efficiens maioris. Vt philoſophia eſt efficiens maioris boni, quæ curat animum, quam Medicina, quę curat corpus. Sexta, cuius efficiens eſt maius, etiam ipſum eſt maius. Vt ſalubre efficiens ſanitatis eſt magis eligendum, & maius bonum, quam iucundum efficiens voluptatis. ergo ſanitas eſt maius bonũ, quam voluptas. Septima, quod magis propter ſe expetendum eſt, maius eſt eo, quod non propter ſe. Vt robur melius eſt re aliqua ſalubri. Nã hæc non propter ſe: : at illud propter ſe expetitur; quæ dicebatur eſſe boni natura. Octaua, quod eſt finis, quam quod nõ eſt finis. Hoc enim propter aliud expetitur: illud propter ſe. Vt bona habitudo corporis eſt finis exercitationis. Nona, quod minus indiget alio, aut aliis. quod enim tale eſt, magis ipſum ſibi ex ſe ſufficit. Minus autem indiget, quod indiget aut paucioribus, aut facilioribus. Sapiens pauper minus indiget, quã auarus diues. Decima, quod magis ſibi ſufficit, vt Sol, quam Luna. cum enim hoc quidem ſine illo aut non eſt, aut ne contingere quidem poteſt. at illud ſine hoc poteſt, profecto hoc minus, illud maius eſt. Magis enim ſe contentum eſt id, quod alio non indiget. Itaque maius bonum videtur. Vndecima, quod principium eſt, maius eſt eo, qnod principium non eſt. Quo pertinet illud, quod paullo infra legitur, quod Leodamas Calliſtratum accuſans, maiorem culpam eſſe dicebat eius, qui cõſilium dediſſet, quam qui facinus perpetraſſet. Neque enim futurum fuiſſe, vt fieret, niſi conſilium anteceſſiſſet. Duodecima, quod eſt cauſſa, ſcilicet finis, maius eſt eo, quod non eſt cauſſa. Quo etiam refertur illud, quod idę Leodamas rurſus accuſans Chabriam, dixit grauiorem eſſe iniuriam eius, qui feciſſet, quam eius, qui conſilium dediſſet. Nihil enim nociturum fuiſſe conſilium, niſi, qui illud exequeretur, extitiſſet: nam & omne conſilium ad agendum referri. Decimatertia, ex duobus principiis, quod eſt a maiori principio maius eſt. Vt eques factus a Rege eſt maior, quam a Duce. Decimaquarta, ex duabus cau-

351
ſis,ſcilicet finibus,quod eſt a maiore cauſſa,maius eſt. Vt quod fit propter honeſtatem, quam quod propter vtilitatem. Decimaquincta e conuerſo, ex duobus principiis maioris principium maius eſt. Vt Imperator efficiens victoriæ maior eſt, & dignior,quam Architectus efficiens ædificij. Decimaſexta,ex duabus cauſſis,id eſt,finibus,quæ maioris cauſſa eſt,maior eſt. Vt honeſtas maius eſt bonum, quam lucrum. Decimaſeptima,quod eſt rarius, maius eſt, quam quod abundat, vt aurum, quam ferrum.quamuis enim minor ſit vſus,& vtilitas auri:tamen,quia difficilius comparatur,maior eſt eius poſſeſſio. Decimaoctaua copioſum,quam rarum,quod eius vſus maior ſit. nā id, cuius vſus frequens, & multus eſt, præſtat iis, quibus nec ſæpe,nec pluribus in locis vtimur. Vnde dicitur; Optima quidem aqua, apud Pindarum in prima Ode Olympiorum, vbi oſtenditur, aquam eſſe optimam elementorum, aurum optimum metallorum, Olympicum certamē optimum certaminum. Decimanona, difficilius, quam facilius, quia rarius. Vt fieri ſapientem,quam diuitem. Vigeſima, facilius, quam difficilius: ita enim ſe habet,vt volumus. Vt fieri equitem, quam doctorem. Vigeſimaprima, cui eſt maius cōtrarium,& ipſum maius eſt. Vt ſanitati eſt maius contrarium, quam diuitiis ergo ſanitas eſt maius bonum,quam diuitiæ. Vigeſimaſecunda, cuius priuatio maior,& ipſum maius.Vt libertatis priuatio eſt maior,cum quis ſit ſeruus,quam ciuitatis, cum quis pellitur in exilium.ergo libertas maius bonum,quam ius ciuitatis. Vigeſimatertia,virtus,quam non virtus,maius bonum eſt.Vt fortitudo, quam acceſſio ad fortitudinem. Vigeſimaquarta, vitiū, quam non vitium maius malum eſt. Vt intemperantia,quam acceſſio ad intemperantiam.Virtus enim,& vitium fines ſunt. alia vero nondum ad finem perducta. Vigeſimaquincta,quorum opera maiora ſunt,ea maiora ſunt.Vt Pompeij opera honeſtiora, quam Cæſaris; & Catilinæ opera turpiora, quā Clodij. ergo illi maiores,ſcilicet vel honeſtiores,vel turpiores. Vigeſimaſexta,quorum vitia,& virtutes maiores ſunt,etiā opera maiora ſunt. ſiquidem vt cauſſæ, & principia ſe habent,ita etiā euenta:& vt euenta,ita etiam cauſſæ. Maior iniuſtitia fuit Cæſaris, quā Syllæ. maior clementia Cæſaris, quam Pompeij. er-

go etiam maiora opera illius, quam huius. Vigeſimaſeptima, quorum exuperantia electione dignior eſt, vel honeſtior, illa maiora ſunt. quemadmodum exquiſite videre electione dignius eſt, quam odorari. Nam viſus præſtat odoratui. & eſſe ſtudioſum ſodalium, quã pecuniarum honeſtius eſt. Quare etiam ſtudium ſodalium, quam pecuniarum. Vigeſimaoctaua, rerum meliorum exuperantiæ meliores ſunt, vt viſus, quam odoratus: & honeſtiorum honeſtiores, vt ſodaliũ, quam pecuniarum. Vigeſimanona, quarum rerũ cupiditates honeſtiores ſunt, vel meliores, illæ ſunt maiora bona, vt doctrinæ, quã pecuniæ: maiores enim appetitiones ſunt rerũ maiorum. Trigeſima, rerum honeſtiorum, vel meliorũ cupiditates ſunt meliores, & honeſtiores propter idem, vt doctrinæ, quam pecuniæ. Trigeſimaprima, quarum rerum ſcientiæ honeſtiores, vel meliores ſunt, etiam illæ honeſtiores, vel meliores ſunt, vt iuris ciuilis, quam Medicinæ. Vt enim ſcientia ſe habet, ita etiã id, quod verum eſt. Præcipit autẽ vnaquæque, quod ſuum eſt. Trigeſimaſecunda, rerum meliorum, & honeſtiorũ ſcientiæ meliores ſunt, & honeſtiores ex proportione eadem de cauſſa. vt iuris ciuilis, quam medicinæ. Trigeſimatertia, quod iudicarent, vel etiam iudicarunt prudentes, aut omnes, aut multi, aut plures, aut optimi bonum, vel maius eſſe, neceſſe eſt illud ſic ſe habere, vel ſimpliciter, vel quatenus ex prudentia iudicarunt. Eſt vero hoc quidem commune cum aliis rebus, non autem proprium bonorum. Etenim quid, & quale, & quantum ſic ſe habet, vt ſcientia, & prudentia affirmauerit. Verũ de bonis dictum eſt. Nam definitum eſt bonum, vt ſit illud, quod vnumquodque eorum, quæ prudentiam ſuſcepiſſent, eligeret. Manifeſtum eſt igitur id etiam eſſe maius bonum, quod prudentia magis expetendum eſſe dictat. Vt honeſte mori, quam turpiter viuere. Trigeſimaquarta, quod ineſt melioribus, vel ſimpliciter, vel quatenus meliores ſunt. Vt cum animus præſtet corpori, etiam fortitudo animi potior eſt robore corporis. Trigeſimaquincta, quod eligeret melior, aut ſimpliciter, aut quatenus melior eſt, vt iniuria affici præſtat, quam inferre iniuriam. id enim iuſtior eligeret. Trigeſimaſexta, voluptarium, quam minus voluptarium: voluptatẽ enim ſequuntur omnia, & pro-

& propter ipſam appetunt delectari. quæ vero omnia appetũt, ante conſtitutum eſt bonum eſſe, ac finem. finis autem bonus eſt. Voluptarium vero magis eſt, tum minus moleſtum, tum diutius voluptarium. Trigeſimaſeptima, honeſtius, quam minus honeſtum. eſt enim honeſtũ aut iucundum, aut per ſe dignum electione. Opes partæ virtute ſunt honeſtiores, quã partæ fœnore. Trigeſimaoctaua, quorũ ipſi ſibi, aut amicis cauſſa eſſe malunt, ea ſunt maiora bona: quorũ vero minime volunt, maiora mala. Vt malunt eſſe cauſſa ſibi, aut amicis longæ vitę, ſanitatis, quietis: minime volunt cõtrariorum. Trigeſimanona, diuturniora, quam minus diuturna, vt bona animi, quam corporis, & fortunæ. Quadrageſima, firmiora, quam minus firma, vt optimarum artium cognitio, quam diuitiarum poſſeſſio. Superat enim vſus, illorum quidem tempore: horũ vero voluntate. nam, quando volunt, adeſt magis vſus rei firmæ. Quadrageſimaprima, quod maioris eſt coniugatum. Vt quod fortiter agitur, honeſtius eſt, & dignius electione, quam quod temperãter agitur: & eius, quod fortiter agitur, coniugata ſunt fortitudo, & fortis: atque eius, quod temperanter agitur, tẽperantia, & temperans. ergo fortitudo eſt electione dignior, quã temperantia: & eſſe fortem eſt electione dignius, quã eſſe temperantem. Quadrageſimaſecunda, quod omnes eligũt, quam quod non omnes, vt ſapientem eſſe, quam diuitias poſſidere. Quadrageſimatertia, quod plures, quã quod pauciores. Vt enim ante id bonũ dictum eſt, quod omnes appetunt, ita id hoc in loco eſt maius bonũ, quod magis, & plures appetunt. Vitam ciuilem plures eligunt: ſolitariam pauciores. Quadrageſima quarta, quod illi, qui controuetſantur, vel qui inimici ſunt, vel iudicantes, vel quos iſti iudicant, affirmant maius eſſe. illud enim eſt, perinde ac ſi omnes affirmarent: hoc vero perinde ac ſi potentes, & ſcientes. Annibal apud Antiochum aliis prætulit Africanum, quamuis inimicus. Quadrageſimaquincta, interdum cuius omnes participes ſunt, id maius eſt: dedecus enim eſt, participem non eſſe, quale bonum eſt habere ius ciuitatis. Quadrageſimaſexta, interdũ cuius nemo, aut cuius pauci, quia rarius. cuiuſmodi bonũ eſt appellari parentẽ patriæ. Quadrageſimaſeptima, laude digniora, quia honeſtiora, vt ingeniũ, quã robur. Quadrageſimaoctaua, quarum rerum honores ſunt

maiores, illæ ſunt maiores, vt iuris ciuilis, quam medicinæ. Quadrageſimanona, ὧν αἱ ζημίαι μείζους. quarum rerum pœnæ maiores ſunt, illæ maiores ſunt. Secuti ſumus Victorij explicationem, vt loquatur philoſophus de maiori malo; cum ſine dubio id, quod maius eſt, ipſe conſideret modo bonũ, modo malum; etiamſi nõ deſint, qui τὰς ζημίας intelligunt iacturas, vt doceat illa bona eſſe maiora, quorum iacturæ maiores ſunt; & reſpiciat locum, quem lib. 3. Topicorum appellat ἀπὸ τῶν ἀποβολῶν, id eſt, ex abiectionibus, de quo legitur in hanc ſententiam; Similiter autem in abiectionibus, & in contrariis. Nã ſi abiectio, vel contrarium eſt fuga dignius, ipſum eſt electione dignius. Quam interpretationẽ ne ſequamur, facit illud, quod idem videtur ſignificare Philoſophus ibi, καὶ οὗ τὸ ἐναντίον μεῖζον· καὶ οὗ ἡ στέρησις μείζων. Et cui quod eſt contrarium, maius eſt. Et cuius priuatio maior. Quinquageſima, quæ maiora ſunt iis, quæ conceſſa ſunt, vel videntur eſſe magna, illa maiora ſunt. Vt gloria eſt maior diuitiis. Quinquageſimaprima, quæ diuiduntur in partes, illa videntur maiora. multorum enim tunc videtur exuperantia. Vnde poeta ait, vxorem perſuaſiſſe Meleagro, vt excitaretur, dicentem,

Quot mala concurrunt, quoties ſunt oppida capta!
Intereunt ciues, vrbem depaſcitur ignis,
Abducunt alij natos, matreſque decoras.

Bellum enim gerebatur inter Ætolos, & Curetes, dum Oeneus maritus Altheæ, & pater Meleagri, Rex eſſet Ætolorum. Cum autem Oeneus aliis ſacrificaſſet diis pro ſuſceptis frugibus, ſolique Dianæ primitias non obtuliſſet, ab ea ingens aper eſt excitatus, qui regionem Calydonis vrbis, quam oppugnabant Curetes, deuaſtabat. Meleager vero aprum illum interfecit, cuius exuuias Atalantæ dedit, quã perdite amabat, auunculoſque Toxeum, & Plexippum auferre conantes interfecit; ac propter matris increpationes amplius contra Curetes non pugnabat, quoad ipſi turres conſcenderunt, vrbemque incendere cœperunt. Tunc Cleopatra vxor eiulans eum excitauit, eique omnia recenſuit mala, quæcunque hominibus contingunt, quorum vrbs capiatur. idque lib. 9. Iliadis. Quinquageſimaſecunda, quę cõponuntur, quaſique inædificantur, augentur;

tur; tum ob eandem cauſſam, qua fit, vt creſcant, cum per partes explicantur; videtur enim compoſitio magnam exuperantiam indicare: tum quia principium, & cauſſa magnarum rerum videtur. Quinquageſimatertia, quæ augentur ex circumſtantiis, illa maiora ſunt. Ac profecto, quoniam quod difficilius eſt, & rarius, maius eſt, etiam occaſiones, & ætates, & loca, & tempora, & facultates magnitudinem rebus conciliant. Si enim quis ſupra facultatem, & vires, ſi ſupra ætatem, ſi ſupra eos, qui eiuſdem ordinis ſunt, ſi eo modo, aut loco, aut tempore ex iis, quæ honeſta, quæ bona, quæ iuſta ſunt, vel etiam ex horum contrariis, aliquid effecerit; hæc omnia magnitudinem habent. Vnde extat epigramma in Olympionicen, & victorem Olympiorum;

His humeris dura impoſita mihi corbe redibam
Ex Argo preſſus piſcibus ad Tegeam.

Item Iphicrates ſe ipſum deprædicabat, qui a ſutore ortus dux eſſet exercitus Athenienſiũ, inquiens; Ex quibus in quæ perueni? & quã ex humili, atq; obſcura fortuna ad hanc imperatoriã laudem perductus ſum? Quinquageſimaquarta, natiuum maius bonum eſt, quam aſcitũ. difficilius enim eſt. Vnde & poeta ait; Sum mihimet doctor. Cum enim Vlyſſes procorum cædem ageret, & Phemium quoq;, qui cum Procis canebat, necare vellet, ab eo exoratus eſt diligenti precatione, in qua ipſe dixit, ſe per ſe doctum eſſe, ſibique a Deo in mente cantilenas omnes productas, lib. 22. Odyſſeæ. Quinquageſimaquinta, rei magnæ præcipua pars præſtat. Hinc Pericles laudans eos, qui pro patria dimicantes interfecti eſſent, dicebat, iuuentutem ex vrbe fuiſſe ſublatam, perinde ac ſi ver ab anno detractũ eſſet. Quinquageſimaſexta, quæ, dum maior aliqua neceſſitas vrget, vtilia ſunt, maiora iudicantur, vt in ſenectute, & morbo. Quinquageſimaſeptima, ex duobus, quę ad eundem finem referuntur, maius eſt id, quod propius finẽ attingit. Quare quiuis ad aciem hoſtium profligandam potiores duceret inſtructas copias, quam paratas pecunias. Quinquageſimaoctaua, quod nobis bonum eſt, maius eſt, quam quod ſimpliciter bonum. Vt gallo milium, capellæ ſalices. Quinquageſimanona, quod fieri poteſt, maius eſt, quam quod fieri non poteſt. illud

enim ad nos attinet, a nobiſque obtineri poteſt: hoc vero minime. Vt longinquitas vitæ melior eſt nobis, quam immortalitas. illam enim obtinere poſſumus: hanc nõ poſſumus. Sexageſima, quæ finẽ, qui in vita expetitur, attingunt, maiora ſunt. nam ad finis naturam propius accedunt, quæ finem attingũt. Vt virtus, & virtutis actio. Sexageſimaprima, quæ ad veritatẽ ſpectant, maiora ſunt iis, quæ ad opinionem. nam ea eſt eorũ, quæ ad opinionem referuntur, definitio, vt ſcilicet quod nulli notum, ſed occultum, ac latens futurum ſit, non eligatur. Itaque accipere, quam dare beneficium, potius videtur. accipere enim beneficium, tametſi lateret, expeteretur: dare vero, ſi lateret, non videretur optandum. Sexageſimaſecunda, quæcunque nobis adeſſe malumus, quã videri adeſſe, ea maiora ſunt: ad veritatem enim magis ſpectãt. Vnde & iuſtitiam puſillum quiddam eſſe aiunt, quod videri iuſtum, quam eſſe præſtet. At de bona valetudine id non contingit. nemo enim eſt, qui non ſe ſanum eſſe, quam videri malit. Sexageſimatertia, quod ad plura vtilius eſt, id maius eſt. Vt ad vitam, ad bene, beateq; viuendum, ad voluptatem, ad præclara, honeſtaque peragenda. Quare, & diuitiæ, & ſanitas res maximæ videtur eſſe. his enim illa omnia aſſequi poſſumus. Sexageſimaquarta, quod lõgius a dolore abeſt, ſimulque continet voluptatem, maius eſt. ſunt enim plura vno. Quare cum & voluptas bonum ſit, & indolentia, duobus in vnum coeuntibus totum magis efficitur. Sexageſimaquincta, ſi duo aliqua ſint, quorum vtrumuis eidem alicui rei adiungere liceat, quod adiunctum illam maiorem faceret, id maius quoque videri debet. Vt fortitudo adiuncta principi eum maiorem reddit, quam temperãtia. Sexageſimaſexta, quæ cum adſunt, non latent, maiora ſunt iis, quæ latent. ea enim tendunt ad veritatem. διὸ τὸ πλουτεῖν, φανείη αὖ μεῖζον ἀγαθὸν τοῦ δοκεῖν. Quamobrem diuitem eſſe videri poſſet maius bonum, quam videri. Muretus legit, διὸ καὶ τὸ πλουτεῖν καὶ δοκεῖν, φανείη αὖ μεῖζον ἀγαθὸν τοῦ πλουτεῖν. & vertit; Quocirca diuitem & eſſe, & videri, maius bonũ videri poteſt, quam diuitem eſſe. Sexageſimaſeptima, quod amabile, & charum eſt, in maioribus collocatur bonis; atque aliquibus quidem ſolum per ſe, aliquibus vero etiam ſimul cum aliis rebus aliquid charum eſt.

354

eſt. ac propterea nec par eſſet damnum, ſi quis oculum ei, qui altero careret, atque ei, qui duos haberet, erueret. ei enim, qui altero caruiſſet, quod ſolum charum relictum erat, videretur fuiſſe ablatum, proptereaque maius damnum illatum. Qua de re legendus eſt Demoſthenes contra Timocratem. Ac vnde quidem ducenda ſint argumenta, tum ad ſuadendum, tum ad diſſuadendum, fere ſatis dictum eſt.

IN CAPVT OCTAVVM, *de moribus Rerump.*

EXponitur primum, cur de Rebusp. agendum ſit. Maximũ enim, & omnium caput eſt, ad perſuadendum, & egregie deliberandum noſſe omnes Rerump. ſtatus, atque mores ſingularum, & inſtituta, & quæ vnicuique vtilia ſint, poſſe diſtinguere. perſuaſio enim fit apud omnes eo ipſo, quod vtile eſt. Vtile vero eſt, quod ciuitatem conſeruat. Deinde explicantur genera Rerump. ex quibus dominatus diſtinguuntur. Ac dominatus quidem eſt domini præſcriptum. Varius autẽ eſt dominatus pro varietate Rerumpublicarum. Quot enim Reip. genera ſunt, totidem dominatus ſunt. Et Reip. genera enumerantur quattuor, vocabulis Græcis hæc, Democratia, Oligarchia, Ariſtocratia, Monarchia: verbis Latinis hæc, populi poteſtas, paucorum dominatus, Optimatum ditio, Vnius imperiũ. Itaque quod in ciuitate dominatur, ac decernendi obtinet poteſtatem, horum aut aliqua pars, aut totum aliquid ſit, neceſſe eſt. In caput quartũ notauimus ex ſententia Ariſtotelis Remp. rectam eſſe triplicem, & prauam itidem triplicem, ita vt ſi ſpectentur tam bonæ, quam malæ Reſp. ad ſex genera redigantur. Hoc tamẽ in loco dicuntur eſſe quatuor genera Rerump. ex opinione aliorũ, quemadmodũ ipſe philoſophus teſtatur libri quarti Politicorum cap. 7. ad hunc modũ; Dicunt quattuor eſſe Reſp. Monarchiam, Oligarchiã, Democratiam, quartam autem appellatam Ariſtocratiam, id eſt, imperium vnius, dominatum paucorum, poteſtatem populi, ditionẽ optimatum. Quincta vero eſt, quæ vocatur cõmuni nomine omniũ. Politiã enim & Remp. appellant. Verũ quia nõ crebro exiſtit, fallit eos, qui ſpecies Rerump. nituntur enumerare: & quattuor ſolũ vtuntur, quemadmodum Plato in libris de Rep. Hæc ille. Verum ſi Democratia intelligatur eſſe duplex, vna bona, quæ in

Politicis dicitur Politia, in Ethicis Timocratia, altera mala, quę proprie dicitur Democratia, itemque Monarchia duplex, vt paullo infra legitur. nempe Regnum, & Tyrannis: ex quattuor generibus Rerump. ſex fient. Qua de re valde miratus ſum ami cum quendam meum, qui ſcripſit bonas Resp. eſſe tres, Regnum, Ariſtocratiam, Democratiam: totidemque malas, Tyrannidem, Oligarchiam, Confuſionem: & huiuſmodi quidem enumerationem ſuam ex Politicis, atque Ethicis ſumpſit: ſed illud variauit, quod pro Politia, & Timocratia nominauit Democratiam, & pro Democratia Confuſionem. Quod qua ratione fecerit, ipſe viderit. Tertio loco ſingulæ Resp. definiuntur. Et Democratia, ac ſtatus popularis dicitur eſſe Resp. in qua ſorte diſtribuuntur magiſtratus. Oligarchia, & paucorum dominatus, in qua ex cenſu. Ariſtocratia, & optimatium ditio, in qua ex diſciplina. Dico autem diſciplinam, quæ legum inſtitutis continetur. qui enim a legibus, quibus aſtricti ſunt, & legitimo iure non recedunt, in eo ſunt ſtatu, qui optimatum eſſe dicitur. neceſſe quippe eſt hos videri optimos, a quibus, quia Græce ἄϱιστοι appellantur, etiam eorum Resp. Ariſtocratia dicitur. Vnius vero imperium eſt, vt Monarchiæ verbum indicat, cum vnus omnium eſt dominus. hæc itaque ſi ordine quodam adminiſtrantur, regnum appellabitur: ſi immoderate, & infinita licentia, Tyrannis. Quarto loco traduntur quattuor fines Rerump. Neque enim, qui ſit cuiuſque Reip. finis oportet latere. ij namque, quibus perſuademus, illa eligunt, quæ ad certũ finem feruntur. Ac Democratiæ quidem finis eſt libertas; & populi dominatus ſiue ſit bonus, ſiue malus, libertatem ſuam propoſitam habet. Oligarchiæ vero, & factionis paucorũ finis ſunt diuitiæ. At Ariſtocratiæ, & Reip. optimatium finis eſt poſitus in iis, quæ ad diſciplinam pertinent, & inſtituta. *Τυϱαννίδος δὲ φυλακή*, Tyrannidis autem cuſtodia. Ante hæc verba Muretus legit, *βασιλείας δὲ, τὸ ἐννόμως ἐπιστατεῖν*, quæ cum repoſita in quodam excuſo libro forent, Victorius ait, idcirco ſe deleuiſſe, quod neque in vllo ſcripto libro ipſa inuenerit, neq; in Aldino exemplari legantur, nec in vetere tralatione veſtigium vllum eorum extet, ita vt ex ingenio ab aliquo quod deſiderari videtur, reſtitutum exiſtimarit. Muretus igitur ſic vertit;

tit; Regno ex legibus præeſſe: Tyrannidi cautio, & cuſtodia. Nos eum decipi arbitramur, qui verba interiiciat, quæ gloſſema ſint; cogitandumque proponimus, num idcirco Ariſtoteles finem Regni prætermiſerit, quia idem eſſe, ac Tyrannidis videatur. Rex enim propoſitum habet, vt ſe cuſtodiat propter publicam vtilitatem: Tyrannus itidem propter ſuum ipſius commodum. Facere non poſſumus in hac materia Rerump. quin obiter adnotemus, diſſentire nos quoque à Mureto de Repub. Hippodami. Is enim variarum lectionum libri primi cap. 14. ſcribere audet, Ariſtotelem non ſatis bona fide verſatū eſſe in Rep. Hippodami reprehendenda, quod libri ſecundi Politicorum cap. 6. affirmet, talem Remp. fuiſſe in tres partes diſtributam, *τεχνίτας, γεωργοὺς, τὸ προπολεμοῦν, καὶ τὸ ὅπλα ἔχον*, artifices, agricolas, & propugnatores, ac armatos homines; & hoc modo ciuitatem ſine conſilio, tamquam corpus ſine animo factam eſſe. Quod ſi verum eſſet, tamquam inſcientem quempiam, & imperitum reprehendi Hippodamum debuiſſe: ſed aliter, quam tradit Ariſtoteles, Remp. ſuam conſtituiſſe, auctore Stobæo *ἐν τῷ περὶ πολιτείας*, tresque eius partes feciſſe; primam eorum, qui conſilio ciuitatem gubernarent: alteram eorum, qui eandem armis defenderēt: tertiam eorum, qui artes neceſſarias exercerent, & in hanc partem poſtremam opifices, & agricolas, & mercatores incluſiſſe. Itaq; Muretus maiorem habet fidem Stobęi fragmento, quod vbi inuentum ſit, non ſatis conſtat, quam tanti philoſophi auctoritati, quē quidem nobis non probatur tam impudentem, & imprudentem fuiſſe, vt ea de re falſum ſcripſerit, eo præſertim tempore, cum facile redargui poterat, ſi id feciſſet, tot ante ſeculis, quam Muretus naſceretur, & talem falſitatem aperire profiteretur. Victorius variarum lectionum libri 38. capit. 2. huiuſmodi repugnantiam confitetur: ſed Ariſtotelem defendit, quod alius fuerit Hippodamus Ariſtotelis, nempe Mileſius, vt ipſe ait, *ἱππόδαμος εὐρυφῶντος μιλήσιος*, & hoc modo Ionicus, & lingua Ionica vtens (nam Miletus Ioniæ vrbs fuit) præterea non Pythagoreus: alius Hippodamus Stobæi, ſcilicet Doricus, & Italicus, vt ex phraſi illius fragmenti perſpicitur, ac Pythagoreus, vt etiam ad oram libri vocatur. Atque hæc Victorius; quaſi

hominès vnius nationis, & idiomatis non ſæpe quoque alienis linguis vtantur; vt in libro ad varias lectiones adiuncto argumentatur Muretus: & quaſi etiam Hippodamus Ariſtotelis eſſe Pythagoreus non potuerit, quamuis id expreſſum non ſit. Nos, quod ſcribit Muretus, tam falſum eſſe, quam quod falſiſſimum, arbitramur, prætermiſiſſe Hippodamum Ariſtotelis eam partem, quæ ciuitatem conſilio gubernat: Tametſi enim Remp. in tres partes diuidebat, τεχνίτας, γεωργοὺς, τὸ ὅπλα ἔχον: tamen non ſolum, vt idem philoſophus affirmat, ἐνομοθέτει δικαστήριον ἓν τὸ κύριον, εἰς ὃ πάσας ἀνάγεσθαι δεῖν τὰς μὴ καλῶς κεκρίσθαι δοκούσας δίκας, τοῦτο δὲ κατεσκεύαζεν ἔκ τινων γερόντων αἱρετῶν, lege ſua vnum iudicum cõſeſſum faciebat, cuius ſumma eſſet poteſtas, & ad quem referri oporteret eas res, quę minus benę iudicatæ viderentur, atq; hunc conſtituebat ęx quibuſdam ſenibus ſelectis: verumetiam ἐτίθει νόμον, τοὺς ἄρχοντας αἱρετοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου εἶναι· δῆμον δ' ἐποίει τὰ τρία μέρη τῆς πόλεως, τοὺς δ' αἱρεθέντας ἐπιμελεῖσθαι κοινῶν, καὶ ξενικῶν, καὶ ὀρφανικῶν, legem ferebat, vt magiſtratus omnes a populo eligerentur: populum autem faciebat tres illas partes ciuitatis: deinde vt qui lecti eſſent, curam haberent & rerum ciuitatis communium, ſeu vrbanarum, & earum, quæ ad peregrinos, & earum, quæ ad pupillos parentibus orbatos pertinerent. Hic nobis videtur illos comprehendiſſe, qui conſilio Remp. gubernarent. nihilque mea quidem ſententia erat, cur in hominum conditionibus tales ſenes poneret, qui ſenatum conſtituebant, taleſque ciuitatis gubernatores, quia eiuſmodi non naſcebantur; ſed, cum omnes aut ex ordine artificum, aut ruſticorum, aut militum naſcerentur, poſtea ex his tribus hominum generibus, qui Remp. gubernarent, ſeligebantur. Accedit, quod repugnantia, quam confitetur Victorius, nobis eſſe magis in verbis, quam in re ipſa videtur, cum idẽ fere ſit, ſi dicatur, tres eſſe partes Reip. artifices, agricolas, homines militares, ex quibus ſeligerentur, qui ciuitatem conſilio regerent: ac ſi dicatur, tres eſſe partes, vnam, quæ conſilio Remp. gubernaret, alteram, quæ armis eam defenderet, tertiam quę artes neceſſarias exerceret, in qua parte eſſent opifices, & agricolæ. Itaque ſi res ipſa ſpectetur, potuit eſſe idem Hippodamus, qui res illas exiſti-

356

exiſtimauerit. Mirumque illud eſt, quod ſupponit Victorius, duos eiuſdem nominis eadem de re conſcripſiſſe. Neque vero omittendum eſt, ſi ille Hippodamus rem tam præcipuam prætermiſiſſet, non relicturum fuiſſe Ariſtotelē tam grauem reprehenſionem, qui alias multo leuiores eſt perſecutus. Sed ad Rhetoricam reuertamur. Traditur poſtremo Reip. mores eſſe cognoſcendos, vt ad eos deliberatio accommodetur. Manifeſtum igitur eſt, mores, qui pertinent ad cuiusque finem, & inſtituta, & vtilia diſtinguenda eſſe, ſiquidem eligunt ad eum referentes. Ac quoniam non ea tantum oratione fit fides, quæ argumentis nititur, ſed etiam ea, qua dicentis mores exprimuntur (credimus enim, quia talem eſſe eum, qui dicit, opinamur, id eſt, virum bonum, aut beneuolentem, aut vtrunque) nobis quoque tenendi ſunt mores cuiusque Reip. Nam in vnaquaque Rep. mores ipſius maximam vim ad perſuadendum habeant, neceſſe eſt. Ex iiſdem vero hæc ipſa intelligentur. Etenim mores cognoſcuntur ex prælectione: prælectio vero refertur ad finem. Ac quæ quidem ſibi proponere debeant ij, qui ſuadent, vt futura, aut quæ iam ſint: & vnde ſumenda ſint, quibus fides fiat, aliquid vtile eſſe: itemque de moribus, & inſtitutis cuiusque Reip. quomodo vberem eorum cognitionem nobis parare poſſimus, dictum eſt, quantum temporis ratio poſtulare videbatur: accuratius enim de hoc toto genere in Politicis eſt diſputatum.

IN CAPVT NONVM, *de genere demonſtratiuo, & rebus honeſtis, ac laudabilibus.*

DVas ob cauſſas agendum eſt de virtute, & vitio, honeſto, & turpi. Primū quia huiuſmodi eſt finis generis demonſtratiui, & res tales propoſitas habet is, qui laudat, & qui vituperat. Deinde quia hoc pertinet ad ſecundum artificium inuentionis in moribus poſitum. mores enim dicuntur ſecundam fidem continere. Alibi tamen commemorati ſunt mores tamquam prima fides. Sic enim ſupra legitur cap. 2. Ac quæ ratione excogitatur, fides triplex eſt. nam partim conſiſtit in

moribus eius, qui dicit: partim in eo, vt auditor afficiatur aliquo modo: partim in ipſa ratione, quod demonſtret, aut demonſtrare videatur. Hic igitur mores ſunt prima fides: affectus ſecunda: argumentatio tertia: ea fortaſſe ratione, quod cũ mores, & affectus perſonis, argumẽtationes rebus attribuantur, perſonæ rebus ſint digniores. Paullo vero poſt in eodem capite ſignificatur, mores eſſe ſecundam fidem, inſpecta ſcilicet potentia, & facultate perſuadendi, cum prima ſine dubio ſit argumentatio. Sic enim de moribus legitur; Sed propemodum, vt ita dicam, potentiſſimam continent fidem mores. Dicitur Propemodum: quia potentius eſt enthymema, quod capite primo appellatum eſt corpus, & robur fidei, ac dictum eſt ad faciendam fidem potẽtiſſimum eſſe. Si igitur ſpectetur vis perſuadendi, prima fides eſt argumentatio, ſecunda mores, tertia affectus; præſertim in eo genere, quod eodem capite primo pulchrius, & ciuilius nominatum eſt, nempe deliberatiuo, vbi plus mores valent, quam affectus. nam in genere iudiciali, vbi affectus plus virium habent, quam mores, Prima fides in argumentationibus conſiſtit, ſecunda in affectibus, tertia in moribus. Scriptum enim eſt libri ſecundi capite primo in hunc modum; Ac cuiuſdam quidem modi apparere oratorem, vtilius in conſiliis eſt: affectum vero eſſe aliquo modo auditorem, in iudiciis. & huius libri capite primo traditum eſt, minus prodeſſe dicere ea, quæ ſunt extra rem, quæque pertinent ad affectus, in deliberatiuis: at in iudiciis maxime affectus locum habere, etiamſi in Areopago animorum commotio prohibita fuerit. Iam ſi de virtute, & honeſto dicetur, continget ſimul etiam, vt illa aperiantur, per quæ homines nos probata vita, & bonis moribus eſſe arbitrabuntur. quod eſt ſecundum de tribus, quibus fides, quam ars parit, continetur. quibus enim ex locis aliquem laudibus ornamus, ex iiſdẽ poterimus & de noſtra, & de alterius virtute eam opinionem inſerere, qua fide digni videamur.

Quemadmodum autem in genere deliberatiuo declaratũ eſt, de quibus, & ex quibus ſit deliberatio: ſic in demonſtratiuo traditur, de quibus, & ex quib. ſit laudatio. Ac de quattuor quidem eſt: ſæpenumero enim contingit, vt tum oblectationis,

ac exer-

354
ac exercitationis gratia, tum neceſſitate aliqua adducti laudemus non ſolum Deum, & hominem, ſed etiam animalia ratione carentia, & inanima. de quibus vt antea de rebus, quæ ad deliberandum pertinent, factum eſt, ita & nunc ſumendæ ſunt propoſitiones. Quare de ipſis, quantum licet ei, qui exactam, perfectamque tractationem non perſequitur, ſed ſimpliciter res veluti exemplar proponit, eſt differendum.

Cum vero omnis laudatio ducatur ex propoſitionibus honeſti, definitur primum honeſtum duobus modis, quod cum per ſe eligendum ſit, laudabile eſt. Vel quod cum bonum ſit, propter bonitatem iucundum eſt. Deinde affertur prima propoſitio honeſti, vt virtus honeſta ſit: bona enim cum ſit, laudabilis eſt. Cumque lib. 2. Ethicorum capite ſexto definiatur virtus, vt ſit habitus prælectionis in mediocritate conſiſtens, ad nos relata, ratione præfinita, & vt prudens præfiniret: hic, vbi agitur de laude, ſumitur definitio virtutis ab ipſa laude, vt ſit facultas, quæ parat bona, & quæ conſeruat. Et facultas, quæ beneficia facit multa, & magna, & omnia in omnibus. parteſque virtutis enumerantur nouem, iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, manſuetudo, prudentia, ſapientia. cuius enumerationis hæc afferri ratio poteſt, quod lib. 1. Ethicorum cap. vltimo traditum eſt, alias virtutes ad intelligendum pertinere, alias morales eſſe. Itaque ſi ad intelligendum pertinent, tres ſunt, ſapientia, prudentia, ars. Sub ſapientia vero continetur intelligentia, & ſcientia. Atque hoc in loco prętermittitur ars, ſcilicet operoſa, quia laudabilis non eſt: inferius enim legitur, Honeſtum eſſe, nullā exercere artem operoſam: quia ad libertatem pertinet, minime viuere ad alterius arbitrium. vnde facile perſpicitur, turpe eſſe, ac nequaquam laudabile, artē operoſam exercere, & ad alterius arbitrium viuere. Si morales ſunt, aut vim iraſcendi perficiūt, vt circa metus, & fiducias fortitudo, circa iram manſuetudo: aut ad vim concupiſcendi perficiendam valent, ac triplicem materiam habent; tum iucundam, vt temperantia; tum vtilē, vt in dandis pecuniis liberalitas, in faciendis magnis ſumptibus magnificentia, in reddendo ſuo vnicuique iuſtitia; tum honeſtam, vt magnanimitas. Ac oſtenditur, quæ virtutes ſint

maximæ, & hoc modo maxime laudabiles. Neceſſe quidem eſt, eas virtutes eſſe maximas, quæ aliis vtiliſſimæ ſint, ſiquidē virtus facultas eſt, quæ beneficia facit. Idcirco iuſtos, & fortes maxime honorant. horum enim virtus in bello: illorum vero etiā in pace vtilis eſt ipſis. εἶτα ἐλευθεριότης. Deinde liberalitas. Legimus, καὶ τοὺς ἐλευθερίους, & liberales. Nam effundunt, & de pecuniis non certant, quas maxime alij appetunt. Definiuntur quoque virtutes, vt iuſtitia ſit virtus, per quam quæ ſua ſunt, ſinguli habent, & vt iubet lex: iniuſtitia per quam aliena, non vt præcipit lex. Fortitudo, per quam actores ſunt honeſtorum operum in periculis, & vt lex præcipit, atque adminiſtri legis: timiditas contrarium. Temperantia virtus, per quam ad voluptates corporis ſic ſe habent, vt lex præcipit: intemperantia contrarium. Liberalitas, quæ in pecuniis benefacit: illiberalitas contrarium. Magnanimitas virtus magnorum effectrix beneficiorum: Puſillanimitas, vel paruus, & anguſtus animus contrarium. Magnificentia virtus in ſumptibus effectrix magnitudinis: paruificentia, ſeu ſordida quædam in ſumptu faciendo parſimonia contrarium. Prudentia virtus rationis, per quam bene conſultare poſſunt de bonis, & malis, quæ dicta ſunt ad felicitatem pertinere. Cum autem contraria virtutum ſint minimum duo, vnum, quod exuperat, alterum, quod deficit; quæritur, cur hoc in loco vnum tantum contrarium commemoretur, vt iuſtitiæ iniuſtitia: fortitudinis timiditas: temperantiæ intemperantia: liberalitatis illiberalitas: magnanimitatis puſillanimitas: magnificentiæ paruificentia: prudentiæ nullum contrarium. Præterea quæri poteſt, quid ſit, quod cum in enumeratione virtutum ſapientia quoque, & manſuetudo poſita ſit, earum definitio, vt ceterarum, allata non ſit. Ac nobis quidem diligentius in priorem quæſtionem intuentibus voluiſſe Ariſtoteles videtur tantummodo maius contrarium nominare. vnum enim eſt maius altero, cum vnum magis diſtet a medio, quam alterum: & quandoque exuperantia magis opponitur medio, vt intemperantiæ, intemperantiæ: quandoque defectio, vt timiditas fortitudini. quod docet Ariſtoteles libri ſecundi Ethicorum capite octauo. Itaque hoc in loco nominauit iniuſtitiam, quæ tam

 358

tam exuperantiam, quam defectionem denotat: prætere a timiditatem, quæ eſt maius contrarium, quàm audacia: & illiberalitatem, ſeu auaritiam, quæ eſt maius vitium, quam profuſio: & puſillanimitatem, quæ eſt maius extremum, quam inflatio: & paruificentiam, quæ magnificentiæ magis aduerſatur, quam ineptus ſumptus. Nullum autem prudentiæ contrarium cõmemorauit, propterea quod exemplo ſuperiorum virtutum imprudentiam eſſe maius extremum prudentiæ facile intelligi poſſe videbatur. Quod attinet ad alteram quæſtionem, dubitát Victorius, vtrum illæ negligentia librariorũ, vetuſtateque dilapſæ ſint, an ab Ariſtotele prætermiſſæ. Nos putamus, ſi hic locus temporũ iniuria non ſit mutilatus, manſuetudinem hic fuiſſe omiſſam, non errato memoriæ, ſed quia cognoſci eius natura quodammodo poſſit ex iis, quæ de affectibus tradita ſunt, vbi de mãſuetudine, vel lenitate agitur, quę eadem & virtus, & affectus eſt, vt infra declarabimus. Et exiſtimamus, de natura ſapientiæ non ſolum huic loco poſſe ſuppleri ex iis, quæ huius ipſius libri capite vndecimo tradita ſunt, vbi ſapientia eſt definita rerum multarum, & admirabilium ſcientia: verum etiam, eius exactam definitionem grauiori diſciplinæ, & philoſophiæ. quæ animi habitus explicat, fuiſſe reſeruatam, propterea quod cum Rhetorica potiſſimum de iis rebus ſit, quæ ad agendum pertinent, iis virtutibus definitis, quæ in agendo verſantur, & morales ſunt, contenta eſſe poſſe videbatur vna intelligendi virtute, hoc eſt, prudentia, ſine qua nulla moralis exiſtit, vt docet Ariſtoteles libro ſexto Ethicorum in hunc modum; Socrates partim recte quærebat: partim errabat. Quod enim prudentias eſſe omnes virtutes opinabatur, errabat. Recte vero dicebat, quod non ſine prudentia eas eſſe affirmabat. Signum autem illud eſt, quod nunc omnes, quam definiunt virtutem, vbi habitum eam eſſe dixerunt, & ad quæ eſt, adiungunt ſecundum rectam rationem. Recta autem ratio eſt, quæ ſecundum prudentiam eſt. Hæc ille, qui in eodem libro exactiſſimam ſcientiam appellat ſapientiam; traditq; eſſe intelligentiam, & ſcientiam, ac quaſi habentem caput ſcientiam rerum præſtantiſſimarũ. Atque hæc omnia de prima honeſti propoſitione. Secunda

affertur, vt ea, quę efficiunt virtutem, honeſta ſint, vt nobilitas, bona educatio, diuitiæ, quæ ſunt extra ipſum: vt etiam ſanitas, robur, quæ in ipſo corpore: vt ingenium, memoria, voluntas, quæ in ipſo animo. Tertia affertur, vt quæ efficiuntur a virtute, honeſta ſint, qualia ſunt ſigna, & opera virtutis, vt inſignia magiſtratuum, & coronæ militum; vt quæ prudenter, fortiter, iuſte, temperate geſta ſunt. Atque hæ ſunt tres præcipuæ propoſitiones omnium laudum.

Aliæ propoſitiones adduntur, quę ſub illis tribus continentur, quibusque honeſta, & laudabilia explicantur. Nam primo loco honeſta, & laudabilia ſunt ſigna, & opera virtutum. Vt ſigna fortitudinis, & opera. Ac ſigna quidem ſunt dignitates militares; non deſerere locum, & ordinem, quod ne fieret, capitis pœna conſtituta erat in λιποταξίους, & ordinis deſertores; obiecta re terribili non palleſcere, qua in re excedunt Celtæ populi Galliæ; cicatrices aduerſę, non auerſæ, quibus gloriabatur Dentatus; ſpolia hoſtium, maxime opima, vt Romuli de Acrone Cæninenſiũ Rege, Coſſi Cornelij de Larte Tolumnio Veientium, M. Marcelli de Virdumaro Gallorum; dona militaria; triumphi; numerus præliorum, quo quidem ſigno potuit gloriari C. Iulius Cæſar, qui quinquagies, & bis dicitur dimicaſſe collatis ſignis, ſolus M. Marcellum ſupergreſſus, qui tricies, & nouies, idemque vndecies centum, nonaginta duo millia hoſtium cæcidiſſe. opera vero ſunt, vt prælia, & victoriæ, quales fuerunt victoriæ eiuſdem Cæſaris, de quibus quinque egit præclariſſimos, & excellentiſſimos triumphos, Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, Africanum, Hiſpanienſem. Similiter iuſta ſunt honeſta, & quæ opera iuſte ſe habent. Perpeſſiones vero minime. Nam eſt alia ratio iuſtitiæ, atque aliarum virtutum, quia pati propter alias virtutes, ſemper eſt honeſtũ: at pati propter iuſtitiam, nõ ſemper eſt honeſtum, vt iuſte damnari. cum enim aliquis damnatur, turpius eſt, ſi id fiat iuſte, quam ſi iniuſte. Quod autem dictum eſt de fortitudine, & iuſtitia, idem de aliis virtutibus intelligendum eſt, vt de temperantia, magnificentia, magnanimitate, liberalitate, manſuetudine, prudentia, ſapientia, quæ ſuperius enumeratæ ſunt, deque aliis omnibus, quæ in Ethicis ſunt explicatæ. Secũdo loco honeſta,

honeſta, & laudabilia ſunt, quæ honorata ſunt, ſcilicet, in quibus præmium eſt honor, vt cum loco præmij dabatur corona triumphalis, oualis, obſidionalis, ciuica, muralis, caſtrenſis, naualis, oleaginea: & cum in Olympiis, Pythiis, Nemæis, Iſthmiis, quæ celebrabantur in honorem Iouis, Apollinis, Archemori, Palæmonis, dabatur, vt ſcriptum reliquit Simonides, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς, oleaſter, baccæ, apia, pinus. Et in quibus honor eſt magis, quam pecuniæ, vt cum quis fit Eques Principis, aut Regis. Tertio loco aliquo modo bona, vt quæcunque ex iis, quæ electione digna ſunt, non ſui cauſſa aliquis agit. Et ſimpliciter bona, & quæcunque pro patria geſſerit aliquis, negligens ſuum ipſius commodum. Et naturaliter bona. Et quæ non ipſi bóna. Muretus legit, καὶ ὅσα μὴ αὑτοῦ ἕνεκα πράττει τις τῶν αἱρετῶν. ὅσα ὑπὲρ τῆς πατρίδος τις ἐποίει, παριδὼν τὸ αὑτοῦ. καὶ τὰ ἁπλῶς ἀγαθά. καὶ ἃ μὴ αὑτῷ ἀγαθά. Quæ igitur verba ſuperius legebantur, in locum inferiorem tranſtulit, & poſuit pro illis, καὶ τὰ τῇ φύσει ἀγαθὰ, ac conuertit ſic; Et quæ cũ expetenda ſint, non ſua cauſſa quis facit. Et quæcunque quis propria vtilitate neglecta pro patria feçit. Et quæ ſimpliciter bona ſunt. Et quorum fructus non ad ipſum peruenit, qui ea facit. Hæc ille. Præterea quæcunque contingit, vt mortuo adſint magis, quam viuenti. quæ enim viuenti adſunt, continent magis id, quod ſui gratia eſt. Iam cum quædam ſint, quæ poſſunt fieri, & noſtra, & aliorum cauſſa, laudabiliora ſunt, ſi fiant aliorum cauſſa. Et ſimpliciter bonum intelligitur, cum quis recte ſe gerit pro patria. Et naturaliter bona ſunt, vt quod Cæſar a Venere originem traxerit, quod ſcribere, & legere ſimul, dictare, & audire ſolitus ſit, & epiſtolas quaternas pariter librariis dictare, aut ſi nihil aliud ageret, etiam ſeptenas. quod narrat Plinius lib. 7. cap. 25. Et non ipſi bona, vt liberalitas, & clementia, & pulchritudo. Et contingentia magis mortuo, quam viuenti, vt cum quis referebatur in numerum deorum, cum quis refertur in numerum ſanctorum. Quarto loco honeſta, & laudabilia ſunt, quæ aliorum ſunt cauſſa. vt quæcunq; opera aliorum ſunt cauſſa, quia minus ſui cauſſa ſunt, vt theatra, templa, plateæ, viæ publicæ. Et quæcunque bonæ actiones ſunt erga alios, & non erga ſe, vt patrocinia amicorum. Opus

autem indiget arte operoſa, nec eſt laudabile ratione artificis, ſed ratione eius, qui vtitur artifice ad publicum beneficium. Actio vero indiget arte liberali. Vel opus pertinet ad artem ſpeciatim ſumptam. actio ad prudentiam. Et erga eos, qui benefecerunt, quia id iuſtum eſt, vt cum gratia refertur, & fit remuneratio. Et beneficia, quia non ſunt erga ſe. A beneficio autem oritur honor, vt dictum eſt ſupra de honore. Quincto loco laudabilia ſunt quædam, quæ ex conſequenti ſpectantur. Vt turpitudinem conſequitur verecundia: honeſtatem non conſequitur verecundia. Sic ducitur argumentum; Turpia ſunt, in quibus verecundantur. ergo honeſta ſunt, in quib. non verecundantur. & quæ contraria ſunt iis, in quibus verecundamur. Etenim qui turpia dicunt, & faciunt, & qui dicturi ſunt, & facturi ſunt, verecundantur, vt cecinit Sappho. Nam cum Alcæus diceret; Volo aliquid loqui: ſed me prohibet pudor; reſpondit illa, Si incenſus eſſes bonarum rerum deſiderio, aut honeſtarum, neque dicere id, quod malum eſt, lingua tentaret, nequaquam tibi oculos occuparet pudor, ſed de re iuſta loquereris. ϗ περὶ ὧν ἀγωνιῶσι μὴ φοβούμενοι. περὶ γὰρ τῶν πρὸς δόξαν φερόντων ἀγαθῶν τοῦτο πάσχουσι. Et de quibus anguntur, cũ minime metuant, quia in bonis, quæ ad gloriam referuntur, hoc modo afficiuntur. Muretus legit ἀγωνίζονται, ac vertit; Et ea, Pro quibus ſine vllo timore decertant: ita enim afficiuntur, vbi quid agitur eorum, quæ ad gloriam ferunt. Sigonius illud πρὸς δόξαν vertit ad opinionem. Sexto loco honeſta, & laudabilia ſunt quædam ex comparatione. Vt qui natura meliores ſunt, eorum virtutes, & opera honeſtiora ſunt, vt viri, quam mulieris. καὶ αἱ ἀπολαυστικαὶ ἄλλοις μᾶλλον, ἢ αὐτοῖς. Et quæ voluptariæ aliis magis, quam ipſis. Sigonius; Et fructuoſa aliis potius, quam ſibi. Alij; Vtilia. Ita quoque intelligit Victorius. ita Muretus. Nos illum locum obſeruauimus capitis quincti; ἔστι δὲ χρήσιμα μὲν, μᾶλλον τὰ κάρπιμα· ἐλευθέρια δὲ, τὰ πρὸς ἀπόλαυσιν. κάρπιμα δὲ λέγω, ἀφ' ὧν αἱ πρόσοδοι· ἀπολαυστικὰ δὲ, ἀφ' ὧν μηδὲν παρὰ τὴν χρῆσιν γίνεται, ὅτι καὶ ἄξιον. Sunt vtilia quidem magis fructuoſa. at liberalia, quæ ſunt ad voluptatem, & delectationem. fructuoſa dico, a quibus ſunt prouentus. voluptaria, a quibus nihil præter vſum fit, quod æſti-

360

æſtimatione dignum ſit. Ex qua Ariſtotelis definitione aperte perſpicitur, ἀπολαυστικὰ eſſe illa, quæ afferunt voluptatem, aut turpem, aut honeſtam, vt pluribus verbis explicat quoque Victorius in illud, quod ſcriptum eſt de pulchritudine iuuenis, ἡδὺν ὄντα ἰδεῖν πρὸς ἀπόλαυσιν. In eandem ſententiam Ariſtotel. libro primo Ethic. nominat τὸν βίον τὸν ἀπολαυστικόν. Nam ἀπολαύειν eſt frui ad voluptatem, & delectationem. Atque hęc eſt noſtra περὶ τῶν ἀπολαυστικῶν ſententia a mente Ariſtotelis, ni fallimur, minime aliena; in qua adhuc perſtamus, etiamſi a nonnullis obſeruatum ſit, diſcrepare noſtram huius loci conuerſionem a ceterorum omnium conuerſionibus: malumus enim a ceteris, quam ab Ariſtotele diſſentire. Subiungitur; Quamobrem iuſtum, & iuſtitia res honeſta eſt. Præterea ſic, καὶ τὸ τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι μᾶλλον· καὶ μὴ καταλλάττεσθαι. Et inimicos vlciſci magis: & non reconciliari. Senſus eſt, Honeſtum eſſe potius vlciſci, quam non vlciſci: & potius non reconciliari, quam reconciliari. Explicat Victorius, honeſtum eſſe hoſtes potius vlciſci, quam in gratiam cum illis redire, ac reconciliari. Quam explicationem ſpectarunt Maioragius, Sigonius, & Muretus in conuerſionibus ſuis. Quamquam poſtea Victorius a verbis Ariſtotelis non diſceſſit. Probatur, quæ modo notata eſt, propoſitio, quia par pari referre iuſtum eſt. quod autem iuſtum eſt, honeſtum eſt. ad fortitudinem vero pertinet, non cedere. Septimo loco laudabilia ſunt, quæ excellentiam declarant. Sic victoria, ac honor ex rebus honeſtis ſunt. nam electione digna ſunt, etiamſi nullum fructum ferant; virtutisque excellentiam declarant. Octauo loco quæ pertinent ad memoriam, Laudabilia ſunt. Vt quæ facile in memoria hominum hærent, ſcripta poetarum, oratorum, hiſtoricorum. Et quæ memoria ſunt digniora, vt orationes, & poemata, quam ſtatuæ. Et quæ eum, qui non viuat, ſequuntur, vt ſepulcra, & honores illi, qui hominibus probis, & virtute præſtantibus poſt mortem tribuuntur. Et quæ honor conſequitur, vt factum Ciceronis, cum eſt oppreſſa coniuratio Catilinaria, maximi ſunt honores conſecuti.

Nono loco, quæ afferunt admirationem. Vt quæ excellunt. In P. Craſſo Muciano quinque maxima excelluerunt; auctor Gell. lib. 1. cap. 13. ex Sempronio Aſellione: in M. Catone tria ſumma; auctor Plinius lib. 7. cap. 27. Et quæ ſolus aliquis poſſidet, honeſtiora ſunt: valde enim memorabilia ſunt. Vt ſolus Achilles potuit Troianos vincere. Soli Ciceroni togato ſupplicationes decretæ ſunt. Decimo loco quæ pertinent ad ſplendorem. Vt poſſeſſiones nō frugiferæ, quia liberaliores, & horti tantum delectationis cauſſa comparati. Et quæ propria ſingulorum ſunt, honeſta ſunt. Vt Athenienſium proprium fuit bene de Rep. meritos alere in Prytaneo. Vndecimo loco ſigna libertatis. omnino quæcunque ſigna eorum ſunt, quæ apud quosque laudantur; vt Lacedæmone alere comam, honeſtum eſt. nam libertatis eſt ſignum. non enim facile poteſt, qui comam alit, vllum obire ſeruile munus. Et nullam exercere artem operoſam: quia pertinet ad libertatem non viuere ad alterius arbitrium. Duodecimo loco quæ virtutibus vicina ſunt. Etenim illa quoque ſumenda ſunt, quæ honeſtis, & turpibus vicina, propinqua, ac finitima ſunt, perinde ac ipſa etiam ad laudem & vituperationem pertineāt. Vt ſi cautum, & animoſum vocemus timidum, & inſidioſum. Et ſtolidum, bonum. Et indolentem lenem. Atque ex iis, quæ ſe imitatione quadam conſequuntur, vnumquodque ſemper in optimam partem detorqueamus. Vt ſi iracundum, & furioſum, apertum & ſimplicem vocemus. Et cōtumacem magnificum, & grauem. Et qui ſunt in aliquo genere nimij, ac modum tranſeunt, perinde ac ſint virtutibus præditi. Vt audacem, fortem. Et prodigum, liberalē. Nam & imperitæ multitudini ita videbitur: & ſimul addita cauſſa falletur auditor, vt ei res ita ſe habere videatur. Si enim, vbi neceſſe non eſt, quis in pericula ſe infert, multo magis videretur id in re honeſta, ac laudabili facere. Et cuius benignitas in quoslibet eſt propenſa, erit etiam in amicos. Præſtantis enim virtutis eſt de omnibus benemereri. Ad hunc locū pertinent illa vitia, quæ a Cicerone in Partitionibus dicuntur virtutem imitari; audacia fidentiam: pertinacia perſeuerantiam: ſuperſtitio religionem: malitia prudentiam: concertatio, captioque verborum Dialecticam: inanis quædam profluentia

loquendi

loquendi Rhetoricam: immanitas in voluptatibus aſpernãdis temperantiam: audacia fortitudinem: duritia inanis patientiã: ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis magnitudinem animi: effuſio liberalitatem: acerbitas iuſtitiam: mollitia animi leuitatem: timiditas verecundiam: nimia ſtudia in eodem genere bona ſtudia. Decimotertio loco honeſta, & laudabilia ſunt quædam ratione auditorum. Quare conſiderandum eſt, apud quos laudamus. Dicebat enim Socrates apud Platonem in Menexeno ad hunc modum; Si oportet vel in Peloponneſo Athenienſes, vel Athenis Peloponneſiacos orare, facundo tunc oratore opus eſſet, qui & perſuaderet, & probaretur. Quando autem apud eoſdem ſe quis exercet, quos & laudat, facile eius verba probantur. Hæc ille. Itaque non eſt difficile laudare Athenienſes apud Athenienſes. Et idcirco oportet illa dicere, quæ apud ſingulos in honore ſunt, & oſtendere ei adeſſe, quem laudas. Vt quæ apud Scythas, quibus feritas quędam probata eſt: vel Laconas, quibus etiam furtum, vt teſtatur Gellius libri vndecimi cap. 18: vel philoſophos, quibus vita ſolitaria. Omnino quod in honore eſt, reuocãdum eſt ad honeſtum: quãdoquidẽ ei vicinum, finitimumq; videtur eſſe. Decimotertio loco honeſta, & laudabilia ſunt, ex triplici gerendi ratione, ſi geſta ſint prout conuenit: ſi pręter quã conuenit, in id ſcilicet, quod melius, & honeſtius eſt: ſi ex prælectione. Primum igitur honeſta, & laudabilia ſunt, quæcunque geſta ſunt, prout conuenit, & hoc modo ad conſentanea referuntur. Vt ſi quis digna maioribus, & iis, quæ ante geſta fuerint, geſſiſſe demonſtretur. Pertinet enim ad felicitatem, & honorificum eſt, honoris, laudisque acceſſiones fieri. Deinde quæ geſta ſunt præter quam conuenit, ſcilicet in id, quod melius, & honeſtius eſt; & cum præter id, quod conſentaneum eſt, adhuc aliquid, quod melius, & honeſtius habeatur, actum eſt. Vt ſi quis in proſperis quidem rebus moderato, in aduerſis magno, & excelſo animo: aut potẽtior effectus, tanto æquior, ac placabilior fuerit. Tale autem id eſt, quod Iphicrates ſutoris filius, ac dux clariſſimus Athenienſium exercitus dicere ſolebat. Ex qua infima ad quam florentem fortunam deueni! Et illud, quod protulit Olympionices; Haud ita pridem humeros

corbis mihi dura premebat. Et illud, quod Simonides de Archedico dixit; Quę patremque virumque & fratres nacta Tyrannos Perquā humana fuit. praeterea quæ geſta ſunt ex præelectione. Quare quoniam ex actionibus manat laus, & boni viri proprium eſt, quod fit ex prælectione, enitendum eſt, vt oſtendamus, eum, quem laudamus, auctorem eſſe ex prælectione. Quam ad rem vtile fuerit, ſi quis idem ſæpius egiſſe videatur. Quocirca & ea, quę contigerunt, quæque fortuito euenerunt, ita ſumenda ſunt, ac ſi ex prælectione facta ſunt. Si enim multa, & ſimilia proferentur, ſigna videbuntur eſſe virtutis, & prælectionis. Diſtinguenda eſt autem laus ab encomio, & fide demonſtratiua. Ac conſiderandum eſt, quomodo hæc ad macariſmum, & eudæmoniſmum (ſignificatur his vocibus oratio, qua quempiam vt beatum, ac felicem deprędicamus, quaſi dicatur beati, & felicis deprædicatio) tamquam ſpecies ad genus referantur. Ac laus quidem eſt oratio, quæ indicat magnitudinem virtutis. ergo demonſtrare oportet eiuſmodi eſſe actiones. Encomium vero operum eſt. quod tradidit quoque Ariſtoteles lib. 1. Eth. cap. 12. ad hunc modū; Laus eſt virtutis. nam ex ea idonei fiunt ad agendas res pręclaras. Encomia vero operum, tum quæ a corpore, tum quę ab animo proficiſcuntur. Hęc ibi. Quæ autem circum ſunt, pertinent ad fidē demonſtratiuam; vt nobilitas, & educatio. veriſimile enim eſt ex bonis bonos ortos eſſe, & hoc modo educatū eiuſmodi eſſe. Itaq; etiam encomio celebramus eos, qui egerunt. opera aūt ſigna habitus ſunt: quoniam laudaremus etiam eum, qui non egiſſet, ſi talem eſſe crederemus. Cum autem Macariſmus, & Eudæmoniſmus inter ſe eadem ſint, alia tamen ſunt ab iis, de quibus modo explicatum eſt. Nam vt virtutem felicitas continet: ſic illa in eudæmoniſmo, & felicis deprædicatione continentur. Decimoquincto loco honeſta, & laudabilia ſunt, quæ in conſilio dando præciperentur. Ac habent quidē cōmunem formam, & rationem, laus, & conſilium. Nam quæ in conſilio dando præciperes, ea, mutato tantum orationis genere, encomia fiunt. Quando igitur, quæ facere, & qualem eſſe virū bonum oporteat, tenemus; hæc quaſi præcepta tradētes, inflectere, atq; immutare oportet ipſo genere dicendi. Exēpli cauſſa,

Magno

Magno quenque, & excelſo animo eſſe oportet, non fortunæ bonis fretũ,ſed ſuis.Hoc ita dictum præcepti,& conſilij vim habet.Laudis autem hoc modo, vt dixit Iſocrates de laudib. Euagoræ Cypriorum Regis;Magno & excelſo animo eſt,non fortunæ bonis fretus,ſed ſuis.Itaque,cum quempiam laudare vis, vide,quid ei præciperes,& conſuleres: cum quid alicui vis præcipere,& aliquod conſilium dare,vide,quid laudares.Genus autem dicendi neceſſario aliud,atque aliud erit,cum oratio, qua quid vetatur,in eam,qua nihil vetatur,commutata fuerit.Decimoſexto,& vltimo loco honeſta, & laudubilia ſpectantur ex ratione amplificandi,quæ hic octuplex commemoratur. prima, ſi ſolus geſſit. ſecunda, ſi primus. tertia ſi facti ſocios non multos habuit. quarta, ſi maxime, ac præcipue. omnia enim hæc honeſta, & pulchra ſunt. quincta, ſi tempore, & occaſione etiam præter id, quod conuenienter expectatur. nam ex temporibus, & occaſionibus, ac rerum momentis ad laudandum multa ducuntur. Vt ſi quid fecit, ſupra quam ab eo expectari poſſe videbatur. Sexta, ſi ſæpe idem egit: magnum enim id eſſe,& non a fortuna exiſtimabitur, ſed proprium, & ipſius virtute, atque induſtria actum. Septima, ſi ita, vt propter eum aliqua inuenta, & parata ſint. quemadmodum ſi quæ ad incitandum, aut honorandum valent, huius cauſſa reperta, ac comparata ſunt. *καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη οἷον εἰς ἱππόλοχον*. Vt in quem primum encomium factum eſt; quod contigit Hippolocho. Cum autem, quis fuerit hic Hippolochus, ignoretur; ſunt, qui putant legendum eſſe, *εἰς Ἀντίλοχον*, in Antilochum, vt intelligatur is, qui in periculum mortis ſe obiecit,vt Neſtorem patrem ſuum ſeruaret;& a Memnone,filio Auroræ,Aethiope interfectus eſt, dum patrẽ ab illius fortitudine defenderet.quod canit Pindarus in Pythiis:& is,de quo ſcripſit Xenophon de venatione ad hunc modum; Antilochus pro patre moriens tantũ glorię conſecutus eſt,vt apud Græcos ſolus prædicetur patris amator.Alij legunt *εἰς ἱππόνικον*,eumq; intelligunt,quẽ Aelianus ſcribit ſtatuã donariũ dicare voluiſſe. Nos veterẽ lect. immutare auſi non ſumus. Additur; Et vt primis Harmodio,& Ariſtogitoni Hipparchi Athenarũ tyrãni interfectorib.ſtatuę ſunt in foro poſitę.Octaua amplificãdi ratio

eſt, ſi egit ita, vt cum aliis comparatus ceteris præferatur. Quare ſi ex eo ipſo, quem laudas, ſatis tibi multa non ſuppetant, comparãdus erit cum aliis. ὅσπερ Ἰσοκράτης ἐποίει, διὰ τὴν συνήθειαν τοῦ δικαιολογεῖν. Victorius teſtatur in antiquiſſimo libro legi, διὰ τὴν ἀσυνήθειαν: eamque lectionem in excuſos quoſdam manaſſe: in vetere autem tralatione veſtigia vtriuſque lectionis apparere, & legi; Propter conſuetudinem, & inconſuetudinem. Recipit tamen primam lectionem, διὰ τὴν συνήθειαν. & legit τοῦ δικολογεῖν. ac interpretatur τὸ δικολογεῖν eſſe, vel ſcribere cauſſas forenſes: vel dicere ipſas cauſſas iudiciales: vel tradere præcepta de genere iudiciali; ſequiturque priorem interpretationem; ac recipi poſſe tertiam ſignificat; atque, ſi legatur, διὰ τὴν ἀσυνήθειαν, ac ſecunda interpretatio τοῦ δικολογεῖν recipiatur, videndum eſſe monet, quomodo verſatum illum non eſſe in foro, efficere potuerit, Iſocratem ſtudioſum huius rei, vt libenter collatione e regione poſita vteretur. Conuertit tamen illud, τοῦ δικολογεῖν ita, vt etiam ſecundo modo explicari queat. Eius conuerſio eſt; Quod ſane Iſocrates faciebat ob conſuetudinem forenſes cauſſas agendi. Vocabulo itidem ambiguo vſus eſt Muretus ſic; Quod faciebat Iſocrates, vt qui tractandis iudiciis aſſuetus foret. Sigonius vertit in hunc modum; Quemadmodum Iſocrates ex iudicialis dictionis conſuetudine faciebat. Maioragius ita; Quod Iſocrates faciebat ex conſuetudine docendi, quæ ad iudiciale genus pertinetent. Nos antiquiſſimi libri lectionem recipi poſſe putauimus, & expreſſimus ſic; Vt Iſocrates faciebat, quia conſuetudinem non haberet dictionis iudicialis. ex qua hunc ſenſum colligimus, Iſocratem comparatione vſum eſſe, non ex iudicialis dictionis conſuetudine, quia nec cauſſas in foro Iſocrates eſt ſolitus dicere, etiamſi forenſes orationes ſcripſerit, & præcepta de genere iudiciali tradiderit; nec comparatio talis generis eſt propria, ſed demõſtratiui, vt aperte docet Ariſtoteles, qui tamquam proprium inſtrumentum orationibus tribuit demonſtratiuis amplificationem, præſertim eam, quæ fit per comparationem; iudicialibus enthymema; deliberatiuis exemplum, vt, ſi in iudicialibus fiat comparatio, non proprie fiat, ſed quatenus vnum genus aſſumitur ad alterum pertractãdum: non, inquam,

inquam, ex iudicialis dictionis conſuetudine; ſed quia, cum conſuetudinem non haberet dicendi cauſſas in foro, commodius exercebat præcepta generis demonſtratiui in ſcriptionibus, quibuscum conuenit genus demonſtratiuũ maxime meditatum, & ad ſcribendum aptiſſimum, vt traditur lib. 3. cap. 12. idcircoque, cum meditate ſcriberet, vtebatur comparatione propria exornationum, vt exemplum eius recte nobis proponat philoſophus, qui, quoniam in forenſes contentiones deſcendere non conſueſceret, non ſolum in exornationibus, verum etiam in quibuslibet ſcriptionibus excelleret, vbi comparatio fieri commodius poteſt, quam cum in foro dicitur, vel derepente, vel exiguo temporis ſpatio ad cogitandum dato. Excelluiſſe autem Iſocratem in præceptis demonſtratiuis exercendis, & comparationibus faciendis, apparet quoque ex lib. 3. cap. 17. vbi legitur, ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς δεῖ τὸν λόγον ἐπεισοδιοῦν ἐπαίνοις, οἷον ἰσοκράτης ποιεῖ· αἰεὶ γάρ τινα εἰσάγει. Ac in demonſtratiuis oportet orationem intexere laudibus, vt Iſocrates facit: ſemper enim aliquem infert. Oportet vero (quoniam modo notauimus faciendam eſſe comparationem) cum illuſtribus comparare. amplum enim quiddam, & præclarum eſt, præſtare præſtantibus viris. Ceterum amplificatio merito in laudes incidit. cernitur enim in exuperantia & excellentia; eſtque excellentia rerum honeſtarum. Quare ſi cum illuſtribus non poſſumus, certe tamen cum aliis comparare oportet: ſiquidem exuperantia, & excellentia, ac præſtantia, quæ comparando demonſtratur, indicare virtutem videtur. Omnino autem ex iis formis, quæ omnibus orationum generibus communes ſunt, amplificatio aptior eſt ad demonſtratiuas: in his enim facta, quæ ab omnibus concedantur, ſuſcipiuntur. Quare nihil aliud reſtat, niſi magnitudinem adiungere, & pulchritudinem, eaque augere, & exornare. Exempla vero ad deliberatiuas: ex præteritis enim futura coniicientes, de eo, quod agendum eſt, iudicium facimus. At enthymemata ad iudiciales: res enim præteritæ, quas genus iudiciale ſuſcipit, in diſceptationem veniunt, vt rationibus, & argumentis demonſtrentur, quandoquidem minime perſpicuæ ſunt: & cauſſam, ac demonſtrationem maxime recipit id, quod actum eſt, cum ob-

ſcurum ſit. Ex quibus igitur virtutibus,& vitiis,laus, & vituperatio fere omnis ducatur; & quænam honeſta,ac turpia intueatur, ac quo quidque referat is, qui laudat,& vituperat ?& de rebus præclare geſtis, ac indignis facinoribus, e quibus encomia, & probra oriuntur; hæc dicta ſint. nam, cum tenuerimus, quæ laudanda ſint, horum item contraria, quæ turpitudinem habent, manifeſta erunt. vituperatio enim ex iis conſtat, quæ laudatis rebus ſunt contraria.

IN CAPVT DECIMVM, *de genere iudiciali, & primum de cauſſis iniuriarum.*

DE accuſatione autem,& defenſione ex quot, & cuiuſmodi rebus oporteat confici ſyllogiſmos, conſequens eſt, vt diſſeratur.Iam vero conſideranda ſunt illa tria,quę alibi quoq; conſiderata ſunt. Supra enim ſcriptum eſt,orationem cõſtare ex tribus,ex eo,qui dicit,ex eo, ad quem loquitur, ex re, de qua ſermo eſt.Sic de affectibus,cognoſcendum eſſe,Qui, In quos, Quas ob res afficiantur. Sic in hoc loco, Quas ob res, Qui, & Quibus iniuriam faciant.Sed prius quam hæc declarẽtur,proponitur definiendum,quid ſit iniuriam facere.

Ac definitur quidẽ iniuriam facere, vt ſit nocere ſpõte cõtra legem. Primũ igitur in facienda iniuria requiritur,vt quis noceat:deinde,vt ſponte noceat:poſtremo vt contra legẽ noceat.

Ad tertiam proprietatem hoc pertinet, *νόμος δέ ἐστιν, ὁ μὲν ἴδιος, ὁ δὲ κοινός. λέγω δὲ ἴδιον μὲν, καθ' ὃν γεγραμμένον πολιτεύονται· κοινὸν δὲ ὅσα ἄγραφα παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι δοκεῖ.* Lex eſt vna propria:altera cõmunis. Voco propriam,ex qua ſcripto comprehenſa ciuiliter agunt.& cõmunem ea omnia,quę non ſcripta confiteri omnes videntur. Exiſtimamus minus idonee legem, & ius ciuile appellari priuatũ, vt Sigonius appellat, quod a iuriſconſultis diuiditur in publicum,& priuatum.& interpretamur, *πολιτεύονται* ciuiliter agunt, intelligentes non ſolũ ex iure publico,vt videtur intelligere Muretus,vertens,Remp.adminiſtrant,verum etiam ex iure priuato,cum priuatas quoque perſonas lex propria reſpiciat.

Quod attinet ad ſecundam proprietatem, ſponte faciunt, quæcunq; ſcientes, & non coacti faciunt. Ac ſponte facere,& ex præ-

ex prçelectione facere,inter ſe differunt.illud enim generalius eſt,quod conuenit etiam pueris,& animalibus rationis expertibus:hoc minus generale,quod cum illo ſemper coniunctum eſt.Quæcunque igitur ſponte faciunt,non omnia prçeligentes faciunt:quæcunque vero præeligentes.omnia ſponte,& ſcientes:nemo enim id ignorat,quod præeligit.

Ad primam proprietatẽ pertinet,quod vitium,atq; incontinentia cauſſa eſt,quamobrem nocendi præelectionem habeant. Si qui enim improbitate laborent aut vna aut pluribus, in eo,in quo improbi ſunt,etiam agunt iniurioſe; vt illiberalis,& auarus in pecuniis: intemperans in voluptatib.corporis: mollis in rebus ad deſidiam pertinentibus,& in ignauia:timidus in periculis; deſerunt enim propter metum eos qui ſimul periclitantur: ambitioſus propter honorem: iracũdus propter iram: ſtudioſus victoriæ propter victoriam: amarus propter vltionem: ὁ δὲ ἄφρων διὰ τὸ ἀπατᾶσθαι περὶ τὸ δίκαιον, καὶ ἀγαθὸν, imprudens,quia decipitur in iuſto & bono. illud καὶ ἀγαθὸν, Victorius emendauit ἄδικον. quẽ Maioragius,Sigonius,Muretus,ceteri ſunt ſecuti.Nos nihil duximus immutandum,vt ſignificetur,imprudentem decipi non ſolum in iuſto, & iniuſto, ſed etiam vtili,& inutili.impudens propter deſpicientiam exiſtimationis:& ſimiliter ex aliis vnuſquiſque in vnaquaque ex ſubiectis rebus.Verum hæc intelligi poſſunt partim ex iis,quç dicta ſunt de virtutib. partim ex iis,quæ de affectib. explicabuntur.

Iam, cum propoſitiones iudiciales ex trium rerũ colligantur inſpectione, Quibus de cauſſis iniuriam faciant, Qui, & Quibus faciant,vt cauſſæ iniuriarum cognoſcantur, ſeptem actionũ humanarum cauſſæ enumerantur. Nam, cũ homines agunt non per ſe, agunt propter tres cauſſas, fortunam, & duplicem neceſſitatem, vnam violentiæ, alteram naturæ. Cum vero homines agunt per ſe, agunt propter quattuor cauſſas, conſuetudinem, voluntatẽ, quæ eſt appetitio boni cum ratione,& duplicẽ affectum, aut iram,aut cupiditatẽ. Ita quæcunq; homines agunt, ob vnam e ſeptem cauſſis agant, neceſſe eſt, fortunam, vim,naturam,conſuetudinem, rationem boni, irã, cupiditatem.Cum igitur huiuſmodi fiat enumeratio,nõ tamẽ ab aliis illæ ſeiungũtur, quæ iniuriã faciunt. Significat tres eſſe

cauſſas lib. 2. cap. 23. vbi locus diuiſionis declaratur in hunc modum; Si omnes trium rerum cauſſa iniuriã faciunt, nempe aut huius cauſſa, aut huius, aut huius: & propter duas facere non potuit: & propter tertiam ne ipſi quidem dicunt. Exponit Victorius, Verbi cauſſa, ob vtilitatem adipiſcendam, aut ob voluptatem, aut quod irati illi fuerint. Eodem modo Maioragius. Nos cauſſas iniuriarum ex ſeptem humanarũ actionum cauſſis colligendas eſſe exiſtimamus; quarũ ob tres priores cum homines agunt, non dicuntur per ſe agere: ob quattuor vero poſteriores dicuntur. Itaque iniuria non eſt id, quod agitur per fortunam: nec quod per vim: nec quod per naturã; quia iniuriam facere eſt ſponte, & per ſe agere: hæ vero actiones non ſunt ſponte. Sequuntur illæ, ob quas homines agere per ſe dicuntur; quæ tametſi quattuor enumerantur, conſuetudo, ratio boni, ira, cupiditas: tamen, ſi ſtrictius comprehendantur, ſunt tres, ex illis verbis; Quæcunque vero per ſe, quorum ipſi ſunt cauſſæ, alia ſunt per conſuetudinem, alia per appetitionem; & ex his alia per participem rationis appetitionem, alia per expertem rationis. Quocirca tres ſunt iniuriarũ cauſſæ, conſuetudo, appetitio particeps rationis, quæ dicitur ratio boni, & voluntas; appetitio expers rationis, vt ira, & cupiditas. Ac ille diuiſionis locus explicari poteſt, vt propter tres cauſſas homines iniurioſi ſint, videlicet propter conſuetudinem, propter rationem boni, propter affectum. Si vero late loquamur, quattuor erunt cauſſæ, conſuetudo, ratio boni, ira, cupiditas. Cum autem actiones humanæ optime diuidantur ex illis ſeptem cauſſis; poſſunt quoque diuidi ex ætatibus, vt aliæ ſint iuuenum, aliæ virorum, aliæ ſenum: ſed huiuſmodi actiones reducuntur ad aliquam ex ſuperioribus cauſſis, vt actiones iuuenum iracundorum, vel cupidorum, ad iram, vel cupiditatẽ. Tertio loco poſſunt diuidi ex fortunis, vt aliæ ſint nobilium, aliæ ignobilium, aliæ diuitum, aliæ pauperum, aliæ potentiũ, aliæ impotentium, aliæ fortunatorum, aliæ infortunatorum. Sed reducuntur quoque ad ſuperiores cauſſas, vt ad affectum. Neque enim diuites, & pauperes agunt propter diuitias, & paupertatem: ſed contingit quidem pauperibus propter indigentiam cupere pecunias: diuitibus vero propter licentiam cupere

pere

pere non neceſſarias voluptates. Itaque agunt non propter diuitias, & paupertatem: ſed propter cupiditatem. Quarto loco fieri poteſt diuiſio ex habitibus animi, vt aliæ ſint iuſtorum, aliæ iniuſtorum, aliæ fortium, aliæ ignauorum, aliæ temperantium, aliæ intemperantium, aliæ prudentium, aliæ imprudentium. Sed ſimiliter reducũtur ad aliquam earum cauſſarũ, quæ ſuperius notatæ ſunt, vt ad rationem boni, ad conſuetudinem, ad affectus. Iuſti enim, & iniuſti, & alij, qui ex habitibus agere dicuntur, propter hæc omnia agunt; nempe aut propter rationem boni, aut propter affectum; ſed partim propter mores, & affectus bonos: partim propter contrarios. Contingit tamen, vt hi quidem habitus talia conſequentia habeant: illi vero talia. Etenim, vt ſtatim exemplum habeatur, temperans fortaſſe propter temperantiam & opiniones, & cupiditates bonas conſequentes habet de voluptatibus: intemperans vero contrarias de his ipſis. Quamobrem huiuſmodi ſunt diuiſiones omittendæ. Quincto loco nonnulli diuidunt actiones humanas ex habitibus corporis, vt aliæ ſint candidorum, aliæ nigrorum, aliæ magnorum, aliæ paruorum. Conſiderandum vero eſt, quæ res quosque conſequi ſoleant. Nam albus quidem, an ater ſit aliquis, & procero, an exiguo corpore, hæc nihil ſtatũ, firmumq; habent, quod ipſas has varietates ſequatur, etiamſi oratores quandoque argumententur ab habitu corporis; vt Cicero pro Roſcio Comœdo de Fannio, & pro P. Sextio de Gabinio, & Piſone conſulibus. At ſi iuuenis, aut ſenex ſit aliquis, iuſtus, aut iniuſtus, tanta iam varietas eſt facta, vt non parum res differat, ac longe diuerſæ & opiniones, & cupiditates his, & illis hæreant. Eiuſdem generis ſunt illa, quæ cum contingunt hominibus, mores, & indolem ipſorum variant, & immutant. Vt alij mores conſequuntur diuitias, alij paupertatem, alij fortunam ſecundam, alij aduerſam. Standum eſt igitur primæ diuiſioni, quæ cum ſeptem cauſſas complectatur, prima cauſſa eſt fortuna, a qua ea dicuntur fieri, primum quorum indefinita cauſſa eſt: deinde, quæ non certæ alicuius rei cauſſa fiũt: tum quæ non ſemper fiunt: tum quæ non plerunque: denique, quæ non ordinate. De his autem ex ipſa fortunæ definitione cõſtat. Secunda cauſſa eſt natura, cui tribuuntur ea, primum quorum

in ipſis cauſſa eſt: deinde ordinatim: tum quæ aut ſemper, aut plerunque eodem modo eueniunt. Quæ vero eueniunt præter naturam, ea accurate cōſiderare nihil neceſſe eſt, naturane, an aliquam aliam ob cauſſam eueniant. Videri autē poteſt & fortuna talium cauſſa eſſe. Tertia cauſſa eſt vis, quæ cupiditati, aut cōmodi rationi aduerſatur. Itaque vi fiunt ea, quæ qui faciunt, contra quam cupiunt, aut contra quam ſibi faciendum eſſe ratiocinantur, faciunt. Quarta cauſſa eſt conſuetudo, qua fiunt ea, quæ idcirco faciunt, quia ſæpe fecerunt. Quincta eſt ratio boni, quæ verſatur in eo, quod vtile eſt. Ea igitur fiunt propter boni rationē, quæ videntur vtilia eſſe ex bonis, quæ dicta ſunt, aut tamquam finis, aut tamquam pertinentia ad finem, quoties idcirco fiunt, quia proſunt. quædam enim vtilia etiam intemperantes faciunt: cum tamen in eis non vtilitatem, ſed voluptatem ſequantur. Sexta eſt excandeſcentia, & ira, per quam fiunt ea, quæ ad vltionem pertinent. Differt autem vltio a caſtigatione. Nam caſtigatio quidem refertur ad bonum eius, qui eam excipit: at vltio ad eum, qui pœnas exigit, vt animus ipſius expleatur. Ac quibus quidem in rebus verſetur ira, conſtabit ex iis, quæ ſuo loco de affectibus tradentur. Septima eſt cupiditas, cui propoſita eſt iucunditas, ita vt propter cupiditatem agantur ea, quæ videntur iucunda. Eſt autem id quoque, cui aſſueuimus, inter iucunda. Multa enim eorum, quæ ſua vi, naturaque iucunda non ſunt, iucunda hominib. videntur, cum aſſueuerint. Quare, vt ſummatim dicatur, quæ per ſe ipſos agūt homines, omnia ſunt aut bona, aut quę videntur bona, aut iucunda, aut quæ videntur iucunda. Quando autem quæ per ſe agunt, ſponte agunt; non ſponte autem, quæ non per ſe: ſequitur, vt omnia, quæ ſponte agunt, aut bona ſint, aut videantur bona; aut iucunda ſint, aut videantur iucunda. Ponitur enim in bonis etiā depulſio malorum, aut eorum, quæ vidētur mala: itemque cōmutatio maiorum in minora. Hæc enim quodammodo expetenda ſunt. Itidemque liberatio ab iis, quæ aut moleſta ſunt, aut videntur: aut maiorum in minora cōmutatio, in rebus iucundis numeratur. Comprehendendum igitur eſt, quot, quæque ſint, tum vtilia, tum iucunda. Ac de vtili quidem ſupra in deliberatiuo genere dictum eſt. Nunc vero de iucundo

cundo dicendũ, ſeu voluptario, ac definienda voluptas, & exiſtimandum in hac diſputatione ſatis eſſe definitiones, quæ neque exquiſitæ ſint, neque obſcuræ. Poſitum ſit igitur voluptatẽ eſſe motionem quandã animi, & conſtitutionem ſubitam, & ſenſibilem, in ſtatu naturæ congruenti: moleſtiam autem contrarium. Conſtat hoc in loco Ariſtotelem agere de voluptate, & rebus iucundis: quia in genere iudiciali iniuriarũ cauſſæ exquiruntur, atq; inter tales cauſſas cupiditas poſita eſt, quæ propoſitam habet voluptatẽ, & res iucundas. De his igitur agitur, quatenus pertinent ad cupiditatem; quoniamque natura voluptatis cognoſci hinc poteſt, in tractatione affectuum libro ſecundo non eſt repetita. Aliam tamen rationem affert Franciſcus Piccolhomineus, maximus noſtrorum temporum philoſophus libri primi Philoſophiæ moralis capite decimoſeptimo ad hunc modum; Ex quo rationẽ rectam elicere valemus, ob quam Ariſtoteles in libris Rhetoricę prius egit de voluptate, & dolore, quam de genere perturbationum: cum enim voluptas, & dolor non ſint reuera perturbationes, ſed ſint cõmunia principia, & comites perturbationum, & debeant in definitione perturbationum accipi; iure optimo neceſſarium fuit, vt congruens ordo ſeruaretur, primo de illis verba facere; quã rationẽ ceteri afferre non valent; immo coguntur fateri, Ariſtotelem turbaſſe rectum ordinem. Nam ſi voluptas, & dolor eſſent ſpecies perturbationis, & reuera perturbationes, vt eſt cõmunis opinio, tunc Ariſtoteles prius de parte, quam de toto, & prius de ſpecie, quam de genere diſſeruiſſet; quod eius præceptis aduerſatur. Duo igitur dicit vir grauiſſimus, tum voluptatem, & moleſtiam nõ eſſe affectus: tum ſi eſſent affectus, illud abſurdi euenturum, vt philoſophus prius egiſſe de parte, & ſpecie, quam de toto, & genere videatur. Cumque libri ſecundi Rhetoricæ capite primo definiti ſint affectus, per quos cũ ſe immutent, differunt in iudicationibus, quos ſequitur moleſtia, & voluptas, vt ira, miſericordia, metus, & quæcunq; alia eiuſmodi, & his cõtraria. ex qua definitione perſpicitur, & affectũ eſſe motionẽ, & affectui comitari voluptatẽ, atq; moleſtiã: confirmat affectus definitionẽ nec voluptati, nec moleſtię conuenire, duplici ratione; primũ quia affectus eſt motio; ideoq;

libri ſecundi Ethicorum capite quinćto ſcriptum eſt,affećtibus animos noſtros moueri. At nec voluptas,nec moleſtia eſt motio, ſed voluptatem ſequitur, quatenus ſcilicet per ipſam motionem aliquid nanciſcimur, quod nobis aut accõmodatum ſit,aut aduerſetur, vt apparet ex libri decimi Ethicorum capite tertio, & quarto. Ergo nec voluptas, nec moleſtia affećtus eſt. Deinde quia affećtus eſt motio ad voluptatem conſequẽdam, vel moleſtiam ſubeundam. Ergo non eſt affećtus: ſed affećtũ ſequitur. Quoniamque hoc in loco traditur voluptatẽ, & moleſtiam eſſe motionem, huiuſmodi dubitationem duobus modis eximit, vt dicat, vel philoſophum locutum eſſe hic populariter,contentum definitione a Platone allata, & communiter probata.in Ethicis vero ſuam ipſius ſententiam expreſſiſſe:vel tradidiſſe quidem eum voluptatem eſſe motionem,ſed ſtatim addidiſſe,conſtitutionem ſubitam,id eſt,finem motionis.Nos primum obſeruamus, quod notauit idem Piccolhomineus eiuſdem libri capite decimoſexto, triplicem eſſe voluptatem, & moleſtiam, vnam, quæ eſt fons, & origo omnium affećtuũ ex cognitione rei propoſitæ,quæ vel naturæ conueniat,vel aduerſetur: alteram,quæ ſpećtatur in fine, dum eo potimur, vel priuamur: tertiam,quæ vehementiſſima eſt ex taćtu, & guſtatu, in qua moderanda temperantiam verſari Plato, & Ariſtoteles tradiderunt. Deinde cogitandum proponimus, an dici poſſit, primam quidẽ voluptatem non eſſe motionem, in qua ipſe Ariſtoteles libri ſecundi Ethicorum capite tertio affirmauit poſitam eſſe omnem virtutem, quod vir probus illis ſemper gaudeat, & doleat,quibus gaudere,& dolere debet:nec ſecundam, quam affirmauit affećtibus comitari: ſed tertiam; hancque fuiſſe inter affećtus enumerandam, niſi eius natura fuiſſet hic explicata; nihilq; abſurdi eſſe, ſi ob iuſtam cauſſam ſpecies ante genus pertrαćtetur,& propter cupiditatem hoc in loco voluptas explicetur,priuſquam natura affećtus aperiatur. Hanc enim tertiam eſſe affećtum ſatis videtur conſtare; tum quod virtus omnis moralis eſt moderatio alicuius affećtus; temperantia autem eſt virtus moralis, & moderatio voluptatis,ac moleſtiæ;itaque voluptas,& moleſtia ſunt affećtus: tum quod affećtus definitio etiam voluptati,& moleſtię conuenit,

cum

tum ſit motio, vt conſtat ex hoc loco, & ad illam alteram voluptatem, ac moleſtiam referatur, quæ motio non eſt, ſed motionem ſequitur: tum quod quidquid pertinet ad appetitum ſentiendi, aut eſt facultas, aut affectus, aut habitus; voluptas autem, ac moleſtia non eſt facultas, nec habitus; igitur eſt affectus. Videtur itaque Ariſtoteles definitione voluptatis ſimul eam comprehendiſſe, quæ eſt affectus, cum appellauit motionem, & eam, quę non eſt affectus, cum dixit ſubitam conſtitutionem: libro autem ſecundo denotaſſe eam, quæ affectus nõ eſt, cũ tradidit; affectus eſſe, quos ſequit̃ voluptas, & moleſtia.

IN CAPVT VNDECIMVM, *de rebus iucundis pertinentibus ad cupiditatem, & nam de cauſſis iniuriarum.*

COgnita natura voluptatis, & moleſtiæ, cognoſcitur etiã, quid ſit iucundum, & moleſtum. Si igitur voluptas eiuſmodi eſt, conſtat etiam iucundum eſſe, quod habet vim efficiendæ eius, quæ dicta eſt, affectionis. Moleſtum vero, quod habet vim corrumpendæ, aut contrariæ efficiendæ affectionis. Iam primo loco quod habet vim efficiendæ propriæ voluptatis, illud eſt iucundum. At naturale plerunque habet vim efficiendæ propriæ voluptatis. Ergo naturale plerunque eſt iucundum. Dicitur plerunque propter deprauatas nõnullorum naturas. Secundo loco, quod eſt quaſi natura inſitum, eſt iucundum. At conſuetum eſt quaſi natura inſitum. ergo iucundum. Ac conſuetudo quidem res ſimilis eſt naturæ. Nam vicinitatem habet id, quod ſæpe fit, cum eo, quod ſemper. Atqui natura quidem eſt eius, quod ſemper fit: conſuetudo vero eius, quod ſæpe. Tertio, quod eſt ſecundum naturam, iucundum eſt. At non violẽtum eſt ſecundum naturam. ergo iucundum. Probatur aſſumptio, ex contrario, quia vis præter naturam eſt. Quamobrem neceſſitates moleſtiam habent: & recte dictum eſt ab Eueno, Inſuaue eſt etenim fieri quodcunque neceſſe eſt. Curationes quoque, & ſtudia, & contentiones neceſſe eſt moleſtas eſſe, quia neceſſitatem habent, & violentæ ſunt res eiuſmodi, niſi homines aſſueuerint. Cõſuetudo enim iucunditatẽ

parit. Res vero contrariæ iucundæ ſunt. Quocirca occaſiones, & ceſſationes a labore, & non curantiæ, & luſus, & requietes, & ſomnus ex rebus iucundis exiſtunt. nihil enim horum ad neceſſitatem eſt. Quarto loco, cuius cupiditas eſt, id iucundum eſt. quod probatur a definitione cupiditatis. nam cupiditas eſt appetitio rei iucundæ. At variarum rerum ſunt cupiditates, vnde ſequitur, varias res eſſe iucundas. Ac cupiditatum quidem duo genera ſunt: aliæ enim expertes rationis, aliæ participes ſunt. Rationis expertes vocantur, quas nequaquam ſuſcipiunt ex eo, quod aliquid exiſtiment. Tales ſunt, quæcunque natura eſſe dicuntur, vt quæ corporis ſunt, qualis eſt ſitis, & fames, & cuiuslibet generis alimenti cupiditas: & quæ cernuntur in iis rebus, quæ guſtatu percipiuntur: & quæ in rebus Venereis, & omnino in iis, quæ pertinent ad tactus delectationem, & in odoratu ſuauitatis, & auditu, & aſpectu. Cum ratione cupiditates appellantur, quæcunq; eorum ſunt, quæ homines ex aliqua perſuaſione cõcupiſcunt. Multa enim & perſpicere, & poſſidere cupiunt, quod aliquid de eis audierunt, ac ſibi perſuaſerunt. Quincto loco quod delectat ſenſum, & phantaſiam, id iucundum eſt. At præſens bonum, & præteritum tum bonum, tum malum, & futurum bonum delectat ſenſum, & phantaſiam. ergo iucundum. Iam, quoniam iucunditatis perceptio pòſita eſt in ſentienda aliqua affectione, & phantaſia eſt ſenſus quidam debilis; & ei, qui recordatur, quique ſperat, conſequens eſt phantaſia quædam eius rei, cuius meminit, aut ſpem habet. hoc poſito, conſtat vehementes ineſſe voluptates iis qui recordantur, & ſperant, ſiquidem ſenſus quoque ineſt. Quare neceſſe eſt omnia iucunda conſiſtere aut in ſenſu rerum præſentium, aut in memoria præteritarum, aut in ſpe futurarum: ſentiunt enim res præſentes; recordantur præteritas; ſperant futuras. Ac quæ quidem memoria cuſtodiuntur, iucunda ſunt, non ſolum, quæcunque tunc cum aderant, iucunda erant, ſed nonnulla etiam non iucunda, ſi eueniat præterea quippiam honeſtum, & bonum. Vnde & illud dictum eſt; Dulcis malorum eſt memoria, vbi illa effugeris. quod Cicero lib. 2. de finibus ſic vertit ex Euripide; Suauis eſt præteritorum malorum memoria. & illud, Nam dele-

delectatur, memor eſt quicunque dolorum, Cum res eſt multas paſſus, multasque peregit. quæ verba ſunt Eumæi ſubulci apud Homerum lib. 15. Odyſſeæ. is enim, cum Vlyſſes ipſi ignotus quæreret conditionem ipſius, ſtatuit ei narrare genus ſuum, & cum dixiſſet doloribus alterum alterius delectatum iri triſtibus, dum eos recordarentur, cauſſam addidit, quod inter dolores is, qui multa ſit perpeſſus, multumque errauerit, delectetur. Atque huius rei cauſſa eſt, quia iucundum eſt etiam malo carere. Ex iis vero, quæ in ſpe ſunt, illa iucunda ſunt, quæ præſentia videntur aut oblectare, aut multum iuuare, aut ſine moleſtia iuuare. omnino quæcunque præſentia oblectāt, plerunque etiam eos, qui ſperant, & recordantur, oblectant. Sexto loco, quod habet ſpem futuri boni, id iucundum eſt. At iraſci habet ſpem futuri boni. ergo iucundum. Διὸ καὶ τὸ ὀργίζεσθαι ἡδύ· ὥσπερ Ὅμηρος ἐποίησε περὶ τοῦ θυμοῦ, ὅστε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο. οὐδεὶς γὰρ ὀργίζεται τῷ ἀδυνάτῳ φαινομένῳ τιμωρίας τυχεῖν. οὐδὲ τοῖς πολὺ ὑπὲρ αὐτοὺς τῇ δυνάμει, ἢ οὐκ ὀργίζονται, ἢ ἧττον. Quamobrem & iraſci iucundum eſt, vt Homerus cecinit de excandeſcentia, Quæ melle effuſo longe eſt dulcior. Nemo enim iraſcitur ei, qui vindicari non poſſe videatur: iis vero, a quibus multum ſuperantur potentia, aut non iraſcuntur, aut minus. Sic quoque legit Muretus. At Victorius, Maioragius, Sigonius auctoritatem Homeri in vltimum locum transferunt ſic; Quo fit, vt iraſci iucundum ſit: quia nemo iraſcitur ei, qui vindicari non poſſe videatur. Quinetiam iis, qui ſe multum ſuperant viribus, aut non iraſcuntur, aut imbecillius: quemadmodum cecinit Homerus de excandeſcentia; Quæ melle liquente magis dulcis. Sunt verba Achillis, qui cum Patrocli mortem intellexiſſet, & Thetidi matri luctum ſuum expoſuiſſet, ait in hanc ſententiam apud Homerum lib. 18. Iliadis;

Vtinam contentio ex diis, & ex hominibus pereat.
Et ira, quæ cogit, quamuis prudentem, ſæuire,
Quæque multo dulcior melle liquente
Virorum in pectoribus augetur, velut fumus.

Septimo loco quod recordat̃, aut ſperat bonū, id iucundū eſt. Talis eſt cupiditas. ergo iucunda. Ac maximā quidē cupiditatū

partem voluptas quædã conſequitur. Nam dũ aut recordãtur, quemadmodum potirentur, aut ſperant fore, vt potiantur, voluptate quadam perfunduntur; quemadmodum qui in febribus ſitim habent, &, dum recordantur ſe bibiſſe, & dum ſperãt ſe bibituros, gaudent: & qui amant, ſiue colloquantur, ſiue ſcribant, ſiue verſus faciant de amoribus ſuis, voluptatẽ ex eo ſentiunt. In his enim omnibus rebus eiuſmodi dum recordãtur, quodammodo ſe rem amatam ſentire arbitrantur. Immo vero in omnibus principium illud amoris eſt, cum alicuius non præſentia tantum oblectantur, ſed abſentem quoque in memoriam reuocantes amant. διὸ καὶ ὅταν λυπηρὸς γένηται τοῦ μὴ παρεῖναι, καὶ ἐν τοῖς πένθεσι, καὶ θρήνοις ἐγγίνεταί τις ἡδονή. Priora verba ad verbum Amant Muretus refert ſic; Itaq; cum etiam abſentia anguntur, plane amant. Luctibus quoque & lamentationibus adiuncta eſt naturalis quædam voluptas. Nos referimus ad illud ἐγγίνεταί τις ἡδονή, & vertimus ſic; Quamobrem & cum quis moleſtia afficit, quod non adſit, & in luctibus, & lamẽtationibus exoritur quædam voluptas. Affertur ratio, quia moleſtia quidem eſt in eo, quod non adſit: voluptas verò in eo, quod recordetur, & videat quodãmodo illum, & quæ ageret, & qualis eſſet. Quare etiam id dictum eſt; Sic ait, & cunctis lachrymarum accendit amorem. quod eſt apud Homerum lib. 23. Il. Achilles enim ſociis ſuis narrauit, Patroclum amicum ſuum in ſomnis ſibi viſum eſſe, ſuam deflentem fortunam, & rogantem, vt ſuum ſepulturæ corpus daretur. Itaq; illis omnibus deſiderium luctus excitauit. Octauo loco ex contrario, ſi dolet is, qui vlciſci non poteſt, gaudet is, qui vlciſcitur. Itaque vlciſci iucundum eſt. quod enim ſi non conſequamur, moleſtum eſt, id ſi conſequamur, iucundum eſt. qui verò iraſcuntur, moleſtiam habent incredibilem, niſi vlciſcantur: ſperantes autem ſe vlturos, gaudent. Nono vbi phantaſia gignitur excellentiæ, ibi eſt iucunditas. At in victoria phantaſia gignitur excellentiæ. ergo in victoria eſt iucunditas. Quocirca vincere iucundum eſt non ſolum ſtudioſis victoriæ: ſed etiam omnibus. Nam qui vincit, hoc ipſo ſibi ſuperior videtur: quod quidem omnes cupiunt, aut remiſſius, aut vehementius. Decimo vbi eſt victoria, ibi eſt iucunditas. At in ludis eſt victoria. ergo iucunditas.

369

cunditas. Quoniam, inquit philoſophus, vincere iucundũ eſt, neceſſe eſt etiam ludos iucundos eſſe, tum qui pertinent ad pugnas, tum ad tibias, tum ad diſputationes: ſæpe enim in ipſis accidit vincere: & ludos talorum, & pilæ, & aleæ, & teſſerarum. Idemque dicendum eſt de ſeriis ludis. Nam eorum quidã adhibita conſuetudine iucundi fiunt: quidam ſtatim iucũdi ſunt. Vt venatio, omnisque ars captandi feras. Vbi enim certamen eſt, ibi & victoria. Vndecimo vbi eſt victoria, ibi iucunditas. At in iudiciali, & contentioſa diſputatione eſt victoria. ergo iucunditas. ſcilicet iis, qui aſſueuerint, quique in ea valeant. Duodecimo, quibus in rebus oritur phantaſia excellentiæ, illæ ſunt inter iucundiſſimas. At in honore, & gloria oritur phantaſia excellentiæ. ergo honor, & gloria e numero ſunt rerum iucundiſſimarum. talem enim ſe quiſque putat, qualem haberi videt: & magni pretij eſſe: idque magis, ſi id dicunt ij, quos ipſe vera dicere arbitratur. Eiuſmodi vero ſunt vicini magis, quam longinqui: & familiares, & noti: & ciues, quam externi: & præſentes, quam futuri: & prudentes, quam imprudentes: & multi, quam pauci. Veriſimilius enim eſt, vt hi, qui commemorati ſunt, vera dicant, quam contrarij: quoniam illorum, quos aliquis valde contemnit, vt puerorum, aut belluarum, non curat honorem, aut exiſtimationẽ, ipſius ſcilicet exiſtimationis gratia: nam ſi curat, propter aliquid aliud curat. Decimotertio, ſi amare, & amari iucundum eſt, amicus ex rebus iucundis eſt. At amare iucundum eſt, quia nemo amans vini eſt, qui nõ gaudeat vino: & amari iucundum, phantaſia enim ibi eſt, ſibi adeſſe bonum, quod omnes concupiſcunt, qui ſenſum habeant. Vnde ſequitur amicitiam eſſe iucundam. Decimoquarto vbi honor, ibi iucunditas. At in eo, vt quis ſuſpiciatur, eſt honor. ergo etiam iucunditas. Decimoquincto, vbi apparet admiratio, & amicitia, ibi eſt iucunditas. At in adulatione, & in adulatore apparet admiratio, & amicitia. ergo etiam iucunditas. Decimoſexto, conſuetum eſt iucundum. eadem agere eſt conſuetũ. ergo eadem agere eſt iucundum. Decimoſeptimo, quod naturæ accommodatum eſt, id iucundum eſt. At permutare eſt naturæ accommodatum. ergo iucundum. Nam idem ſemper ſuperat habitum naturæ cõſentaneum. Vnde dictum eſt illud

apud Euripidem in Oreſte; Rerum omnium iucunda cõmutatio eſt. propterea enim & homines, & res ipſæ iucundæ interuallo temporis fiunt. nam permutatio illa quædam eſt ex præſenti:ſimulq; quod interiecto tẽpore fit,id raritas ipſa commendat. Decimooctauo,vbi cupiditas,ibi iucunditas. At in admiratione eſt cupiditas diſcendi.ergo iucunditas. Admirabile enim excitat deſiderium. Præterea cum erigimur in eum ſtatum,qui naturalis eſt,gaudemus. At in dicendo erigimur in eum ſtatum,qui naturalis eſt.ergo in diſcẽdo gaudemus. Decimonono, conſequi id quod concupiſcunt, eſt e rebus iucundis. At beneficium accipere eſt conſequi id,quod concupiſcũt. ergo eſt e rebus iucũdis. Præterea habere,& excellere iucundũ eſt. At benefacere eſt habere,& excellere.ergo iucundum. Vigeſimo, quod valet ad benefaciendum,id iucundum. At corrigere proximos valet ad benefaciendum.ergo iucundum.Vigeſimoprimo, quod valet ad benefaciendum, id iucundum. At inchoata perficere valet ad benefaciendum. ergo iucundũ. Diuerſa autem cauſſa diuerſum facit hunc locum a vigeſimoſeptimo.nam hic ſpectatur beneficentia: illic,quia ſua euadũt. Vigeſimoſecundo, diſcere, & admirari eſt iucundum. ergo etiam omne, quod imitando expreſſum eſt, qualis pictura, & ſtatuaria,& poetica,& quicquid imitando bene expreſſum ſit, etiamſi iucundum non ſit illud, cuius imitatio eſt. Non enim ea in re gaudet: ſed ratiocinatur hoc eſſe illud. Quare aliquid diſcere contingit. Vigeſimotertio, admirabile eſt iucundum. ergo etiam ancipites,variique caſus, & ſeruari e periculis, quæ propemodum oppreſſerint. Vigeſimoquarto,naturale eſt iucundum. ergo omnia cognata, & ſimilia iucunda. Vt homo homini,equus equo,iuuenis iuueni. Vnde ducta ſunt & prouerbia; Æqualis æqualem delectat: & Semper ſimile ſimili amicum: & Cognouit fera feram,Leo leonem nouit: & Lupus lupum: & graculus cum graculo: & quæcunque alia eiuſmodi ſunt. Vigeſimoquincto, Simile, & cognatum eſt iucundum. ergo omnes ſunt ſibi iucundi, & ſui amantes, aut magis, aut minus. Vigeſimoſexto, omnes ſunt ſui amantes, & ſibi iucundi. ergo etiam ſua omnibus ſunt iucunda, vt opera, & orationes. Quamobrem amantes ſunt plerunque aſſentatorum,

& ama-

& amatorum,& honorum,& liberorum:ipſorum enim opera liberi ſunt. Vigeſimoſeptimo,ſua omnibus ſunt iucunda. At inchoata perficere eſt ſuum opus efficere.ergo iucundum. Vigeſimooctauo, quod pertinet ad principatum, id iucundum eſt. At ſapere pertinet ad principatum. ergo iucundum. Hic autem affertur definitio ſapientiæ, quæ prætermiſſa eſt in genere demonſtratiuo,vbi aliæ virtutes ſunt definitæ. Dicitur enim ſapientia eſſe rerum multarum,& admirabilium ſcientia. Vigeſimonono, ἐπεὶ φιλότιμοι ὡς ἐπιτοπολὺ, ἀνάγκη καὶ τὸ ἄρχειν, καὶ τὸ ἐπιτιμᾶν τοῖς πέλας ἡδὺ εἶναι, quoniam amantes ſunt plerunque honoris, neceſſe eſt & principem eſſe, & increpare proximos, iucundum eſſe. Maioragius, Sigonius, Muretus, & in conuerſione ſua Victorius omittit illud, καὶ τὸ ἄρχειν, quamuis idem in cõmentario affirmet,in antiquiſſimo libro reperiri,& vetere quoque tralatione expreſſum eſſe. Nos prætermittendum non duximus, quoniam dictum quidem eſt paullo ſupra, τὸ ἄρχειν ἥδιστον, ſed κατὰ συμβεβηκὸς, vt videlicet probaretur, iucundum eſſe τὸ σοφὸν δοκεῖν εἶναι: hic autem videtur dictum per ſe,& probatum ea ratione,quia conficiat honorem,& plerunque homines amantes honoris ſint. Trigeſimo,honor eſt ex rebus iucundis. ergo etiam ibi aſſidue verſari,in quo ipſe ſibi optimus videtur, quemadmodum Euripides ait:Nam quiſque ad id frequens adeſt,Magnamque in illo temporis partem terit.Euadat ipſe ſemet vt præſtantior.Poſtremo ludus eſt e numero rerum iucundarum, & omnis animi remiſſio, & riſus. Ergo neceſſe eſt etiam ridicula iucunda eſſe & homines,& orationes, & opera. Diſputatum autem eſt de ridiculis in iis, quæ ſunt de Poetica. In hunc locum ſic Victorius; Se, quæ ad iocos,ridiculaque pertinẽt, explicaſſe tradit in libris de arte Poetarum. In tertio etiam horum de artificio dicendi librorum pene ad extremum, cum ſæpe oratori vtiles eſſe facetias diceret, reiecit lectorem ad ea, quæ in illis a ſe accuratius tradita fuerant; additque etiam ſe,quot genera facetiarum eſſent,illic docuiſſe. Tota autem illa pars periit, non ſine graui iactura ſtudioſorum. In primo tamẽ libro,qui vnus e tribus reliquus eſt, ridiculi definitionẽ attulit. Hæc ille; quem ex virorũ doctiſſimorum obſeruatione in Cõmentario artis Poeticæ Ariſtotelis

notauimus errorem committere in eo, quod puter librum, qui extat artis Poeticæ, eſſe vnum de tribus, qui inſcripti erant de poetis; quos tamen comprehendiſſe magis poetarum vitam, quam præcepta, auctoritate Diogenis in vita Socratis, & Plutarchi in vita Homeri confirmatum eſt. Non igitur eſt vnus de illis tribus, ſed de duobus editis cum hac inſcriptione, Traditio Poeticæ artis. Quod erratum quamuis in Cõmentario ſuo non deleuerit: tamen videtur agnouiſſe in epiſtola, qua & conuerſionem a ſe factam, & cõmentarij perpolitionem Franciſco Medici Magno Duci Etruriæ dicauit, ſcribens ad hunc modum; Non minus autem deplorandum eſt, quod, cum ille quoque ſcripſiſſet tres libros de poetis claris, vt exiſtimare licet; quique aliquam laudem, & gloriam in eo ſtudio conſecuti forent; in qua diſputatione neceſſe eſt, vt tetigerit non pauca, quæ merito laudari in eo ſtudio poſſunt; vt etiam quæ non ſine cauſſa illic reprehendi, & improbari: illi quoque abſumpti ſunt, & nobis non ſine magno noſtro damno e manibus erepti. Sic ille. Obſeruauimus quoque eundem librum citari de Poetica, & de Poeſi, vt idem eſſe Poetica, & Poeſis in huiuſmodi inſcriptione videatur. Ac de iucundis quidem hæc dicta ſint: Moleſta autem ex contrariis patent.

IN CAPVT DVODECIMVM, *Qui faciant iniuriam, Quibus faciant, & in quibus potiſſimum rebus.*

DE iniuria tria propoſita ſunt, Quarum rerum cauſſa, Qui, & Quibus iniuriam faciant. Adhuc autem primum eſt pertractatum. Quare ſequitur ſecundum, & tertium, vt Qui, & Quibus iniuriam faciant, explicetur.

Ac prima quidem propoſitio eorum, qui faciunt iniuriam, ducta eſt a quinctuplici opinione, cum putant fieri poſſe, vt res agatur: & fieri poſſe, vt a ſe ipſis agatur: cum putant ſe latituros, ſi egerint: aut ſi non latuerint, ſe impune abituros: aut pœnam quidem daturos, ſed ita, vt pœna minor ſit lucro, quod vel ipſi conſecuturi ſint, vel ij, quos amant. Quod attinet ad primam opinionem, quæ quidem ſint ea, quæ poſſe fieri videantur, & quæ

quæ non poſſe fieri, in iis, quæ poſterius tradentur, explicabitur:communia enim ſunt omnibus partibus Rhetoricæ, & omnibus generibus orationum. Quare cum de talibus, quæ communia ſunt, agetur, ſimul illa explanabuntur, in capite ſcilicet vndeuiceſimo libri ſecundi. Quod attinet ad alteram opinionem, qui impune iniuriam ſe facere poſſe arbitrantur, hi potiſſimum ſunt; eloquentes: & qui in rebus gerendis multũ valent: & qui forenſes res pulchre cognitas habent, & in variis contentionibus verſati ſunt: præterea qui abundant amicis: & qui diuites ſunt. Cumque maxime exiſtiment ſe poſſe impune omnia audere, qui præſidia illa in ſe habeant, quæ ſupra memorauimus. Sunt tamen nonnulli ad iniurias procliues, qui rebus illis minus inſtructi, habent amicos, aut ſocios, aut miniſtros. Horum enim opera poſſunt adiuuari ad maleficia aut perficienda, aut occultanda: aut ſi patefacta fuerint, pœnam, quæ legibus impoſita eſt, effugiendã. Præterea putant ſe poſſe iniuriam facere, ſi amici ſint iis, qui iniuriam accipiunt, aut iudicibus: quia amici parum cauent, ne iniuria afficiantur, ac ante ipſorum animi placantur, quam litem intendant: iudices vero ſolent amicis gratificari, eosque aut omnino abſoluunt, aut leui pœna mulctant. Quod attinet ad tertiam opinionem, ij latere ſolent, qui remoti videntur a facinoris crimine, vt imbecillis a verberibus, & pauper, ac deformis ab adulterio. Deinde tum in iis rebus abeſſe videmur a facinoris ſuſpicione, quæ valde patent, ac in medio, & ante oculos ſunt poſitæ: non enim tunc obſeruamur, cum exiſtimat nemo aliquem fore, qui ipſas admittere auderet: tum in iis, quæ tantę, ac tales ſunt, vt in his facinus admiſerit nemo. Nam & huiuſmodi res non obſeruantur. Omnes enim vt morbos, ita iniurias vſitatas cauent. Quo autem morbo nullus vnquam tentatus fuit, eum nemo reformidat. Præterea apti ad latendum ſunt, quibus nullus eſt inimicus, vel multi ſunt inimici. Quibus enim nullus eſt, ij putant ſe latere poſſe, propterea quod non obſeruantur, nec cauentur: quibus vero multi ſunt, ij quoque latẽt, quia non videntur conaturi, cum obſeruentur, & quia habent hanc defenſionem, ſe non fuiſſe conaturos, cum tot ſint, qui obſeruẽt inimici. & ij, quibus ſunt latibula, vt facile, quæ voluerint ab-

ſcondere, & occultare queant, aut modus, aut locus opportunus adeſt, aut facultas commoda rei expediendæ. Quod attinet ad quartam opinionem, illi etiam, quamuis non lateant, rẽ adoriuntur, quibus liceat iudicium depellere, aut differre quotidie, ac procraſtinare, aut corrũpere iudices: & quibus ſi multa irrogetur, eſt depulſio ſolutionis, aut dilatio temporis, aut propter inopiam ipſi nihil habeant, quod amittant. Quod attinet ad quinctam opinionem, illi quoque faciunt iniutiã quibus lucra videntur certa, vel magna, vel propinqua, damna vero vel modica, vel incerta, vel longinqua: & cui pœna par non eſt vtilitati; qualis eſt Tyrannis, quæ videtur conſequi maiora emolumenta, quam pœnas, ſi puniatur: & quibus iniuriæ lucrum apportant; damna vero, quæ ob iniurias illatas ſuſtinentur, dedecus ſolum: & quorum contra iniuriæ quidem in laude aliqua ponuntur, vt ſi contingat aliquos ſimul cum iniurias faciunt, vlciſci patrem, & matrem, quemadmodum fecit Zeno: damna vero ſunt, vt pecuniarum, aut exilij, aut alicuius eiuſmodi rei. Obiter obſeruandum eſt, Zenonum trium in veterum ſcriptis fieri mentionem, vnius Eleatis, alterius Citiæi, tertij Epicurei; quiq; hoc in loco cõmemoratur, eſſe Eleatem, non Citiæum, nec Epicureum, qui fuerunt poſt Ariſtotelem. Ac Eleatem quidem ſcripſit Cicero in 2. Tuſc. maluiſſe omnia perpeti, quam conſcios delendæ Tyrannidis indicare. Citiæũ vero in 5. Tuſc. teſtatus eſt, inſinuaſſe ſe in antiquam philoſophiam, vt cum apud Platonem ſæpe dictum ſit, nihil præter virtutem bonum eſſe, ac potiſſimum in Gorgia, & in Epitaphio ex Platonis auctoritate manauerit eius oratio, cuius ſententiam ſecuti ſunt Stoici omnes. Is poſt Ariſtotelẽ vixit. Nam Ariſtotelis fuit auditor Polemon; & Polemonem audiuit Zeno, vt legitur lib. 4. de finibus. Epicurei autem mentio eſt lib. 1. Acad. Quæſt. lib. 1. de finibus, & in 3. Tuſc. vbi verbis eius exprimitur forma vitæ beatæ ex ſententia Epicuri. Sed vt ad rem redeamus, vtrique iniuriam faciunt, & vtroq; modo ſe habentes, tum qui mouentur quæſtu, tum qui laude; vt re vna contempta, alteram obtinere contendant: at non iidem, ſed contrarij ſunt moribus: hi enim contempta vtilitate ad laudẽ: illi vero poſthabita fama ad lucrũ cupiditate rapiuntur. Secunda

propo-

ſitio eorum, qui faciunt iniuriam eſt, qui ſæpenumero aut latuerunt, aut pœna mulctati non fuerunt. Tertia, quibus res ſæpe parũ proſpere ſucceſſit. εἰσὶ γάρ τινες καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς πολεμικοῖς οἷον ἀναμάχεσθαι. Sunt enim aliquietiam in talibus, vt in bellicis, parati rurſus pugnam tentare. Nobis placuit ſententia illorum, qui legendum putarunt οἷοι ἀναμάχεσθαι. Quarta, quibus ſtatim aliquid iucundi contingit, poſtea autem aliquid acerbi: vel confeſtim quidem lucrum, damnum vero poſtea. Intemperantes autem eiuſmodi ſunt: ac intemperantia eſt in omnibus, quę appetunt. Quincta, quibus contra aliquid acerbi, vel damni iam adeſt: quod vero iucundũ ſit, & vtile, poſtea ſuccedit, ac diuturnius eſt. Continentes ſane, & prudentiores talia perſequuntur. Sexta, quibus contingit videri aut fortuna, aut neceſſitate, aut natura, aut conſuetudine egiſſe, omninoque erraſſe, & non iniuriam feciſſe. Septima, quibus poteſt contingere, vt iniuriam faciendo ſecum nõ ſummo iure, ſed mitius, atque ex æquo, & bono agatur. Octaua, qui indigentes ſunt. dupliciter vero indigentes ſunt: aut enim, quod rebus neceſſariis indigeant, vt pauperes: aut quod ſuperuacaneis, vt diuites. Nona, qui in maxima, ac optima, quiq; in nulla, ſeu turpi exiſtimatione ſunt. Illi enim ea exiſtimatione nõ putabuntur ad iniurias quaſdã inferendas, aut flagitia admittenda deſcendiſſe: hi vero ſi nullo nomine ſint, ſeu valde infames, non exiſtimabuntur eſſe peiores, quam adhuc in hominum opinione ſint, nihilque præterea erit, quod de exiſtimatione ſe perdere poſſe credant, nihilo maiore infamia futuri, quam antea fuerint. Ac ipſi quidem ſic ſe habentes ad faciendam iniuriam aggrediuntur.

Tertia materia iniuriarum complectitur eos, quibus iniuriam faciunt, qui quidem octodecim modis explicantur. Primo qui eiuſmodi res habent, quibus ipſi egent; ſiue ſint illæ ad victum neceſſariæ, ſiue ad exuperantiam ſpectent, ſiue ad voluptatem. Secundo, tum qui procul, tum qui prope ſunt. horũ enim comprehenſio velox eſt: illorum vero vltio tarda. Vt qui ſpoliant Carthaginienſes a Græcia valde remotos. Tertio, qui non cauent, neq; obſeruant, ſed creduli ſunt: eſt enim facilius hos celare omnes. Quarto, qui deſidioſi ſunt, quod diligentis,

& induſtrij ſit reſiſtere iniuriis, & ius perſequi. Quincto, qui verecundi ſunt. quod minime in iis, quæ ad lucrum pertinent, pugnaces ſint. Sexto, qui a multis iniuriam paſſi ſunt, & ius perſequuti non ſunt, quaſi ſint, vt in prouerbio eſt, Myſorum præda, de quibus ſcripſit Strabo lib. 12. vt de hominibus ignauiſſimis. Septimo quos nunquam amplius, & quos ſæpe iniuria affecerunt: quia vtrique incauti ſunt; illi quidem, quod nullas vnquam iniurias antea perpeſſi ſint: hi vero, quod nullam amplius ſibi imminere credant. Octauo, qui criminibus, opprobriisque onerati ſunt, & qui facile calumniis opprimi queunt. tales enim nec volunt adire iudices, quos formidant, nec poſſunt illis quicquam ſuadere, qui ipſos infames iudicant; ex quibus ſunt, qui odio habentur, & quibus inuidetur. Nono, contra quos cauſſam licet prætexere iniuriæ illatæ, quod aut maiores eorum, aut ipſi, aut eorum amici læſerint, aut lædere voluerint vel ipſos, vel maiores, vel eos, quorum ipſi curam habent. atque id eſt, quod prouerbio dicitur, Colore tantum malitia aliquo indiget. Decimo, tum qui inimici, tum qui amici ſunt. hos enim facile eſt iniuria afficere: illos vero iucundum. Vndecimo, qui amicis carent, & non valent in dicendo, nec in agendo: hi enim aut non audent congredi, aut placantur, reconciliantur que, aut nihil proficiunt. Duodecimo, quibus non conducit otiari expectando, vt iudicio maleficium puniatur, vel ipſi in integrum reſtituantur, & ipſis ſatisfiat, & aliqua ratione damna compenſentur. Veluti ſunt aduenæ, & qui victũ ſibi induſtria ſua comparant. nam ob res paruas tranſigunt, & facile huiuſmodi homines mitigantur. Decimotertio, qui multa iniurioſe egerunt, vel talia, qualia patiuntur. fere enim iniuria non videtur eſſe, cum quis talem iniuriam perpeſſus eſt, qualem conſueuit & ipſe facere. Verbi cauſſa, ſi quis verberet eum, qui conſueuit contumeliã facere. Decimoquarto qui aut mala intulerunt, aut inferre voluerunt, aut volunt, aut illaturi ſunt. nam voluptatem, decusque habere videtur, hos malis vexare; ac prope iniuſte agere ſibi non videntur homines, cum inimicos iniuria afficiunt. Decimoquincto, quos vexando, & lædendo gratum facient aut amicis, aut iis, quos admirantur, aut iis, quos amant, aut dominis, aut omnino iis, ad quorum arbi-

343
arbitrium ipſi viuunt, & apud quos licet conſequi æquitatem, cōmodique aliquid reportare, ac benignitatem experiri. Decimoſexto, in quos inuecti ſunt, & cum quibus ſimultates exercuerunt. Veluti Callippus Dionem, cum quo ſibi ſimultates fuerant, interfecit. qui enim ita lædit, prope iniuſte agere non videtur. Decimoſeptimo, qui ab aliis mala paſſuri ſunt, ni ipſi intulerint, adeo vt non vltra deliberandum ſit, an illis mala inferre debeant. Vt Æneſidemus fertur Leontinus ad Gelonem Syracuſanum, qui ſeruitutem induxerat, quibus ipſe volebat, miſiſſe cottabia, præmia quædam, quæ victori donabantur, propterea quod anteuertiſſet id, quod ipſe facturus erat. Decimooctauo, quos vbi iniuria affecerint, multa poſtea iuſte facere poterunt, tamquam facile medicaturi. Vt Iaſon Theſſalus aiebat, quædam iniuſtę facienda eſſe, vt poſtea multa iuſte fieri poſſint.

Adduntur quædam de rebus, in quibus iniuriæ fieri ſolent. ex quibus primum locum tenent ea facinora, quæ cuncti, aut magna pars hominum admittere conſueuerunt. ſperāt enim fore, vt veniam impetrent. Sequuntur & res, quæ ſurreptæ facile occultari queunt; cuius generis ſunt illæ, quæ aut celeriter abſumuntur, vt eſculenta, aut facile commutantur, ſiue forma varietur, ſiue color, ſiue temperamentum, aut quæ nullo negocio multis in locis abduntur, ita vt non appareant; cuiuſmodi ſunt, quæ huc, & illuc facile comportari poſſunt, & paruis in latebris, locisque anguſtis abſcondi. Atque his annumerandæ ſunt res, a quibus nullo modo diſcrepantes multas, quibusque plane ſimiles prius habebat is, qui iniuriam fecit. difficulter enim a domino etiam ſpectatæ cognoſcuntur. Tertium locum occupant res, quas iniuria affectos proferre pudet, vt ſunt contumeliæ in vxores, aut in ipſos, aut in liberos. Quartum, & vltimum res, ob quas ſi quis iure experiri vellet, exiſtimaretur nimis appetens eſſe litium, vt ſunt res leues, & minutæ, & quibus vulgo homines ignoſcere conſueuerunt. Ac quomodo affecti animo homines iniurias faciunt, & quales, & qualibus, & quare, eſt hactenus explicatum.

Cum autem ſint quattuor controuerſiæ, vel ſtatus ex doctrina Ariſtotelis libri tertij capite decimoſeptimo, de facto; de

nomine facti, de qualitate, de quantitate, quos appellant coniecturalem, definitiuum, generalem, quantitatis; quæ in ſuperioribus capitibus tum de cauſſis iniuriarum, tum de iis, qui faciunt iniuriam, tum de iis, quibus faciunt, & de rebus etiam, in quibus facile faciunt, tradita ſunt, videntur omnia ad ſtatum coniecturalem pertinere. Nam in proximo ſequenti capite ſtatus generalis, & ſtatus definitiuus pertractatur. In capite autem decimoquarto ſtatus quantitatis.

In caput decimumtertium, *de iuſtis, & iniuſtis distinctis tum ratione legum, tum ratione hominum, & de æquis.*

NVnc omnia iniuriarum, & omnia iuſte factorum genera diſtinctius explicāda ſunt, hinc ducto principio, quod iuſta, & iniuſta dupliciter diſtinguuntur, tum quod a duabus legibus manant, tum ratione eorum, ad quos referuntur. Lex dicitur alia propria, alia communis. propria quidem ea, quam ſibi quiſque populus ſtatuit, eaque aut non ſcripta, aut ſcripto comprehenſa: communis autem ea, quæ naturalis eſt. nam eſt iuſtum quoddam natura, & iniuſtum, de quo homines quaſi diuino quodam inſtinctu vaticinantur, etiam ſi nulla de eo inter illos communicatio, aut pactio interceſſerit. Quale & Antigone apud Sophoclem dicere videtur, iuſtum eſſe affirmans ſepelire Polynicen fratrem congreſſum ſingulari certamine cum Etheocle, & ab eo necatum, quamuis lege Creontis ſepelire vetitum ſit, propterea quod id natura ſit iuſtum.

Neque enim hodie ius hoc receptum eſt, aut heri:
Æternitate fixum ab omni ſed viget:
Neque origo quæ ſit eius, vlli cognitum eſt.

Et vt Empedocles dicit de non interficiendis animalibus. Id enim non aliis quidem iuſtum eſt, aliis non iuſtum:

Sed ſeſe in populos ſpatia alta per ætheris omnes
Porrigit, effuſo ſplendet qua lumine cœlum.

Et vt Alcidamas quoque in Meſſeniaca dicit. Eorum præterea ratione, ad quos pertinet, in duo genera diſtinguitur iuſtum,

ſtum, & iniuſtum. Nam tum quæ agenda ſunt, tum quæ non ſunt, aut ad totam communitatem, aut ad vnum aliquem ex communitate referuntur. Vnde & iuſte, & iniuſte facere duobus modis aliquis poteſt. aut enim ad vnum aliquem certum, ac definitum pertinet, quod factum eſt: aut ad commune. nam qui adulterium facit, aut verberat aliquem, lædit vnum: at qui militiam detrectat, lædit ipſum commune. Iam duo habemus, iuſta, & iniuſta referri ad duo genera legum. Præterea ad homines dupliciter. Tertium ſit ex ſuperioribus repetitum, quid ſit iniuriam accipere. iniuriam enim accipit, cui quid ſit iniuſte a ſponte agentibus. Supra enim definitum eſt, eum demum iniuriam facere, qui ſponte agit. Quartum ſit, cognoſcendas eſſe ex ſuperioribus iniurioſas noxas, tamquam mala illata ab iis, qui ſponte agunt, & accepta ab inuitis. Quinctum ſit, omnia crimina, quibus homines in iudicium vocantur, & omnes accuſationes variis modis diſtingui; Primo, vt vel ad commune, vel ad priuatum referantur: Secundo, vt ſint de eo, quod quis commiſit aut neſciens, & inuitus, aut ſponte, & ſciens; idque aut ex prælectione, aut ex aliqua animi permotione, vt ex ira, de qua dicetur in iis, quæ de affectibus diſputabuntur. cuiuſmodi vero res præligant, & quomodo ſe habentes, iam dictum eſt. Sextum ſit, quod pertinet ad ſtatum definitiuum, ſæpe homines, cum ſe id, quod obiicitur, feciſſe fateantur, ipſam criminis inſcriptionem non agnoſcere: aut negare factum ſuum tale eſſe, vt ea inſcriptione notandum ſit. Cuius rei ſex afferuntur exempla; Primum, cepiſſe quidem ſe, ſed furatos non eſſe. Alterum, priores verberaſſe, neque tamen contumeliam feciſſe. Tertium, concubuiſſe quidem, ſed adulterium non cõmiſiſſe. Quartum, furatos eſſe, ſed non feciſſe ſacrilegium: neq; enim quidquam abſtuliſſe, quod Deo ſacrum eſſet. Quinctum, coluiſſe quidem, ſed non agrum publicum. Sextum, collocutos quidem cum hoſtibus, ſed non prodidiſſe. Quocirca traditur, hæc quoque accurate prouidenda, ac diſtinguenda eſſe; quid ſit furtum, quid contumelia, quid adulterium; vt ſiue probare velimus eſſe, ſiue non eſſe, poſſimus, quid in quaq; re iuris ſit, patefacere. Sunt autem hæc omnia in eo poſita, vt id, quo de

agitur, iniuſtum eſſe, & improbum, aut non iniuſtum eſſe doceamus. Improbitas enim, & ipſum iniuſte facere ex prælectione pendet. Eius autem generis nomina, vt contumelia, vt furtum, prælectionem adſignificant. Non enim ſi quis verberauit, ideo ſtatim contumeliam fecit; ſed ſi certo conſilio, vt ignominia afficiendi eum, quem verberauit, aut ex eo voluptatem percipiendi. Neque quiſquis clam quid ſuſtulit, omnino furatus eſt; ſed ita demum, ſi animo nocendi ei, cuius res eſt, eamque auertendi. Vt autem in his, ſic & in aliis ſe res habet. Vltimum ſit in hoc capite, quod pertinet ad ſtatum generalē, ſeu qualitatis, cum quæritur aliquid vtrum iuſtum, an iniuſtum ſit. Quando autem iuſtorum, & iniuſtorum duo genera eſſe dicebantur, vnum eorum, quæ ſcripta ſunt, alterum eorum, quæ non ſcripta; de iis quidem, de quibus leges loquuntur, dictum eſt: eorum vero, quæ ſcripta non ſunt, bipertita etiam diuiſio eſt. Nam alia quidem ſunt, quæ exuperantia virtutis, & vitij continentur, & cum eximia quadam aut virtute, aut improbitate coniuncta ſunt, quibus laudes, honores, dona, aut contra dedecus, atque infamia propoſita eſt. Vt habere gratiam benemerenti, atque referre, & promptum eſſe ad opem ferendam amicis, & quæcunq; alia eius generis ſunt. Alia vero ſunt quaſi ſupplementum quoddā legis ſcriptæ. Iuſtum enim videtur etiā id, quod æquum eſt. Et æquū eſt, quod præter ſcriptam legem iuſtum eſt. Euenit autem hoc partim inuitis eis, qui leges ſcribunt: partim volentibus. Ac inuitis quidem, cum quid eorum intelligentiam effugit: volentibus vero, cum quid certo definire non poſſunt, ſed neceſſe habent vniuerſe loqui, etiamſi non ſemper ita ſe res habeat, ſed plerunque: & quæcunque definire facile non eſt propter infinitatem; vt quanto, & quali ferro quis vulnerauerit. tempus enim defecerit eum, qui ſingula enumerando perſequi velit. ſi res igitur indefinita ſit, & de ea tamen ferenda lex ſit, vniuerſe loqui neceſſe eſt. Itaque ſi annulum quiſpiam habens, manus alicui intulerit, & aliquem percuſſerit, lege quidem ſcripta tenetur, & iniuſte facit: reuera autem iniuſte non facit. Atq; id æquum eſt. Quod ſi ita ſe habet, apparet, cuiuſmodi res ſint æquę, & non æquæ, καὶ ποῖοι οὐκ ἐπιεικεῖς ἄνθρωποι, & quales non æqui homines. Muretus particulam

titulam negantem delet; Quique ætatis amantes homines ſint. Declarantur autem res æquę pluribus exemplis, quorum primum eſt, veniam tribuere, quibus oportet. Secundum non parem pœnam ſtatuere erratis, & iniuriis; neque erratis, & infortuniis. Sunt autem infortunia quidem, quæ præter rationē, & ſine malitia: errata autem, quæ non illa quidem præter rationē, ſed tamen ſine malitia: at iniuriæ, quæ non præter rationem ſunt, & cum malitia ſunt. nam quæ cupiditate fiūt, eadem ab improbitate proficiſcuntur. Tertium eſt, iis, quæ humana imbecillitas fert, ignoſcere. Quartum, non legem, ſed legiſlatorem ipſum intueri. Quinctum, non verba legis, ſed ſententiam eius, qui legem tulit. Sextum, non quid factum ſit, ſed quo animo, ac conſilio factum. Septimum, non partem, ſed totum. Octauum, non qualis ſit nunc is, qui inſimulatur, ſed qualis aut ſemper, aut plerunque fuerit. Nonum, magis in memoria habere, quid boni acceperis, quam quid mali. Decimū, beneficia, quæ accepit, potius, quam ea, quæ contulit. Vndecimum, æquo animo acceptam iniuriam ferre. Duodecimum, malle verbis, quam factis rem decerni. Decimumtertiū, malle ad arbitrium ire, quam ad iudicium. Arbiter enim æquitatem intuetur: at iudex legem. & eius rei cauſſa repertus eſt arbiter, vt æquitas valeat. Quam differentiam ſic expreſſit Cicero pro Q. Roſcio; Aliud eſt iudicium, aliud eſt arbitrium. iudicium eſt pecuniæ certæ: arbitrium incertæ. ad iudicium hoc modo venimus, vt totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, vt neque nihil, neque tantum, quantum poſtulauimus, conſequamur. eius rei ipſa formulæ verba teſtimonio ſunt. quid eſt in iudicio? aſperum, directum, ſimplex; ſi pateret, ſeſtertiûm quinquaginta millia dari. hic niſi planum facit, ſeſtertiûm ad libellam ſibi deberi, cauſſam perdit. quid eſt in arbitrio? mite, moderatum, Quantum æquius, & melius ſit dari. Hæc ille. Ac de æquis quidem, ita diſputatum ſit.

IN CAP. DECIMVMQVARTVM, *de maiorib. iniuriis.*

QVemadmodum in genere deliberatiuo de maiori, & minori bono eſt diſputatum; & in demōſtratiuo ratio am-

eum corrupit: ſed, quod facit, vitio naturæ facit. Quomodo vero id fiat, exponit Ariſtoteles accuratiſſime. minima enim vocat, non quæ, ſi vim ipſorum ſpectes, puſilla admodum, exiguæque ſint (contra enim maxima eſſe dicit) ſed quæ in rebus minimi pretij exerceãtur, vt quas exprobrat Heraclidi Temniti Cicero pro Flacco; Cum Roma clam eſſet profectus, multosq; minutis mutuationibus fraudauiſſet: neq; enim minutas vocauit, vt culpam minueret, ſed vt augeret. Ita quoq; explicat Maioragius. ita ceteri præter hunc amicum noſtrum, cui minime aſſentiendum eſſe arbitramur. Interdum igitur maior iniuria diiudicatur hoc modo: interdũ ex damni dati magnitudine. Secunda propoſitio eſt, cui par pœna reperiri non poteſt: ſed quæcunq; ſtatuatur, minor eſt. Tertia, cui remedium nullum adhiberi poteſt. Χαλεπὸν γὰρ καὶ ἀδύνατον, grauis enim res eſt etiam, quæ fieri non poteſt. Muretus; Odioſum enim eſt, quicquid immedicabile eſt. Quarta, cuius pœnas iudicio is perſequi non poteſt, qui paſſus eſt. tunc enim priuatur remedio. nam efficere, vt cõdemnetur, qui damnũ intulit, atq; vt puniatur iniuria, remedia ſunt. Quincta, ſi is, qui perpeſſus eſt, & iniuriã accepit, ipſe graue de ſe ſuppliciũ ſumpſit. Multo enim maiore pœna dignus eſt, qui fecit. Vt Sophocles Euctemonis cauſſam agens, qui ſe ob illatam ſibi contumeliã iugulauerat, negauit ſe minoris æſtimaturũ eſſe iniuriam, quam is, qui fuerat perpeſſus, æſtimauerat. Sexta, quã quis ſolus, vel primus, vel cum paucis fecit. Septima, ſæpe in eadem re peccare. Octaua, propter quã quæſita, & excogitata ſunt, ea, quæ ad prohibendum, & ad multandũ valent. Vt Argis pœnã in eum ſtatuunt, qui cauſſam legi ferẽdæ dedit: & propter quẽ ædificatus eſt carcer. Nona, iniuria quo ferina quæq; magis eſt, eo maior. Decima, quo quæq; magis conſulto, ac cogitato facta eſt, eo maior eſt. Vndecima, quam audientes cohorreſcunt potius, quam miſereantur. Duodecima, quæ oratorie amplificata eſt, quod quis vno facto multa iura violauerit, aut tranſgreſſus ſit, vt iuſiurandum, dexteram, fidem, connubium. Videtur enim quaſi cumulus quidam iniuriarum. Decimatertia, ſi quis eo ipſo in loco iniuſte fecerit, vbi qui id faciunt, pœnis affici ſolent. quod faciunt falſi teſtes. Vbi enim non iniurioſus fuerit, qui ne in iudicio quidem eſſe talis veretur?

Decimaquarta, vbi maximus pudor incutitur. Decimaquin-cta, ſi quis eum iniuria afficiat, a quo beneficium accepit. Plu-res enim iniurias facit, & multis modis iniuſtus eſt, tum quod damnum det, tum quod beneficium non reddat. Decimaſex-ta, ſi iniuria ſit aduerſus iura non ſcripta: melioris enim viri eſt, iuſtum eſſe citra vllam neceſſitatem: at ſcripta iura neceſſi-tatem imponunt, non ſcripta nullam. Decimaſeptima alio modo, ſi aduerſus ſcripta. nam qui neque terrore legum, neq; propoſitis pœnis ab iniuria abſterretur, multo iniuſtior fuerit, vbi nulla pœna propoſita eſt. Ac de iniuria quidem maiore, & minore dictum eſt.

IN CAPVT DECIMVMQVINCTVM, *de fide artis experte poſita in quinque, in legibus, teſtibus, pactis, quæſtionibus, iureiurando.*

PHiloſophus hoc in loco non ſeruare ordinē videtur. Nam duplex eſt fides, vna artificioſa, altera non artificioſa. Et ar-tificioſa ducitur non ſolum ex propoſitionibus propriis gene-rum, quæ adhuc explicatæ ſunt, verum etiam ex cōmunibus, & ex Topicis, ac complectitur quoque mores, & affectus. Quamobrem debebat primum de tota fide artificioſa diſpu-tare, hoc eſt, de propoſitionibus propriis, cōmunibus, Topicis, vnde argumenta ducuntur, ac poſtea de fide non artificioſa, & non hanc cum illa permiſcere. Huiuſmodi obiectionem ipſe diluit, cauſam afferens, cur hoc ipſo in loco agat de fide artis experte, & non poſt omnem fidem artificioſam. Ait enim ſe id facere, qui conſilium cepit percurrendi primum ea, quæ ſingulorum generum propria ſunt, & poſtea, quæ ipſis gene-ribus communia; quoniamque fides carens arte eſt propria generis iudicialis, ideo hic, vbi talis generis exquirit proprie-tatem, ſtatim poſt propoſitiones iudiciales eam explicat, ante mores, affectus, propoſitiones communes, & locos Topicos, qui omnibus generibus conueniunt. Huiuſmodi autem fidem appellari ſine arte, non ratione vſus, & tractationis, quæ maxi-mum requirit artificium, ſed tantummodo ratione inuentio-nis, quia non excogitetur, non inueniatur, non paretur, non gi-

gnatur

 347

gnatur arte oratoris,ſed foris deſumantur,& extra dicendi artem accipiantur; ſupra explicatum eſt. Neque enim eſt prorſus artis expers. quod qui crediderunt, meritò reprehenſi ſunt à Cicerone lib.1.de inuentione, vbi legitur; Eos errare,qui ſuſpiciones ex quæſtionibus, teſtimoniis, ac tumoribus ductas artificij non putant indigere. & in Partitionibus, vbi ſcriptum eſt; Quæ ſine arte putantur, quæ aſſumpta, & remota dicuntur, illa artis indigere: & nec eo appellari ſine arte, quod ita ſint, ſed quod ea non pariat oratoris ars,ſed foris ad ſe delata, tamen arte tractet,& maxime in teſtibus. Quæ Ciceronis verba ſupra quoque a me citata hic adſcripſi, vt conſiderandum proponerem,quam rectè,& iuſte Victorius in explicatione illius diuiſionis,qua fides altera artificioſa,altera non artificioſa dicta eſt,Ciceronem reprehẽdit in hunc modum; Auctor huius diuiſionis hic noſter fuit;quam reliqui poſtea ſcriptores artis probarunt. Prima ætate Cicero ab ea diſſentire cœpit: & audacter ſibi errare videri dixit illos, qui ſuſpicionum genus aliquod artificij non egere putarunt. Ipſe tamen poſtea cum melius de his iam rebus iudicare poſſet, errorem ſuum agnouit, & ſententiam Ariſtotelis ſecutus eſt. Hæc ille. Itaque audaciæ nomine Ciceronem accuſat, eumque affirmat erraſſe, & poſtea errorem ſuum agnouiſſe. Ego verò non video, quomodo fuerit audax, & non potius modeſtus, qui neq; ab Ariſtotele diſſenſerit, neque Ariſtotelem reprehenderit, ſed eos tantum,qui huiuſmodi fidem putarent artificij expertem eſſe, non Ariſtotelem, qui ſcripſit altera fide vti oportere, alteram verò etiam inuenire, hoc eſt, vnam fidem eſſe artificioſam in ſolo vſu oratorum, ſolaque tractatione: alteram non modò in vſu,verum etiam in inuentione.Ariſtotelem igitur non nominauit, qui eum non petebat; tantumque abeſt,vt audax fuerit, vt etiam modeſte illorum nomen reticuerit,qui abſurdam opinionem habebant.Nec poſtea errorem agnouit,quem non commiſerat,ſed illorum doctrinam relinquens,quos damnauerat,quomodo verba ipſius Ariſtotelis,quem ſequebatur,intelligenda eſſent, declarauit; huiuſmodi videlicet fidem non appellari ſine arte, quod ita ſit,ſed quod foris ad oratorem delata arte tractetur, non arte pariatur. Quod enim ait Ariſtote-

les χρήσασθαι, vertit Cicero arte tractare.

Iam hæc fides quinque rebus continetur, legibus, teſtibus, pactis, quæſtionibus, iureiurando.

Ac primum quidem dicamus, quomodo leges ſint ei, qui ſuadet, & diſſuadet, accuſat, & defendit pertractādæ. Lex enim ſcripta conſideratur duobus modis; ac quatenus facto aduerſatur: aut quatenus cum facto conuenit. Primo modo reprehenditur, & ratio eius reprehendendæ eſt quadruplex. prima eſt, vtendum eſſe communi lege, & iis, quæ æquitati conſentanea ſunt, vt iuſtioribus: & hoc eſſe optimo animo iudicare, non id, quod ſcriptum eſt, perfracte ſequi: tum æquitatem quidem ſemper manere; neq; vnquam mutari; neque cōmunem illam legem: at leges ſcriptas ſæpe mutari. Vnde extat illud in Antigona Sophoclis. Ita enim ſe illa defendit, quod fecerit quidem aduerſus legem Creontis: ſed non aduerſus legē non ſcriptam;

Hoc nanque non hodie, aut heri, at ſemper fuit.
Nec nouit vllus, vnde duxerit ſuum
Primordium: hoc ſi negligam metu viri
Nihili, datura iure ſim pœnas Deis.

& ius verum quiddam eſſe, atque vtile, non autem quod videtur. Itaque ne legem quidem eſſe, quæ ſcripta eſt, præſertim cum id non faciat, quod opus, & munus eſt legis: & iudicem eſſe quaſi ſpectatorem quendam, ac probatorem numorum, vt ius æroſum, & iuſtum adulterinum diſcernat a vero: & melioris viri eſſe, leges non ſcriptas ſequi, atque eas conſtanter obſeruare, quam ſcriptas. Altera ratio eſt, videre, num lex alicui legi probatæ, aut etiam ipſa ſibi aduerſetur. Exempli cauſſa, Lex eſt, quæ pacta conuenta rata eſſe iubeat: alia vero lex, vetat, ne aduerſus legem pacta vlla fiant. Tertia videre, num ambigua ſit, vt torquere eam liceat: ac tunc vtram in partem deflexa iuſtior, ac cauſſæ noſtræ vtilior videbitur, ita ea vti. Quarta, ſi res quidem, propter quas lex lata eſt, non amplius maneant, lex tamen ipſa maneat, conari hoc planum facere, & aduerſus illam hac ratione pugnare. Secundo modo probatur lex ſcripta quinque rationibus; quarum prima eſt, optima mente non eſſe, vt aduerſus legem iudicent, ſed ne periurio obligentur, ſi forte legem non intellexerint. Altera neminem

348

minem perſequi id, quod ſimpliciter bonum eſt, ſed id quod ſibi; & hoc modo legem ſcriptam complectendam eſſe tamquam ſingulare bonum eius ciuitatis, in qua lata eſt. Tertia, nihil intereſſe, non condantur leges, an non obſeruentur. Quarta, ne in aliis quidem artibus expedire, velle aduerſus earum præcepta ingenioſum videri: non enim tam nocere errorem medici, quam ſi quis ſe aſſuefaciat ad non parendum ei, cuius eſt imperare. Quincta, hoc eſſe, quod dicitur, velle eſſe ſapientiorem legibus, quod iis legibus prohibetur, quæ in maxima commendatione ſunt. Ac de legibus quidem hæc dicta ſint.

Diſtinguuntur teſtes quinque modis; primo, vt alij ſint antiqui, alij noui; & antiqui aut rerum præteritarum, aut futurarum; & noui aut participes periculi, aut expertes: ſecundo, vt alij ſint de nobis, alij de aduerſariis: tertio, vt alij de facto, alij de moribus: quarto vt alij amici, alij inimici, alij medij: quincto, vt alij probati, alij infames, alij medij. Quod attinet ad primam diſtinctionem, cum quidam antiqui, & quidam recentes ſint, & horum aliis quidem periculum commune ſit, alij vero extra periculum ſint, vocantur antiqui poetæ, aliique illuſtres viri, quorum ſpectata, & probata extent de rebus iudicia. Vt Athenienſes Homero teſte vſi ſunt de Salamine contendentes: & Periandro Corinthio nuper Tenedij aduerſus Sigeenſes: & Cleophon aduerſus Critiam elegiacis verſibus Solonis vtebatur, vt oſtenderet, illius domum antiqua impudicitiæ labe contaminatam; quid enim aliud, dicebat, ſibi vult, quod ſcripſit Solon;

Dic flauo Critiæ, patris vt præcepta ſequatur?

Atque hi quidem teſtes de præteritis ſunt. De futuris vero oraculorũ interpretes. Vt Themiſtocles, quod Deus, vt ſe ligneis mœnibus tuerentur, moneret, hoc eum dicere interpretatus eſt, nauali eſſe prœlio dimicandum. Præterea vero prouerbia ex eo, quod dictum eſt, genere teſtimonia ſunt; vt ſi conſilium des amicum non eſſe eligendum ſenem, hoc prouerbium teſtimonium ſit, Ne ſeni faxis benigne. Et, ſi hortareris filios eſſe e medio tollendos, quorũ parentes intetẽpti ſint; id hoc prouerbio cõprobares; Deſipit, occiſo natos qui patre relinquit.

Recentes vero teſtes ſunt, quicunque clari ſunt, ità vt de illorum prudentia, ac iudicio aliquod ſaltem ſpecimen extet. habent enim pondus ipſi; & eorum iudicia iis, qui de iiſdem rebus litigant, proſunt. Vt Eubulus in iudiciis vſus eſt aduerſus Charetem, eo quod dixerat Plato in Archibium; Increbuiſſe in ciuitate, vt multi improbos ſe eſſe fateantur. Suntque illi recentes teſtes, quibus commune periculum eſt, ſi mentiri videantur. Atque hi earum rerum teſtes ſunt, in quibus quæritur, aliquid factumne ſit, an non factum: ſit, an non ſit: earum autem, in quibus, quale aliquid ſit, quęritur, minime, vt Iuſtumne, an iniuſtum, Vtile, an inutile. Verum de his etiam illi, ad quos nihil cauſſa pertinet, longeque ab ea remoti eſſe inueniuntur, fide digniſſimi ſunt teſtes. Idcirco antiquis maxime creditur. odio enim neutiquam mouentur, nec gratia: item nec prece, nec pretio corrumpuntur. Hæc autem in teſtibus ad fidem faciendam pondus habent maximum. Teſtes quidem non habenti dicendum eſt, ex argumentis iudicandum eſſe; atque id eſſe, quod dicitur, optimo animo iudicare: neque fieri poſſe, vt argumenta pecunia propoſita adducantur ad iudices fallendos: neque vnquam argumenta conuinci, quod falſum pro teſtimonio dixerint. Apud Ciceronem in partitionibus ſic ſcriptum eſt; Impugnanti teſtes vnus locus eſt, vt dicatur de toto genere teſtium, quam id ſit infirmum. Et argumenta rerum eſſe propria: teſtimonia voluntatum. Et recitentur exempla, quibus teſtib. creditum non ſit. Alter, vt dicatur de ſingulis teſtibus, ſi natura vani, ſi leues, ſi cum ignominia, ſi ſpe, ſi metu, ſi iracundia impulſi, ſi præmio, ſi gratia adducti: comparenturq; ſuperiore cum auctoritate teſtium, quibus tamen creditũ non ſit. Sequitur Ariſtoteles, habenti teſtes aduerſus eum, qui illis deſtitutus eſt, dicendum eſſe, argumẽta iudiciorum metu non teneri: & nihil opus futurum teſtibus, ſi argumentis cuiuſque rei veritas cognoſci poſſet. Apud eundem Ciceronem producenti teſtes primus locus eſt, vt genus ipſum laudetur, dicaturque ne argumentis teneretur reus, ipſum ſua cautione feciſſe, teſtes effugere non potuiſſe. Alter locus, vt ſinguli laudentur; vt dicatur argumento firmo, quia tamen ſæpe falſum eſt, poſſe recte non credi: viro bono, & firmo ſine vitio iudicis non

poſſe

379
poſſe non credi. Quod attinet ad alias diſtinctiones, ſecunda eſt, quod teſtimonia alia quidem ſunt de ipſo, alia de aduerſario. Tertia, quod alia quidem de re, alia de moribus. Ex quo conſtat, nunquam defutura eſſe vtilia teſtimonia. ſi enim de re non ſuppetent, quibus aut confirmetur id, quod a nobis dicitur, aut refellatur id, quod ab aduerſario: at de moribus vel noſtris in bonam partem, vel aduerſariorum in contrariam, non deerunt. Quarta, quod teſtis aut amicus eſt, aut inimicus, aut inter vtrumque interiectus. Quincta, quod teſtis eſt, aut bonæ exiſtimationis, aut de quo mala opinio ſit, aut de quo media. Quæ quidem, & cetera omnia eiuſmodi diſcrimina iiſdem ex locis duci queunt, ex quibus etiam enthymemata ducuntur.

Ac quemadmodum quidem tradita eſt ratio improbandæ, & probandæ legis ſcriptæ, improbandorum, & probandorum teſtium: ſic traditur, quid pro pactis dicendum ſit, & quid contra pacta. Nam eatenus in eis tractandis munus oratoris verſatur, vt ea vel exaggeret, vel deprimat, aut fidem eis conciliet, aut detrahat: hoc eſt, ſi cauſſam quidem ſuam adiuuent, vt eis fidem conciliet, eaque rata eſſe debere confirmet, ſin pro aduerſario faciant, contra. Ad fidem igitur eis vel conciliandam, vel detrahendam, eadem plane ratio eſt, quæ in teſtibus. quales enim fuerint, qui pactionibus obligati ſint, quique alios obligant, vel qui tabulas obſignant, vel adſeruant, tales & pactiones exiſtimandæ ſunt. ſi enim probati viri fuerint, & fide digni, pactis, & tabulis credendum eſſe demonſtrabimus: minime autẽ, ſi nota turpis, ac corrupti animi in illis hæſerit. Cum vero pacta quædam & certa inter nos, & aduerſarios extitiſſe non negabitur, ſi cum cauſſa noſtra conſentient, illorum augebimus auctoritatem quattuor in primis rationibus; primum, quod pactum lex quædam ſit priuata, & ſingulorum, ac de certo negocio: deinde, quod pacta quidem, quæ priuatim inter aliquos facta fuerint, non efficiant legem, cui omnes cõmuniter eiuſdem ciuitatis parent, ratam, ſed leges pacta legitima rata efficiant: præterea quod omnino ipſa lex pactum quoddam ſit; ideoque qui pactorum auctoritatem minuit, illaque euertit, leges euertit. poſtremo, quod pleraque inter homines

negocia pactis continentur; vt ſi quis ea irrita faciat, is eadem opera mutuum inter homines commercium tollat. Alia autē, quæ huc conueniunt, in aperto ſunt, nulloq; negocio inueniri queunt. Sin autem nobis aduerſabuntur, & pro aduerſario pacta erunt, primum illa quidem hoc loco congruent, quibus legem ſibi aduerſam oppugnaret. Abſurdum enim eſt, ſi legib. quidē errore latoris non recte conditis arbitremur non oportere obtemperari, pactis vero neceſſario obtemperandum eſſe credamus. Deinde illud, Iudicem iuris quaſi diſpenſatorem eſſe, vt eum quid iuſtius ſit, non quid pactis comprehenſum, ſpectare oporteat. Tertio loco ius quidem peruerti non poſſe neq; fraude, neq; vi, natura enim valere: at pacta interdum iniri & deceptis hominibus, & coactis. Poſtremo conſiderandū eſt, an pacta contraria ſint alicui earum legum, quæ vel litteris, vel cōmuni iure continentur: an item æquitati, vel honeſtati: an etiā aliis pactis poſterioribus, vel prioribus. aut enim poſteriora rata erunt, irrita vero priora: aut priora quidem fide bona, poſteriora autem dolo malo demonſtrabuntur facta. vtrouis modo licebit vti, prout nobis vtile videbitur. eſt deinceps vtile intueri, an aliquid inſit in pactis, quod iudicibus aduerſetur, & quæcunque eiuſmodi ſunt alia. talia enim facile excogitari ſimiliter poſſunt.

Quæſtiones autem teſtimonia quædam ſunt. habere vero fidem videntur, quod illis vis quædā adſit veritatē extorquendi. non igitur difficile eſt animaduertere, quæ de his in vtramque partem probabiliter dici poſſunt. Etenim ſi quæſtiones cauſſam noſtram adiuuabunt, illarum augebimus auctoritatem, quod ex teſtimoniis quæ ad faciendam fidem ſumuntur, ipſæ ſolæ veræ ſint. Apud Ciceronem in Partitionibus quæſtiones probanti duplex eſt locus; vnus, vt confirmetur genus quæſtionum, & dicatur de vi doloris, de opinione maiorū, qui eam rem totam niſi probaſſent, certe repudiauiſſent, de inſtitutis Athenienſium, Rhodiorumq; doctiſſimorū hominum, apud quos etiam liberi, ciueſq; torquebātur, de Romanorum inſtitutis, qui cū de ſeruis in dominos quæri noluiſſent, de inceſtu tamen, & coniuratione quærendū putauerunt; & irrideatur diſputatio, qua ſolent vti ad infirmandas quæſtiones, & meditam,

380

ditata, puerilisq; dicatur. Alter, vt fides fiat, diligenter eſſe, & ſine cupiditate quæſitum; dictaq; quæſtionis & argumentis, & coniectura ponderentur. Hæc Cicero. Sin autem quæſtiones, ſeu quæſita tormentis, nobis aduerſabuntur, & pro aduerſario facient, rationem hanc extorquendæ veritatis reprehēdemus de vniuerſo quæſtionum genere diſſerendo, quod nihilo minus vi tormentorum falſa, quam vera dicātur: & ſunt, qui perferunt potius tormēta, quam vera fateantur: & qui facile mentiuntur, vt citius ceſſent tormēta. Verum oportet ſimilium rerum, quæ antea contigerint, habere exempla iudicibus nota, ad quæ reuocentur. Apud eundem Ciceronē impugnanti quæſtiones duo ſunt loci; vnus, vt dicatur, quæſtionibus credendū non eſſe, quod dolorem fugientes multi in tormentis emētiti perſæpe ſint, moriq; maluerint, falſum fatendo, quam vere inficiando dolere: quod multi ſuam vitam neglexerint, vt eos, qui his cariores, quam ipſi ſibi eſſent, liberarent: quod alij aut natura corporis, aut conſuetudine dolendi, aut metu ſupplicij, aut mortis vim tormentorum pertulerint: quod alij ementiti ſint in eos, quos oderant. Alter, vt ea, quæ dicta ſunt, ſi aut ambigue, aut inconſtanter, aut incredibiliter dicta ſunt, aut etiam aliter ab alio dicta, ſubtiliter reprehendantur.

In iureiurando quadripartita diuiſione vti poſſumus. Vel enim aſſentimur aduerſario, vt iuret, nobisq; pariter poteſtatē iurandi fieri volumus: vel horum neutrū facimus: vel alterū faciendo aſſentimur aduerſario, nosq; iurare velle negamus: vel nos quidē iuramus, aduerſario vero id nō permittimus. Aliter præterea iuſiurandum conſideratur, ſi iuratū ſit: ac ita videndū eſt, vtrum a nobis, an ab aduerſario ſit iuratū. primo loco igitur nolumus aduerſa[illegible]ū iurare tribus rationibus; primū, quod is nobis eſſe videatur, qui facile pecuniarū ergô, aut alia quauis cauſſa falſum iurare poſſit: deinde quod aduerſarius quidē, ſi iurauerit, liberabitur onere ſoluendi; at ſi non iurauerit, ſperamus nihilominus fore, vt iudices eum dānent: poſtremo malle nos eius rei periculū facere in iudicibus; illis enim fidere nos, aduerſario non fidere. Secundo loco pariter iurare recuſamus, tribus præcipuis rationibus; primum, quia pro pecuniis iuſiurandum eſt: deinde quod ſi mali eſſemus, non vereremur falſum iurare; melius eſt enim alicuius cōmodi gratia, quam

nullius malum eſſe;nam qui iurauerit,pecunias obtinebit,qui vero non iurauerit,minime; atque ita iuriſiurandi detrectatio a bonitate quadam proficiſci videbitur,non a peierandi metu. Poſtremo, quod, quemadmodum Xenophanes dicebat, non eſt æqua prouocatio contemptori diuini numinis aduerſus pium,& religioſum; tantundem enim eſt,ac ſi robuſtus infirmũ prouocet, vt aut verberet ipſe, aut vapulet. Tertio loco ſi volemus iurare,primũ id propterea nos agere contendemus, quod nobis ipſis fidimus, non autem aduerſario, cuius ſuſpecta nobis ſit religio:deinde inuerſo Xenophanis dicto,quod æquum eſt, ſi qui Deum negligit,iuſiurandum deferat, is autem, qui Deum metuit,iuret: poſtremo,quod non eſſet ferẽdum,ſi qua de re iuratos alios iudicare volumus, de ea iurare ipſimet nollemus. Quarto loco, ſi alterum iurare voluerimus, dicemus, pium eſſe totam rem Deis permittere, qui periuria ſint vindicaturi: & aduerſario non opus eſſe aliis iudicibus, cum in ipſo iudicandi ſita ſit facultas: & abſurdum eſſe, ſi ipſe nollet iurare iis de rebus, de quibus dignum cenſet alios iurare. Quoniam vero, quæ ratio obſeruanda ſit ſeparatim in ſingulis expoſitum eſt, etiam quomodo illis coniunctim vtendum ſit, patet. Vt ſi nos iurare volumus, alteri vero id non permittimus, & ſi alteri permittimus, nos id velle agere recuſamus: &,ſi volumus nos iurare,idque alteri quoq; permittimus: &,ſi neutrum volumus.neceſſe eſt enim hæc ex iis,quę ſingillatim tradita ſunt, componi.quare etiam rationes iis,quæ coniunctim dicuntur, vtendi,ex rationibus iis vtendi,quæ ſeparatim dicuntur,neceſſe eſt componi.Cum autem iuratum eſt,ſi a nobis iuratum ſit, & aduerſarius inueniatur deceptus, quod non præſtiterimus, quæ iureiurando polliciti fuimus, manifeſtum eſt, tunc eſſe contendẽdum, vt oſtendamus nos non peieraſſe, quandoquidem ea nunquam fuerit animi noſtri ſententia.Nam & qui iniuſte facit ſponte facit: & qui peierat, iniuſte facit: at quæ per vim,aut per fraudem fiunt,ab inuitis fiunt.Recurrendum igitur eo eſt, vt peierare non in ore, ſed in mente poſitum eſſe dicamus. At ſi iurauerit aduerſarius, dicemus omnia peruertere eum, qui illis, quæ ipſe iurauit, ſtare nolit. nam ob id etiam iis legibus vtimur,in quas iurauimus. Et,A vobis quidem iudices

poſtu-

poſtulamus, vt ea, quæ iuraſtis, obſeruetis: nos autem iis, quæ iurauimus, ſtare nolemus? Et quidquid aliud amplificando dici poteſt.

Ac de fide quidem artis experte tam multa dicta ſint.

IN CAPVT PRIMVM LIBRI SECVNDI.

Agendum eſſe de moribus, & affectibus, qui mores in perſona oratoru ſint exprimendi, qui ſint affectus, quæ de ſingulis affectibus ſint cognoſcenda.

DICIT Ariſtoteles, egiſſe ſe ſuperiori libro de argumentatione propria ſingulorum generum: hocq; libro de moribus, & affectibus acturum eſſe. Ac argumētatio quidem generum propria eſt ex rebus vtilibus, honeſtis, iuſtis, & ex opinionibus, ac propoſitionibus, quæ res eſſe vtiles, honeſtas, iuſtas confirmant. Nam argumentatio deliberatiua propoſitam habet vtilitatem, demonſtratiua honeſtatem, iudicialis iuſtitiam; quarum rerum opiniones, ac propoſitiones libro primo ſunt explicatæ. Generum autem loco, eorum nominat munera, deliberatiui ſuadere, & diſſuadere: demonſtratiui vituperare, & laudare: iudicialis accuſare, & defendere. Et per opiniones, ac propoſitiones intelligit illas, quas eodem primo libro formas appellauit, περὶ γὰρ τούτων, καὶ ἐκ τούτων τὰ ἐνθυμήματα λέγεται. Muretus; Ferè enim de iis, & ex iis ducuntur enthymemata. Addit de ſuo vocem, Ferè. Sequitur, vt Ariſtoteles de moribus, & affectibus agat. Nam, ſi iudicationis cauſſa Rhetorica eſt, non ſolum ipſa orationis argumentatio ſpectanda eſt: verum etiam oratoris mores ſunt obſeruandi, & auditoris affectus inueſtigandi, quarum rerum inſpectionem poſtulat iudicatio. At iudicationis cauſſa Rhetorica eſt. Ergo cum argumentatione mores, & affectus ſunt cognoſcendi. Probatur antecedens ex partibus: quia conſilia iudicant, & iudicium eſt iudicatio. Quamquam illud intereſt, quod illic de futuris: hic

de præteritis iudicatur. Quæritur autem, cur in hac probatione genus demonſtratiuum prætermittatur, vbi aliquid iudicari apparet ex libri primi capite tertio ad hunc modum; Eſt vero, qui futura diſceptat, vt concio: qui præterita, vt iudex: qui facultatem, vt auſcultator. Scribit Victorius id factũ eſſe, quia ſatis fuit genera potiora, vtilioraque nominari. Maioragius duas affert cauſſas, vel quia demonſtratiuum rarius ſit, vel quia ſatis conſtet etiam in eo de oratoris facultate iudicari. Nos putamus alia quidem genera eſſe potiora, & vtiliora: ſed non idcirco fuiſſe prætermittendum, quod ſine dubio ad Rhetoricæ pertinet perfectionem. Et ne omittendum quidem fuiſſe, quia ſit rarius, cum alioqui in Rhetorica neceſſarium eſſe videatur. Atque, ſi ea de cauſſa prætermitteretur, quia perſpicuum eius ſit iudicium, propter eandẽ cauſſam iudiciale multo fuiſſe magis prætereundum. Quamobrem aliam rationẽ afferimus, vt dicamus, tale genus relictum eſſe, quia eius ſit minus propria, minuſq; patens iudicatio: contra vero iudicialis, & deliberatiui magis propria, & potẽtior. Quod declarat auctor noſter huius ipſius libri cap. 18. in hunc modum; Similiter vero etiã in demonſtratiuis: tamquã enim ad diſceptatorem oratio ad auſcultatorem conſtituta eſt. Omnino autẽ ſolus, vt ſimpliciter dicã, eſt diſceptator, qui in ciuilib. contentionibus, & de quibus eſt quæſtio, iudicat. quæ enim verſantur in controuerſia, ea quæruntur, quomodo ſe habeant; & de quib. conſultant. Hinc igitur patet, auſcultatorẽ, qui de oratoris iudicat facultate, nõ eſſe proprie diſceptatorẽ, ſed tamquam diſceptatorẽ: eos vero, qui iudicant in iudiciis, & in deliberationib. eſſe proprie diſceptatores aut rerũ præteritarum, aut rerũ futurarum. Perſpicua vero eſt cõſecutio, quia oratio, de qua iudiciũ eſt faciendũ, vt legitur lib. 1. cap. 3. ex tribus conſtat, tum ex eo, qui loquitur, in quo mores quidam exprimuntur; tũ ex eo, de quo loquitur, quo refertur argumentatio; tum ex eo, ad quem loquitur, in quo affectus cernuntur. Eius autẽ generis adhibere mores, & affectus plus intereſt, quod genus dignius eſt. At deliberatiuũ dignius, quã iudiciale. Quod probatur ex lib. 1. in procœmio, vbi dicitur eſſe pulchrior, & ciuilior deliberationis traditio, quã ea, quę de contractibus eſt. Ergo adhibere mores, & affectus deliberatiui plus intereſt, quã iudicialis. Itaq; merito ait Ariſt. Multum intereſt,

tereſt, primũ quidem in conſiliis, deinde vero etiã in iudiciis. Sed quæritur, in deliberationibus, & iudiciis, quinam plus valeant, affectus ne an mores. Reſpõdet philoſophus, mores magis prodeſſe conſiliis: affectus vero iudiciis. In prooemio etiam ſcripſit, minus prodeſſe ea, quæ ſunt extra rem, dicere in deliberatiuis: & in iudiciis potiſſimũ affectus valere, etiãſi in Areopago eorum cõmotio prohibita fuerit. Ex diuerſis enim affectibus diuerſa iudicia oriuntur. Non enim, idẽ inquit hoc in loco, eadẽ videntur amantibus, & odio habentibus, neq; iraſcentibus, & leniter ſe habentibus: ſed vel omnino diuerſa, vel magnitudine diuerſa. Amanti enim is, de quo habet iudicationẽ, aut non iniuſte agere, aut parũ iniuſte agere videtur: odio autẽ habenti contrariũ. Et cupienti quidẽ, & bene ſperanti, ſi ſit futurum iucundũ, etiam fore, & bonũ fore videtur: affectus vero experti, & dubitanti contrariũ. Ex quibus verbis colliguntur affectus generis iudicialis magis proprij, amor, odiũ, ira, lenitas, quibus alij quidã ſunt conſequẽtes, vt amori, & lenitati miſericordia, atq; æmulatio, de qua ſic legitur huius lib. cap. 4. Et quibuscũ de honore cõcertant, & quorum æmulationẽ volunt, & non inuidiam, aut eos amant, aut eis volunt amici eſſe. Iræ aũt, & odio conſequentes ſunt ſtomachatio & inuidia. Ac, tametſi affectus minus in deliberationib. valent, quã in iudiciis: tamẽ non prorſus a genere deliberatiuo ſegregantur, cuius proprij affectus ſunt fidentia, & metus. Et metus quidẽ ſpecies quædã eſt pudor: fidentiæ vero impudẽtia. Iam, cũ perſpicuum ſit, qui affectus ad genus iudiciale, quiq; ad deliberatiuũ referantur; putamus gratiam, & affectũ benefaciendi ad demonſtratiuũ eſſe referendũ. Nam cũ lib. 1. c. 9. beneficiũ inter partes honeſtatis enumeretur, qui huius ipſius generis finis eſt; atq; illi honorentur, qui benefecerũt, & qui benefacere poſſunt, vt legitur eiuſdem libri cap. 5. atq; amentur illi, qui benefecerunt, aut benefacere volunt, vt traditur huius libri cap. 4. ita vt a beneficio potiſſimũ honor, & amor proficiſcatur, quibuscũ laus ſolet eſſe cõiuncta, quemadmodũ a maleficio oritur dedecus, & odium, quæ cõſequitur vituperatio: videtur beneficiũ, & gratia huic generi eſſe propoſita, quę a laudantib. amplificet, a vituperãtibus diminuat, atq; hoc modo auditorib. incitamentũ quoddã afferat ad virtutẽ cõplectendã, ac bñ de humano genere merendũ

idcircoque ab Ariſtotele gratiæ amplificandæ, ac diminuendæ tradi ratio exiſtimatur. Ad idem genus Ciceto in partitionib. voluptatem refert, vel delectationem; de qua cur in genere iudiciali, & non in affectuum tractatione ſcriptum ſit, ſuperius explicauimus.

Definiuntur mores in Arte Poetica, ſecundum quos cuiuſdam modi eſſe dicimus agentes. Ac conſiderantur a Phyſicis, ab Ethicis, a Poetis, ab Oratoribus, diuerſa ratione. A Phyſicis, quatenus animi accidunt facultatibus. Ab Ethicis, quatenus ſi boni ſunt, ad felicitatem perducunt: ſi mali, a felicitate abducunt. A poetis, quatenus ad poeticam pertinent imitationem, in qua traditur, cum perſona Tragica conformatur, exprimendos eſſe bonos mores, conuenientes, ſimiles, æquales. Ab oratoribus, quatenus ſunt tertium artificium fidei, ac potentiſſimam propemodum, vt legitur lib. 1. cap. 2. fidem continent. Iam, vt alias rationes prætermittamus, & eam inueſtigemus, quæ oratoria eſt, moratæ orationis tres ſunt partes, vna, quæ mores oratoris conformat, de qua hoc in loco agitur: altera, quæ mores auditorum ſpectat, vt ad eos accõmodetur, de qua huius libri cap. 12, & ſequentibus vſque ad cap. 17. tertia, quæ cernitur in elocutione, de qua lib. 3. cap. 7. Nunc de prima parte eſt peragendum, de qua verba Ariſtotelis ſunt; Cur igitur ipſi ſint fide digni, qui dicunt, tres ſunt cauſſæ. Tot enim ſunt, propter quæ fidem præſtamus præter argumentationes. Sunt autem hæc, prudentia, & virtus, & beneuolentia. Argumẽtum ducitur a contrariis; Tres ſunt cauſſæ, cur fide ſint indigni, imprudentia, improbitas, inimicitia. Ergo etiam tres ſunt cauſſæ, cur fide ſint digni, prudentia, probitas, beneuolentia. Διαψεύδονται γὰρ, περὶ ὧν λέγουσιν, ἢ συμβουλεύουσιν, ἢ διὰ πάντα ταῦτα, ἢ διὰ τούτων τι. Nam falſum ſequuntur in iis, de quibus dicunt, vel conſultant, aut propter omnia hæc, aut propter horum aliquid. Muretus; Nam propter hæc omnia, aut propter eorum aliquid in dicendo, aut in dando conſilio mentiuntur. At διαψεύδεσθαι non eſt prorſus mentiri, ſed falſum ſequi; quod conuenit quoque illis, qui per imprudentiã mendacium dicunt. Nota autem eſt differẽtia inter mentiri, & mendacium dicere ex P. Nigidio apud Gellium libri vndecimi capite vndecimo,

cimo, quod qui mentitur, ipſe non fallitur, ſed alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipſe fallitur. Qui mentitur, fallit, quantum in ſe eſt: at, qui mendacium dicit, ipſe non fallit, quantum in ſe eſt. Quare vir bonus præſtare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat. Lib. 1. cap. 2. vbi de moribus oratoris agitur, vnius fit mentio probitatis; quæ, cum duobus intelligi modis poſſit, aut opinione auditorum ex honeſtis eius actionibus anticipata, aut oratione expreſſa; ex doctrina Ariſtotelis ſecundo modo intelligenda eſt; vt ſatis ſit bonos mores oratione exprimere, etiamſi orator probus non ſit: oratorem enim poſſe eſſe tum bonum, tum malum, exponitur lib. 1. cap. 1. cum traditur, eum eſſe ex facultate, qui facultatem habet vtendi falſo perſuaſibili & ſimul ex prælectione, qui quandoque gloriam ex falſo perſuaſibili præeligit; dicat, quicquid velit, Quinctilianus de ſuo viro bono dicendi perito. Nam eiuſmodi eſſe, bonum quidem ſæpenumero eſt, ſed non neceſſarium; magisque orator minus probus, qui propter orationem probus exiſtimetur, perſuadebit, quam is, qui cum omni probitate ornatus ſit, eam tamen exprimere neſciat oratione; qui vero, prius quam dicat, bonus eſſe cenſetur, ſimulq; dicendo præ ſe fert bonitatem, erit profecto magis idoneus ad perſuadendum. Ac illud quidem vtile eſt: hoc vero etiam neceſſarium. Eiuſdem libri primi cap. 8. ad probitatem adiungitur beneuolentia in hunc modum; Nam eo quia cuiuſdāmodi apparet is, qui dicit, fidem habemus, id eſt, ſi bonus appareat, vel amicus, vel vtrunque. At hoc in loco aperte tres mores cōmemorantur, prudentia, virtus, beneuolentia, ac per virtutem ſine dubio æquitas, bonitas, probitas intelligitur. Nam eadem de re dum agitur, modo nominantur οἱ ἐπιεικεῖς: modo οἱ ἀγαθοί: modo virtuti opponitur ἡ μοχθηρία. Ac de prioribus quidem duobus moribus ſic ſcriptum reliquit Cicero lib. 2. officiorum; Fides vt habeatur, duabus rebus effici poteſt; ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam. Nam & iis fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos arbitramur; quosque & futura proſpicere credimus, &, cum res agatur, in diſcrimenque ventum eſt, expedire rem, & conſilium ex tempore capere poſſe. hanc enim omnes exiſtimant ciuilem,

veramque prudentiam. Iuſtis autem,& fidis hominibus,id eſt, bonis,ita fides habetur, vt nulla ſit in his fraudis, iniuriæq; ſuſpicio. Itaque his ſalutem noſtram,his fortunas,his liberos rectiſſime committi arbitramur. Hæc ille. Addit Ariſtoteles beneuolentiam: propterea quod ſi quis ſit prudens, & probus,id parum ipſi prodeſſe poſſe ad fidem faciendam videtur, niſi ſimul ametur. Eius enim prudentia,& probitas apud parum beneuolos minus poterit apparere. Atque hic tertius mos exprimetur, ſi paratus animus, & promptus ad benefaciendum ſignificabitur: præclare enim ibidē ſcribit Cicero, ad amorem multitudinis conciliandum, valere plurimum beneficentiam, & beneficam voluntatem; ac multitudinem vehementer com moueri ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinenr ad manſuetudinem morum, & facilitatem; nosque cogi eos diligere, in quibus eas virtutes eſſe remur. Et Ariſtoteles huius libri cap. 4. docet, amari eos, qui benefecerunt, & eos, qui velle benefacere exiſtimantur. Quamobrem orator propter animi ſui ad benefaciendum propenſionem vt valde amabitur: ſic beneuolus, & amicus putabitur. Nam amici proprium eſt amare; quod nihil aliud eſt, vt legitur eodem capite quarto, niſi velle alicui bona illius cauſſa, eaq; pro viribus efficere. Neque vero exiguum beneuoli animi ſignum ea laus eſt, quæ non ab adulatione, ſed a veritate proficiſci videtur. Itaque, cum multis de cauſſis homines eſſe beneuoli iudicentur, quas ex eo ipſo capite, vbi amor explicatur, licet colligere: duobus tamen præcipuis modis orator beneuolus apparebit, tum ſuorum commemoratione factorum, & officiorum ſine arrogantia, tum laudatione auditorum ſine aſſentatione.

Mirabiliter autem apparet prudēs Demoſthenes cum aliis in orationibus, tum in prima Olynthiaca, vbi de publica diſſerit pecunia, & caute admodum ſuadet, vt ea ex theatrali militaris fiat. Nam cum capitale eſſet agere de theatrali pecunia in vſus militares conuertenda, hac ipſa de re agens, ſe ipſum hoc interrogat modo; Quid igitur, dicet aliquis, tunc auctor es, vt militaris habeatur? Minime vero; & quæ ſequuntur. Cicero quoque, vt prudens appareat, pro Sex. Roſcio Amerino ſic dicit;

384

ſit; Vereor, ne aut moleſtus ſim vobis, Iud. aut ne ingeniis veſtris videar diffidere, ſi de tam perſpicuis rebus diutius diſſerã. Sed plures ſunt modi prudentiæ exprimendæ, quam vt comprehendi breui diſputatione queant. Ac viſus quidem eſt nonnullis imprudens Q. Metellus Numidicus, qui, cum in Cenſura populum Róm. ad matrimonia capeſcenda adhortaretur, de moleſtia, incommodisque perpetuis rei vxoriæ confeſſus eſt; neq; adhortatus eſt magis, quam diſſuaſuit, abſterruitque. Illud enim potius ad prudentiam eius pertinebat, vt & nullas plerunque eſſe in matrimoniis moleſtias aſſeueraret; &, ſi quę tamen accidere nonnunquam viderentur, paruas, & leues, faciles que eſſe toleratu diceret, maioribusque eas emolumẽtis, & voluptatibus obliterari, eaſdemque ipſas neque omnibus, neque naturæ vitio, ſed quorundam maritorum culpa, & iniuſtitia euenire. Tamen dixit in hunc modum; Si ſine vxore poſſemus, Quirites, eſſe, omnes ea moleſtia careremus: ſed, quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis commode, nec ſine illis vllo modo viui poſſit, ſaluti perpetuæ potius, quam breui voluptati conſulendum. Ad hanc vero obiectionem reſpondit Caſtritius apud Gellium lib. 1. cap. 6. recte, atque condigne Metellum eſſe locutum, quod aliter Cenſor loqui debeat, aliter Rhetor; cum Rhetori conceſſum ſit ſententiis vti falſis, audacibus, ſubdolis, captioſis, ſi modo veriſimiles ſint, & poſſint ad mouendos hominum animos qualicunque actu irrepere: Cenſorem vero nihil deceat aliud dicere, quam quod verum ſibi eſſe, atque omnibus videtur. Obiter notandum eſt, cum a Gellio citetur oratio Metelli Numidici habita in Cenſura ad populum de ducendis vxoribus, cõmemorari quoque orationem Macedonici in Epitoma Liuij 59, quã Auguſtus Cæſar, cũ de maritandis ordinib. ageret, veluti in ſua tẽpora ſcriptã in ſenatu recitauit; vt putandũ ſit, aut duas ea de re orationes a duob. Metellis habitas eſſe, aut vnũ pro altero nominatũ eſſe.

Præ ſe fert probitatem Demoſthenes aduerſus Midam, cũ oſtendit ſe iniuriis aduerſarij coactum, & ciuium cohortationibus adductum accuſare ipſum Midam. itemque Cicero contra Verrẽ, cũ vult videri accuſationem ſuam magis defenſionẽ, quã accuſationẽ. Neq; vero occulta probitatis ſignificatio eſt

apud eundem pro lege Manilia, vbi legitur; Et meus labor in priuatorum periculis caſte, integreque verſatus ex veſtro iudicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus. Hinc illa oratoria, Cauſſam agi iuſtam; defendi, quod æquum, & bonum eſt; pro iuſtitia, & æquitate orationem haberi, aliaque huiuſmodi, quæ oratorem a bonis moribus minime eſſe alienum declarant. Probus quoque apparuit C. Gracchus in oratione habita, cum ex Sardinia rediit, cuius verba hæc ſunt; Verſatus ſum in prouincia, quomodo ex vſu veſtro exiſtimabam eſſe, non quomodo ambitioni meæ conducere arbitrabar. nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie ſtabant: ſed in conuiuio liberi veſtri modeſtius erant, quam apud principem. & paullo poſt; Ita verſatus ſum in prouincia, vt nemo poſſet vere dicere, aſſem, aut eo plus in muneribus me accepiſſe, aut mea opera quempiam ſumptum feciſſe. Biennium enim fui in prouincia. ſi vlla meretrix domum meam introiuit, aut cuiuſquã ſeruulus propter me ſolicitatus eſt, omnium nationum poſtremiſſimum, nequiſſimumque exiſtimatote. Cum a ſeruis eorũ tam caſte me habuerim, inde poteritis conſiderare, quomodo me putetis cũ liberis veſtris vixiſſe. & poſt; Itaq; Quirites, cum Roma profectus ſum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli. Alij vini amphoras, quas vini plenas tulerunt, eas argenti plenas domum reportarunt. Scipio etiam Africanus antiquior in ea oratione, qua ſe defendit ab accuſatione M. Næuij, Tribuni pl. miram probitatem oſtendit, cum pauca præfatus, quæ dignitas vitæ ſuæ, atq; gloria poſtulabat, Memoria, inquit, Quirites, repeto, diem eſſe hodiernum, quo Annibalem Pœnum imperio noſtro inimiciſſimum magno prœlio vici in terra Africa, pacemque & victoriam vobis peperi inſperabilem. Non igitur ſimus aduerſum Deos ingrati: ſed cenſeo, relinquamus nebulonem hunc, eamusque nunc protinus Ioui opt. max. gratulatum.

Solet præterea profiteri Demoſthenes, ſe beneuolum eſſe iis, qui audiunt, vt in oratione de corona; Primum, Athenienſes, deos, & deas omnes precor, vt, quantã ego beneuolentiã erga Remp. & vos omnes conſtanter habeo, tanta mihi a vobis in hoc iudicio tribuatur. Hic autem locus apud Ciceronẽ

frequen-

frequentiſſimus eſt, quo non ſolum eius ſine arrogantia officium laudatur, verum etiam auditorũ res geſtæ maxima cum laude recenſentur; vt pro L. Flacco; Cum in maximis periculis huius vrbis, atque imperij, grauiſſimo, atq; acerbiſſimo Reip. caſu, ſocio, atque adiutore conſiliorum, periculorumq; meorum L. Flacco, cædem a nobis, coniugibus, liberis noſtris, vaſtitatem a templis, delubris, vrbe, Italia, depellebam; Sperabam, Iud. honoris potius L. Flacci me adiutorẽ futurum, quã miſeriarum deprecatorem. & poſt reditum in ſenatu; Si, P.C. pro veſtris immortalibus, in me, fratremque meum, libetosq; noſtros meritis parum vobis cumulate gratias egero, quæſo, obteſtorque ne meæ naturæ potius, quam magnitudini veſtrorum beneficiorum id tribuendum putetis. Cauendum autem oratori eſt, ne ſe ipſum, resq; ſuas laudet, niſi cum eſt neceſſe. Id quod declarat Cicero lib. 2. Academicarum Quæſtionum, cum loquens de Lucullo ait; Cuius mihi conſilium, & auctoritas quid tum maximis in rebus profuiſſet, dicerem, niſi de me ipſo dicendum eſſet; quod hoc tempore non eſt neceſſe. Itaque priuabo illum potius debito teſtimonio, quam id cum mea laude communicem.

Atque hæc ſint ſatis de prima parte moratæ orationis.

Definiuntur affectus, vt illi ſint, per quos cum ſe immutẽt, differunt in iudicationibus, quos ſequitur moleſtia, & voluptas, vt ira, miſericordia, metus, & quæcunque alia huiuſmodi ſunt, atque his contraria. Affectus autem dupliciter accipitur; aut tamquam propria rei affectio, quæ a re, cuius affectio eſt, non ſeparatur, quemadmodum propria hominis affectio eſt, vt ſit aptus, natusque ad ridendum; trianguli, vt habeat tres angulos æquales duobus rectis; numeri, vt ſit par, aut impar; quo ſenſu dicebatur lib. 1. cap. 2. Geometriam in affectibus verſari, qui magnitudinibus accidunt: aut tamquam cõmotio animi, qua aliquid proſequimur, aut fugimus. Ac primo quidem modo conuenit etiam rebus inanimatis: ſecundo autem tantum animatis. Interpretatur Quinctilianus τὰ πάθη affectus. Cic. in 3. Tuſc. morbos, verbum e verbo reddendo: ſed rectius perturbationes. Lib. 2. officiorum turbatos animi motus. lib. 1. de inuentione, affectiones. Zeno perturbationem definiebat,

auerſam a recta ratione contra naturam animi cõmotionem, in qua definitione ponebat commotionem loco generis. Dicebat animi ad differentiam earum cõmotionum, quæ fiunt in corpore. Nam tametſi affectu cõmoueri etiam corpus videtur, vt apparet in timentibus, qui palleſcunt, & verecundantibus, qui rubore perfunduntur: tamẽ is ſpectatur potiſſimum in animo. Addebat contra naturam, quia cum animus natura mouetur, vt cum bonum appetit, & ſcientiam naturaliter, ille motus non eſt affectus. Poſtremo huiuſmodi commotionem appellabat auerſam a recta ratione, vt diſtingueret a conſtãtia, quam perturbationi opponebat, & ſapienti quoq; tribuebat, vt ſcriptum eſt in 4. Tuſc. Cicero in partitionibus definiuit affectũ ſub nomine motus, vt ſit animi incitatio aut ad voluptatem, aut ad moleſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem. Itaque notauit quattuor præcipuos motus, propter bonum duos, aut præſens, aut futurum: propter malum itidem duos, vel præſens, vel futurum. Ariſtoteles in affectuum definitione tria docet; primum per affectus homines immutari: deinde in iudicationibus diſſidere: poſtremo ex animorum cõmotione non nullam percipere aut voluptatem, aut moleſtiã, quarum vtraq; quomodo affectus ſit, aut non ſit, in ſuperiori lib. eſt explicatũ.

Maxima autem fuit inter Ariſtotelem, & Zenonem, omninoq; inter Peripateticos, & Stoicos de affectibus diſſenſio. Peripatetici enim, cum tria in animo noſtro cernantur, facultas, qua moueri poſſumus, affectus, quo mouemur, habitus, quo facta agendi conſuetudine vel bené, vel male habemus, vt legitur apud Ariſtotelem lib. 2. Ethicorum, putarunt quoſdã affectus adhiberi poſſe, modo ex ratione, modo præter rationẽ, & modo bonos, modo malos eſſe, ita vt illis aſſuefacti, aut virtutis, aut vitij habitũ nanciſcamur. Exempli gratia, cũ facultas iraſcendi ſit illa, qua poſſumus iraſci, & affectus ille, quo iraſcimur, aut ex ratione, aut præter rationem, ſi aſſueſcamus in bonam partẽ iraſci, vel malam, inde oriri habitum bonũ, vel malum, id eſt, virtutẽ, vel vitiũ exiſtimarunt. Iidem nõnullos affectus perpetuo bonos, & bonorũ morũ, alios perpetuo malos, & malorũ morum eſſe cenſuerunt. Itaq; de æmulatione, & inuidia ſic ſcriptum eſt hoc ipſo libro; Quoniã æmulatio eſt moleſtia

leſtia quædam propter præſentiam, quæ appareat, bonorum honoratorũ,& eorum,quæ aſſumere ipſi contingit,in ſimilib. natura,non quod alij,ſed quod non etiam ipſi ſint; ideo æmulatio bona eſt,& bonorũ:inuidere vero malum,& malorũ.ille enim ſe præparat propter æmulationẽ ad bona adipiſcẽda:hic vero,ne proximus habeat,propter inuidiam.Stoici vero omnẽ affectum eſſe prçter rationẽ,& malũ arbitrati ſunt,vt ex definitione affectus, ſeu perturbationis a Zenone allata ſatis cõſtat.

Præterea Peripatetici affectus cadere etiam in beſtias iudicarunt, quippe qui pertineant ad vim ſentiendi beſtiis quoque congruentem. Etenim triplex eſt animi vis,vna generandi,nutriendi,alendi,altera ſentiendi,tertia intelligendi;affectusque nec ad primam,nec ad tertiam,ſed ad alteram videtur pertinere.Prima enim ſolũ agit: affectus vero etiam patitur.illa eſt ſine cognitione:hic cũ cognitione.Tertia eſt tantũ animi: affectus eſt cõmunis animo,& corpori. Sequitur,vt altera vis affectũ habeat,quæ eſt duplex,vna cognoſcendi,vt ſenſus,& phantaſia: altera appetendi, vt facultas concupiſcendi, & iraſcendi. Ad hoc vero vltimum Peripatetici affectum referunt,ex ſenſu, & phantaſia excitatum. At Stoici tantùm hominib.conuenire affectus putarunt. Neq; enim metuere beſtias, ſed quaſi metuere: nec cupere,ſed quaſi cupere: nec lætari,ſed quaſi lætari: nec dolere, ſed quaſi dolere. Itaque volebant affectum ad vim intelligendi pertinere, in qua eſt opinio, atq; hoc argumento vtebantur; Quod ex opinione eſt,ad ſolum hominem ſpectat; nam opinio in ſolo homine eſt. At affectus ex opinione eſt; vnuſquiſq; enim affectus videtur eſſe opinio quædam aut boni præſentis,vt lçtitia,aut boni futuri,vt cupiditas,aut mali prçſentis,vt moleſtia,aut mali futuri,vt metus.Ergo ad ſolum hominem ſpectat. Sed ex doctrina Peripatetica reſponderi ad aſſumptionem poteſt, affectum non ex opinione tantum exiſtere, quæ hominum propria eſt,ſed etiam ex ſenſu,& phantaſia boni,maliue, præſentis, aut imminentis. quæ duo etiã ſunt beſtiarum. Itaque in beſtias quoque conuenire. Quamobrem Ariſtoteles nunquam ait affectus ex opinione exiſtere, ſed in eorum explicatione phantaſiæ tantũ meminit, vt amicus noſter cum multis aliis,alioqui doctiſſimis viris,falli videatur,qui in hac materia pro phantaſia opinionem nominat.

Has inter ſe tam diuerſas, diſcrepanteſque ſententias idem amicus noſter in definitione affectus coniungere conatus eſt, vt ex doctrina Stoicorum tradiderit; affectum eſſe cōmotionem animi, auerſam a recta ratione, inimicam menti, eiusque tranquillitati, ex opinione boni aut præſentis, aut futuri, & ex opinione mali ſimiliter aut præſentis, aut futuri: atque ex præceptione Ariſtotelis addiderit: per quam cum ſe immutēt, differunt in iudicationibus; omittens illud, Quam ſequitur moleſtia, & voluptas. Nec fortaſſe animaduertit, allatam ab Ariſtotele definitionem affectibus tum bonis, tum malis conuenire, veramque eſſe quodammodo de affectibus etiam beſtiarum, quæ vim habent iraſcendi, ac concupiſcendi, perinde ac homines: illam vero alterā omnes affectus damnare tamquam malos, & hominibus tantum tribuere. Quod quam recte, aliorum ſit iudicium.

Ac omnis quidem affectus ex ingenito ſuo cuique amorē originem trahit. Vnuſquiſque enim ſe ipſum amat; &, quia amat, idcirco, quæ ſibi bona eſſe vel ſcit, vel putat, ea abſentia deſiderat, iis præſentibus gaudet: quæ vero mala, ea metuit, iis dolet. Perdifficile autem eſt homini in his non errare, propter ſui ipſius amorem. Præclare enim ſcriptum reliquit Plato, Quidquid amat, in eo ipſo, quod amat, cæcum eſſe. Ac conſtat, vnumquenq; ſui ipſius maxime amantem eſſe, & ob id etiam erga ſe ipſum maxime, vt loquitur Plautus, cæcultare. Quamobrem merito commēdatur illud præceptum Apollinis, quo vnuſquiſque monetur ſe ipſum cognoſcere, vt de ſe ipſo recte ſentiat, & in affectus inaniter non feratur.

Dubitatur autem, quod ex affectibus nonnulli etiam inter virtutes enumerētur, vt apud Ariſtotelem libro ſecundo Ethicorum lenitas, amicitia, ſtomachatio; cum lenitas ſit mediocritas inter iracundiam, & iræ vacuitatem: amicitia inter obſequium, & litigium: ſtomachatio inter inuidiam, & maleuolentiam. Quidam hanc dubitationem ita eximunt, vt dicant, non τὴν πράϋνσιν & lenitionem, de qua agitur in affectibus, ſed τὴν πραότητα, & lenitatem, ſeu manſuetudinē, de qua in Ethicis, virtutem eſſe. Et amicitiam improprie lib. 2. eam mediocritatem nominari, quæ lib. 4. vacare nomine dicitur, ac amicitiæ

citiæ ſimilis eſſe, ſed ab ea in eo differre, quod ſit ſine affectu diligendi eos, quibuscum verſatur. Denique ſtomachationem poni quidem in enumeratione virtutum ex populari opinione, ſed a numero virtutum quodammodo reiici, cũ in ſequentibus libris, vbi aliæ virtutes pertractantur, eius mentio facta ſit nulla. Nos eandem rem appellari affectum, & virtutem, vel vitium poſſe exiſtimamus, alia tamen, atq; alia ratione. Nam, vt ſuperius notauimus, cum tria ſpectentur in animo noſtro, facultas, affectus, & habitus; & facultas ſit, qua poſſumus moueri, affectus, quo mouemur, habitus, quo bene, vel male in tali motu ex conſuetudine facta nos ipſos habemus, ſi lenitas, amicitia, ſtomachatio conſiderẽtur tamquam motus quidam, quibus remittimus iram, redamamus, ſtomachamur, ſine dubio ſunt affectus: ſi quatenus in talibus affectibus boni habitus ſunt facti, quodammodo ſunt virtutes, vt ſupra quoque de ira dicebamus.

Iam diuidit Ariſtoteles ſingulorũ affectuum tractationem in tria, vt quæratur, Qui, in quos, quasobres afficiantur; exempli gratia, Qui iraſcantur, In quos iram exerceant, Quasobres ad iram concitentur. *ὥσπερ οὖν καὶ ἐπὶ τῶν προειρημένων διεγράψαμεν τὰς προτάσεις, οὕτω καὶ ἐπὶ τούτων ποιήσωμεν, καὶ διέλωμεν τὸν εἰρημένον τρόπον.* Quemadmodum igitur & in iis, quæ ante dicta ſunt, deſcripſimus propoſitiones, ſic etiam in his faciemus, & diuidemus ipſa eo, qui dictus eſt, modo. Muretus; Vt igitur in ſuperioribus propoſitiones quaſdam communes deſcripſimus, &c. Addit de ſuo vocem, Communes: & quidem falſo: nam deſcriptæ ſunt propoſitiones propriæ ſingulorum generum, non communes.

IN CAPVT SECVNDVM, *de ira.*

DEfinitur ira vt ſit primum appetitio: deinde cum dolore coniuncta: tertio loco, eius, quæ apparet vltionis: quarto propter eam, quæ apparet, deſpicientiam: quincto, *εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτοῦ τινα.* Vel in ſe, vel in ſuum quempiam. Muretus; Aut in nos ipſos, aut in noſtrorum aliquem. Mutat verba: ſed non ſenſum. ſic cap. 3. *φανερὸν, ὅτι τοιούτοις πρᾶοί εἰσι.* Cõſtat eis nos

mites,& lenes fore. ϗ οὓς φοβοιῶνται, ἢ οὓς αἰσχύνονται, ἕως γὰρ ἂν οὕτως ἔχωσιν, οὐκ ὀργίζονται. Et iis, quos metuimus, quosque reueremur, quamdiu ita affecti ſumus, non iraſcimur. ϗ τοῖς δὲ ὀργὴν ποιήσασιν, ἢ οὐκ ὀργίζονται, ἢ ἧττον ὀργίζονται. Et iis, qui per iram fecerunt, aut non iraſcimur, aut minus iraſcimur. ϗ τοῖς αἰσχυνομένοις αὐτούς. Et qui nos verentur. ϗ ἐὰν ἕλωσι, ϗ ἐὰν μεῖζον κακὸν πεπονθότες ὦσιν, ἢ ὀργιζόμενοι ἔδρασαν ἄν. ὥσπερ γὰρ εἰληφέναι τιμωρίαν, οἴονται. Et vbi quis alium conuicit, facilius ei placatur. Placamur etiam, cum is, cui iraſcebamur, in maius aliquod malum incidit, quam nos ipſi ei afferre voluiſſemus. Quaſi enim nobis pœnas dediſſe videtur. Sic aliis ſexcentis in locis. Quod parum quidem intereſſe cōfitemur, dum modo ſenſum Ariſtotelis habeamus; ſed in eo malumus eſſe quodammodo ſuperſtitioſiores, vt in Philoſophi verbis quantum poſſumus inſiſtamus. Additur ſexto loco in definitione iræ, Non conuenienter.

Declarantur cauſſæ iræ, & voluptatis in ira. Traditur enim primum naſci iram ex alicuius ſingularis facto, vel facti deliberatione. Nam qui iraſcitur, ſemper alicui ſingularium iraſcitur, vt Cleoni, ſed non homini. Cap. 4. ſic legitur; Ira quidem ſemper aduerſus ſingularia eſt, vt Calliam, Socratem: odium vero etiam aduerſus genera: furem enim quiſque odio habet, & ſycophantam. Iraſcitur autem vel quia ille ſingularis aliquid fecit, vel quia facturus fuit, aut ſibi, aut ſuorum alicui. Deinde præcipitur, cauſſam voluptatis in ira eſſe duplicem, aut ſpem vlciſcendi, aut quia in vlciſcendo cogitatione verſantur. De prima ſic argumentum ducitur; Si iucundum eſt ſperare, iucundum eſt iraſci. At iucundum eſt ſperare: iucundū enim eſt exiſtimare, ſe conſecuturum eſſe, quæ appetit. nemo autē appetit, quæ videntur fieri non poſſe. Ergo iucundū eſt iraſci: qui enim iraſcitur, appetit vltionem, & quidē eam, quæ a ſe fieri poteſt. Probatur talis iucunditas ex ſpe vlciſcēdi verſu Homeri lib. 18. Iliadis de Achille, qui cum Patrocli mortē intellexiſſet, & Thetidi matri luctum ſuum expoſuiſſet dixit iram multo dulciorē melle liquente virorū in pectoribus augeri velut fumum. quod quoque commemoratur lib. 1. cap. vndecimo in propoſitione 6. iucundorum. Altera cauſſa eleganter probari poteſt exēplo Getæ apud Terentium in Adelphis ad hunc loquentis modū;

Me miſerum,vix ſum compos animi:ita atdeo iracundia.
Nihil eſt,quod malim, quam illam totā familiam mihi obuiā
Dari, vt iram hanc in eos euomam omnē, dum ægritudo hæc
eſt recens.
Satis mihi id habeam ſupplicij,dum illos vlciſcar modo.
Seni animum primū extinguerē ipſi,qui illud produxit ſcelus.
Tum autē Syrum impulſorem, vah, quib. illū lacerarē modis!
Sublimem mediū arriperem,& capite primū in terrā ſtatuerē,
Vt cerebro diſpergat viam.
Adoleſcenti ipſi oculos eriperem: poſt hæc præcipitē darem.
Ceteros ruerem,agerem, raperem,tunderē, & proſternerem.
Dicit philoſophus eandē eſſe rationē phantaſiæ,quæ excitatur in ira,& quæ in ſomniis,vt vtraq; voluptatē pariat.Tertio loco, cū deſpicientia ſit actus opinionis in eo, quod nihil æſtimandum videtur exponuntur tres ſpecies deſpicientiæ; tum contemptio ſine vllo impedimēto,vt non ſalutari,nō honorari,ad colloquendū non admitti:tum incōmodatio cum aliquo impedimento,vt in ſtudiis interturbari,in itinere detineri,curſum impediri: tū contumelia cū dedecore,in qua duo requiruntur; primū,vt noceatur,& moleſtia afferatur in iis, in quibus dedecus patienti contingit:deinde,vt,qui eam infert,nihil aliud ſpectet,niſi vt voluptatē percipiat. Nā ſi illud ſpectaret,vt par pari referret,id non eſſet contumeliā facere,ſed vlciſci. Quęritur autem, quæ ſit cauſſa voluptatis in contumelia: & illa affertur a philoſopho,quod qui eam inferunt, arbitrātur malefaciēdo ſe magis excellere, idcircoq; qui appetunt excellentiā, ſolent eſſe contumelioſi,vt iuuenes,ac diuites. Præterea explicatur,quomodo contumelia ſit pars, & ſpecies deſpicientiæ,vel paruifactionis. Nam qui non æſtimat, deſpicit, ſeu paruifacit. At,qui contumeliam facit, non æſtimat. Ergo qui cōtumeliam facit, deſpicit,ſeu paruifacit. Quare lib. I. Iliadis Achilles a Thetide matre vindictam petit Achiuorū quod Atrides late dominans Agamemnon ipſum nō æſtimaſſet,ei donū auferens. Et lib.9. cum Aiax legatus ab Agamemnone ad Achillem orationem habuiſſet, qua ſuadere conabatur, vt contra Troianos arma caperet, is reſpondens ait,ſibi cor ira tumeſcere, quoties illius recordaretur, qui ipſum indecorū inter Argiuos feciſſet, tamquam non æſtimandum profugum. Quarto loco traditur,irā

excitari, quod illi, qui magnifacere deberẽt, non magnificiãt, ſed deſpiciant. Magnifacere autem deberent duo genera hominum, tũ inferiores, genere, facultate, virtute, aliqua re alia, quibus deſpicientibus ſuperiores merito iraſcuntur, vt diues pauperi, eloquens ei, qui dicendo non valet; imperans ei, cui imperatur; dignus, qui imperet, ei, qui dignus eſt, cui imperetur; Quare dictum eſt ab Vlyſſe lib. 2. Iliadis, dum Achiuos a diſcedendo coercet,

Ab Ioue natorum iracundia maxima regum.

& a Calchante ad Achillem lib. 1. Iliadis;

Quinetiam deinceps iram ſub pectore verſat
Donec perficiat.

Tales enim moleſtiam habent propter excellẽtiam. Tum qui putantur debere benigne facere, nempe illi, qui beneficio affecti ſunt, vel afficiuntur.

Ex his, inquit philoſophus, apparet, quomodo ſe habentes ipſi iraſcantur, & quibus, & propter quæ.

Nam iraſcuntur
- qui dolent ſe, aut ſuorum quempiam deſpici non conuenienter.
- qui gaudent duobus modis
  - ſpe vlciſcendi:
  - cogitatiõe, qua in vlciſcendo verſantur.

Et iraſcuntur
- alicui ſingularium.
- iis, qui paruifaciũt, quũ magnifacere debeãt.
  - vt inferioribus
  - vt iis, a quibus putant conuenire, vt ſibi benigne fiat.

Deniq; iraſcuntur
- propter factum deſpicientiæ.
- propter deliberationem facti.

Omnino propter triplicem deſpicientiam
- contemptionem:
- incõmodationem:
- contumeliam.

His non contentus philoſophus addit ſex propoſitiones eorum, qui iraſcuntur, vnde colliguntur ſex præcipua, quę homines iratatos reddunt, dolor, impedimentum, vehemens cupiditas, deſpicientia præſentis ſtatus, offenſio præter expectationem,

nem, quædam circumſtantiæ. prima enim propoſitio eſt, vt iraſcantur, qui dolent propter aliquam deſpicientiam. Definita enim eſt ira, appetitio vltionis cum dolore coniuncta.

Secunda, qui impedimentum habent, ſiue directo obſtiterit aliquis, quemadmodum ſitienti ad bibendum, ſiue non directo; ſiue refragetur aliquis, ſiue non ſuffragetur; ſiue aliqua alia in re hoc modo ſe habentem turbarit.

Tertia, qui vehementi cupiditate trahuntur, vt ægrotantes, paupertate laborantes, amantes, ſitientes, omnino cupientes, & non recte agentes.

Quarta, quorum præſens ſtatus deſpicitur, vt ægrotans in iis, quæ pertinent ad morbum: paupertate laborans in iis, quę ad paupertatem: bellator in iis, quæ ad bellum: amator in iis, quæ ad amorē; ſimiliter vero etiam in aliis: præparatur enim quiſque ad ſuam cuiuſque iram ab inhærente affectu.

Quincta, qui offenduntur præter expectationē ſuam: moleſtiam enim affert maiorem, quod multum, & pręter opinionem accidit; quemadmodum etiam delectat, quod multum, præter opinionem accidit, ſi fiat, quod aliquis vult: eadem enim eſt ratio moleſtiæ, & delectationis in iis, quæ præter expectationem eueniunt.

Sexta, qui turbantur in quibuſdam horis, temporibus, affectionibus, ætatibus, occaſionibus, locis.

Addit quoque ſeptemdecim propoſitiones eorum, quibus iraſcuntur, vnde ſimiliter colliguntur ſeptemdecim attributa illis, in quos ira excitatur, ſcilicet, tum irriſio, vel ſubſannatio, vel illuſio, quæ fit vel riſu, vel geſtu corporis, & diſtorto ore, ac labris contractis, vel aculeatis dictis, & nonnullis etiam factis: tum detrimentum contumelioſum: tum maledictum: tum amicitia deſpiciens: tum conſuetudo honorandi omiſſa: tum ingrati animi ſignum: tum nulla exiſtimatio: tum officium omiſſum: tum gaudium in aduerſis: tum non curantia: tum auſcultatio, aut malorum inſpectio: tum deſpicientia apud quinque hominum genera: tum deſpicientia in rebus charis: tum nulla gratiarum actio: tum diſſimulatio: tum beneficentia in alios, & non in ipſos: tum obliuio.

Prima igitur propoſitio eſt, vt iraſcantur illis, qui irrident, ſubſannant, illudunt.

Secunda, qui nocent contumelioſe non propter vltionem, nec propter vtilitatem.

Tertia, qui maledicunt in iis, quibus ipſi maxime ſtudent, vt ſi quis in philoſophiam inuehatur apud illos, qui in philoſophia cupiunt alios ſuperare: ſi quis in formam corporis apud illos, qui in forma: ſimiliter vero etiam in aliis. cuiuſmodi maledicta maxime curant illi, qui putant ea, quorum ſunt ſtudioſi, non adeſſe ſibi, vel non omnino, vel non firme, vel non exiſtimari: qui vero exiſtimant, ſe valde in iis hærere, in quibus illuduntur, non curant.

Quarta, magis qui amici ſunt, quam qui non amici, ſi deſpiciant, & cum conueniat ipſos benefacere, non benefaciant.

Quincta, qui honorabant, & curabant, ſi non amplius ita ſe gerant: ſic enim videntur contemnere, cum idem non faciant, quod ſolebant.

Sexta, qui ingrati ſunt, & contraria faciunt, ac ipſi faciunt. Ingrati vero ſunt, qui beneficium non reddunt, vel par non tribuunt. atque iſti contemnere videntur tamquam ab inferioribus beneficio affecti. Qui vero contraria faciunt, ac ipſi faciũt, etiam contemnunt, vt eos, qui inferiores ſint.

Septima, qui in nulla ſunt exiſtimatione, ſi deſpiciant. poſitum enim eſt itam eſſe deſpicientiæ aduerſus non cõuenienter ſe gerentes: conuenit autem inferioribus non contemnere.

Octaua, qui amici ſunt, ſi non benedicãt, aut faciant, & prę terea magis, ſi contraria faciant. ἢ ἐὰν μὴ αἰσθάνωνται δεομένων. Et, ſi non ſentiant ipſos indigere. Sigonius: Nos indigere. Nos ſpectauimus, vt verba congruenter reſponderent voci ὀργίζονται, id eſt, iraſcuntur, ad quam ſine dubio referuntur. vt Antiphontis Plexippus auunculus Meleagri iraſcitur ipſi Meleagro. quæ fabula etiam cõmemorata eſt in propoſitione quinquageſimaprima bonorum comparatorum. quia non ſentire deſpicientiæ ſignum eſt. ὧν γὰρ φροντίζομεν, οὐ λανθάνει. Quæ enim curamus, non latent. Sigonius; Quos enim curamus, non latent. Nos genus neutrum retinuimus, propter vocem λανθάνει, quæ quamuis ſingularis cõuenit cum plurali neutra, non ſic cum virili, aut muliebri, vt notum eſt.

Nona, qui gaudent rebus aduerſis, & omnino, qui bono animo

animo ſunt, in ipſorum rebus aduerſis. id enim vel inimicj, vel deſpicientis ſignum eſt.

Decima, qui non curant, an moleſtiam afferãt, quales ſunt illi, qui mala nunciant.

Vndecima, qui auſcultant de ipſis, aut ſpectant ipſorũ mala. ſimiles enim ſunt aut paruifacientibus, aut inimicis.

Duodecima qui deſpiciunt apud quinque hominũ genera,

1. quibuscum de honore concertant.
2. quos admirantur.
3. quibus volunt ſe admirationi eſſe.
4. quos reuerentur.
5. qui ipſos reuerentur.

Decimatertia, qui deſpiciunt in rebus charis, quas non adiuuare ipſis turpe eſt, vt parentes, filios, vxores, ſubditos.

Decimaquarta, qui gratiam non agunt: præter conueniens enim eſt deſpicientia.

Decimaquincta, qui diſſimulant: pertinet enim ad contemptionem diſſimulatio.

Decimaſexta, qui benemeriti ſunt de aliis, ſi non etiam de ipſis. etenim pertinet ad contemptionem nõ æſtimare ipſum eſſe dignum iis, quibus omnes dignos æſtimet.

Decimaſeptima, qui obliti ſunt pene etiam nominum: deſpicientiæ enim ſignum eſſe etiam obliuio videtur. Nam propter non curantiam fit obliuio: non curantia autem deſpicientia eſt.

Tradit poſtremo philoſophus de ratione excitandæ iræ, oratorem oportere ita animos eorum, quos in iram impellere contendit, tractare, vt non ſecus eos afficiat, ac ſunt ij, qui ira affecti inueniuntur, id eſt, vt dolorem afferat eis ex deſpicientia, & voluptatem ex ſpe, & ipſa vlciſcendi cogitatione: ac aduerſarios eis rebus affines facere, ob quas iraſcuntur, id eſt, contemptioni, incommodationi, contumeliæ: atque iis ſimiles oſtendere, quibus iraſci debent, nempe deſpicientibus. Apud Ciceronem ſub perſona M. Antonij præcipitur libro ſecundo de oratore: ſi quid ipſis, qui audiũt, pernicioſum, aut inutile ſit, id factum augendum eſſe, & hoc modo eos ad iram traducendos. Iram concitat

Lepidus apud Saluſtium lib. 1. hiſtoriarum ex contemptione L. Syllæ; Neque ſe aliter tutum putat, quam ſi peior, atque inteſtabilior metu veſtro fuerit. Et ex incommodatione, ac contumelia; Populus Rom. paullo ante gentium moderator; exutus imperio, gloria, iure, cogitandi inops, deſpectusque ne ſeruilia quidem alimenta reliqua habet.

IN CAPVT TERTIVM, *de delinitione*.

PRæceptio de delinitione, ſeu lenitate in quattuor eſt partes diſtributa; vnam quæ definit delinitionem: alteram, quæ exponit, quibus ſint lenes, cum cauſſis delinitionis: tertiam, quæ enumerat eos, qui lenes ſunt: quartam, quæ deliniendorũ animorum continet rationem.

Definitur delinitio, vt ſit ſedatio, & remiſſio iræ. natura enim eius in eo poſita eſt, vt ſedet, & remittat iram, ac animum ira perturbatum tranquillet.

Duodecim ſunt cauſſæ delinitionis, ex quibus etiam illi cognoſcuntur, quibus ſunt lenes. Prima, quod non ſponte fecerint, vt Ligarius, cum fuit in Africa contra Cæſarem. Altera, quod contraria velint, vt Marcellus, cum veniam petiit a Cæſare. Tertia, quod in ſe etiam tales ſint, vt erat Marius in ſe, qualis in milites ſuos, qui dicti ſunt muli Mariani. Quarta, quod confeſſio, & pœnitentia ſit loco pœnæ, vt ſeruis; quos inficiantes quidem, & contradicentes magis caſtigamus: at aduerſus confitentes ſe iuſte caſtigari excandeſcentes conquieſcimus. *αἴτιον δὲ, ὅτι ἀναισχυντία τὸ τὰ φανερὰ ἀρνεῖσθαι.* Cauſſa vero eſt, quod impudentia eſt, manifeſta negare. Sigonius loco cauſſæ conuertit ſignum. Quincta, quod timeant, vt proſtrati canibus. Sexta, quod videantur curare, vt ſerio agentes cum ſerio agentibus. *καὶ τοῖς σπουδάζουσι πρὸς τοὺς σπουδάζοντας. δοκεῖ γὰρ σπουδάζεσθαι, ἀλλ' οὐ καταφρονεῖσθαι.* Et ſerio agentibus cum ſerio agentibus: videtur enim curari, ſed non contemni. Sigonius; Et iis, qui ſerio agunt cum ſerio agentibus: quia curari, & non contemni videntur. Muretus; Et iis, qui ſerio nobiſcum agunt, cum ipſi ſerio agimus: qui enim ita facit, haudquaquam videtur contemnere nos, ſed cura, ac ſtudio di-

gnos

gnos putare. Victorius: Et iis, qui ſerio agunt cum ipſis ſerio agentibus: videtur enim ſtudio dignus haberi, non deſpicatui duci. Nos a verbis Ariſtotelis non diſcedimus, & exponimus, Videtur curari, ſed non contemni, id eſt, Videtur cura haberi, ſed non contemptio. Quod quidẽ exiguum eſt: ſed in exiguis quoque elaboramus. Septima, quod maius beneficium fecerint. Octaua, quod ſubmiſſiores ſint, vt rogantes, & deprecantes. Nona, quod contraria faciant, ac illi, qui deſpiciunt. Decima, quod timorem, & pudorem incutiant. Vndecima, quod per iram fecerint. Non enim propter deſpicientiam videntur egiſſe: nemo enim, qui iraſcatur, deſpicit. etenim deſpicientia vacat dolore: ira vero cum dolore eſt. Duodecima, quod eos pudeat.

Lenium ſeptem genera enumerantur. Primo loco habẽtes ſe contrario modo, ac irati; quorum in numero M. Marcellus nulla conſcientia exanimatus, nulla re dolens, maxima animi tranquillitate fruens tunc, cum in conſulatu eius Siculi de eo queſtum in vrbem venerant, nihil voluit agi in ſenatu abſente Valerio Leuino collega ſuo, ne ob id illi in querendo timidiores eſſent; collega reuerſo, vltro de illis admittẽdis retulit, querentes de ſe patienter ſuſtinuit, iuſſos a Leuino diſcedere coegit remanere, vt ſuæ defenſioni intereſſent, excedentes curia poſt cauſſæ perorationem ſubſecutus eſt, quo liberius ſenatus ſententiam ferret, ſupplices, & orantes in clientelam recepit. Secundo loco inueteratã iram habentes, vt habebat Ti. Gracchus Tribunus pl. aduerſus Africanum, & Aſiaticum Scipiones: qui, cum Aſiaticus iudicatæ pecuniæ ſatisdare non poſſet, atque adeo in vincula publica duci iuſſus eſſet, appellaſſetque collegium Tribunorum, nullo volente intercedere, ipſe interceſſit, iuratus primum ſe cum Scipionibus in gratiam non rediiſſe. Tertio, qui ſumpſerunt ab alio ſupplicium, quod probatur exemplo Philocratis, qui accuſatus proditionis dixit ſe nolle defenſionem ſuam pertractare, niſi cum alium vidiſſet in crimen vocatum. Et facto etiam Ergophili, ac Calliſthenis, Imperatorum. Cum enim magis ſuccenſerent Ergophilo, quã Calliſtheni, quoniam hunc pridie morte mulctauerant, idcirco illum dimiſerunt. Quarto, qui conuicerunt, vt Cæſar, & iad

ἐλῶσι. Et, ſi conuicerint. Sigonius; Et, ſi conuicti. Quincto, ſi videant maius malum, quam ipſi inferrent, vt vidit Metellus Macedonicus, qui cum acerrime cum Scipione Africano diſ-ſenſiſſet, & interemptum Scipionem conclamari audiſſet, in publicum ſe proripuit, mœſtoque vultu, & voce confuſa, Concurrite, concurrite, inquit, ciues: mœnia noſtræ vrbis euerſa ſunt: monuitq; filios ſuos, vt funebri eius lecto humeros ſubiicerent, addens non fore, vt poſtea id officium ab illis maiori viro præſtari poſſet. Sexto, qui arbitrantur, ſe iniuſte agere, & iuſte pati: non enim oritur ira aduerſus iuſtum: quia non amplius putant ſe pati præter id, quod conuenit: ira autem erat id ipſum. Διὸ τῷ λόγῳ δεῖ προκολάζειν. Quamobrem oratione oportet prius caſtigare. Muretus; Quare ij, a quibus pœnas exigere volumus, prius oratione caſtigandi ſunt. Nos ambiguum loquendi modum ſeruauimus; quia Victorius exponit, Caſtigare ſe: Maioragius vero, Caſtigare alios; etiamſi hac in re Maioragij ſenſus magis placeat. Septimo, qui arbitrantur fore, vt non ſentiant. Quamobrem lib. 9. Odyſſeæ Vlyſſes cum Polyphemum oculo priuaſſet, eum ſic allocutus eſt; Dic Vlyſſem vrbium euerſorem priuaſſe te oculo, Filium Laertæ in Ithaca domum habentem. Quaſi non vltus eſſet Polyphemum, ſi is non ſenſiſſet. Quæ cauſſa eſt, quamobrem non iraſcantur mortuis, quippe qui paſſi ſint extremum, & nō ſint dolituri, neque ſenſuri. id quod appetunt illi, qui iraſcuntur. Itaque apud Homerum lib. vltimo Iliadis, Apollo deos obiurgans, quod Hectoris corpus crudeliter tractari patiantur, dicit, Achillem furentem contumelia afficere inſenſibilem terram.

Qui autem vult iram ſedare, & ad lenitatem traducere, debet parare illos, qui iraſcuntur, eiuſmodi, vt nec doleant deſpicientia, nec gaudeant ſpe, vel cogitatione vltionis: debet oſtendere illos, quibus iraſcuntur, aut metuendos eſſe, aut reuerētia dignos, aut benemeritos, aut inuitos, aut rebus factis valde dolentes: omnino debet minuere deſpicientiam. Cicero quoque ſcribit, ſi quid ipſis, qui audiunt, perniciosum, aut inutile ſit, id factum diminuendum eſſe, & hoc modo iram depellendā, & lenitatem parandam. Quam leniendi rationem mirabiliter

Cicero

Cicero ipſe vſurpat, cum apud Cæſarem de eius inimicis agit.

IN CAPVT QVARTVM, *de amore, & odio, & quid interſit inter iram, & odium.*

IN amore tria ſpectantut; primum, vt velimus alicui, quæ bona exiſtimamus. Apud Saluſtium, idem velle, atque idem nolle ea demum firma amicitia eſt. Apud Ariſtotelem amicitia dicta eſt vna anima in duobus corporibus. Apud Pythagoreos amicitia definita eſt æqualitas voluntatum: & amicus alter ipſe. Deinde, vt velimus illius cauſſa, ſed non noſtra. contra quam ſentiebant Epicurei, qui amicitiam non ſola honeſtate, ſed vel vtilitate, vel iucunditate metiebantur. Triplex enim eſt amabile, nempe honeſtum, vtile, iucundum. ſic triplex amicitia. ſed poſteriores duæ ſunt adumbratæ: prior vera. illæ cito diſſoluuntur: hæc diu conſiſtit. illæ ſunt vel inter malos, vel inter bonos, & malos. hæc tantum inter bonos, vt docet Ariſtoteles lib. 8. Ethicorum. Poſtremo, vt quantum poſſumus, eorum, quæ putamus bona illi, effectores ſimus. Nam, qui profitetur ſe velle alicui, quæ putat bona, eaque non efficit, quantum poteſt, non vere amat. Definitur amicus, vt ſit, qui amat, & redamatur. lib. 1. Quicunque eorum, quæ arbitratur bona eſſe illi, cui eſt amicus, effector eſt propter illum. in quem locum videnda ſunt illa, quæ notauimus.

Tria autem ſunt ſigna verorum amicorum; primum, vt ſimul lætentur, & ſimul doleant: voluntatis enim ſignum ſunt dolores, & voluptates. Alterum, vt eadem habeant bona, & eadem mala. Tertium, vt eoſdem habeant amicos, eoſdemque inimicos.

Loci vero eorum, quos amant, ſunt multi, ex quibus amoris quindecim cauſſæ colliguntur. Prima eſt beneficentia, vel benefica voluntas: amant enim eos, qui benefecerunt, aut eos, quos putant velle benefacere. Altera eſt habere res communes: amant enim amicos amicorum: & eos, qui amant eoſdem, quos ipſi: & eos, qui aman-

tur ab eiſdem, qui ab ipſis: & inimicos eiſdem: & eos, qui odio habent eoſdem, quos ipſi: & eos, qui odio habentur ab eiſdem, qui ab ipſis. Omnibus enim his eſſe eadē bona videntur. Præterea beneficos in pecunias, & in ſalutem, vt liberales, & fortes. Tertia eſt iuſtitia: amant enim iuſtos. Tales autem exiſtimant non viuentes ex aliis, & aliorum damno. Et tales ſunt, qui viuunt ex labore, & inter hos, qui ex agricultura, & opifices maxime. Præterea amant temperantes, quia non iniuſti. Et ab agendo remotos propter idem. Quarta eſſe bonum, & bona exiſtimatione: talibus enim volumus amici eſſe, ſi ipſi velle videantur. Quincta non aduerſari. Itaque amant iucundos in communi vita, & communi conſuetudine. Et laudantes præſentia bona. Et mundos in viſu, in veſtitu, in tota vita. Et non exprobratores nec peccatorum, nec beneficiorum. Et nō memores malorum, nec obſeruatores criminum, ſed qui reconcilientur idoneos. Et non maledicos, neque ſcientes mala propinquorum, neque ipſorum, ſed bona. Et non aduerſantes iraſcentibus, aut ſerio agentibus. Sexta ſtudioſe ſe gerere. Quamobrem amant eos, qui admirantur ipſos, & exiſtimant ſtudioſos, & gaudēt ipſis. Et affectos ita maxime in iis rebus, in quibus maxime ipſi volunt aut ſuſpici, aut videri ſtudioſi, aut iucundi. Septima ſimilitudo. Nam amant ſimiles. Et eadē profitentes, ſi non impediant, neque ex eodem ſit vita. Ac ſimilitudo quidem per ſe parit amorem: at propter aliquod impedimentum vel gloriæ, vel lucri, gignit indignationem, & inuidiam. Sic enim fit illud, quod ſcribit Heſiodus in hunc modū;

Et figulus figulo indignatur, & faber fabro,
Et mendicus mendico inuidet, & cantor cantori.

Præterea amant appetentes eadem, quorum contingit ſimul participes eſſe. Nam ſi id non contingat, ſecus accidit. Octaua familiaritas. Etenim amant eos, apud quos ſic ſe habent, vt pudore non afficiantur eorum, quæ ſunt ad opinionem, cum minime contemnant. alia enim ad veritatem turpia ſunt, quę nemo vnquā vir probus facere debet: alia ad opinionem, quæ poteſt aliquis ſine culpa aliquando gerere, vt apud familiares, non propter contemptum, ſed propter familiaritatem. Nona reuerentia. Nam amāt etiam illos, apud quos pudore afficiuntur

tur

tur eorum, quæ ſunt ad veritatem propter reuerentiam, quam habent erga illos. Decima æmulatio: aut enim eos amant, aut eis amici eſſe volunt, quibuscum de honore cõcertant, & quorum æmulationem appetunt, & non inuidiam. Quæ autem ſit differentia inter æmulationem, & inuidiam, infra declarabitur. Vndecima procuratio bonorum. nam amant eos, quibus bona procurarent, niſi ipſis maiora mala futura eſſent. Duodecima beneuolentia fidelis: volunt enim amici eſſe eis; qui amant ſimiliter abſentes, & præſentes, ac etiam mortuos, quiq; valde ſtudioſi ſunt amicorum, eosq; non derelinquunt. Decimatertia nulla fictio. Itaque amant eos, qui non fingunt apud ipſos: tales autem ſunt etiam ſua ipſorum vitia dicentes. Nam dictum eſt apud amicos nos pudore non affici eorum, quæ ſunt ad opinionem. Ergo ducto argumento a contrario, ſi is, quem pudet, & qui metuit, non amat, ſequitur, vt is, quem non pudet, & qui non reformidat, amanti ſimilis ſit, etiamſi quandoque verus non ſit amicus. Decimaquarta nullus metus: amant enim non metuendos. Decimaquincta fidentia: amamus enim eos, quibus confidimus.

Cum autem variæ ſint ſpecies amicitiæ, ſodalitas, familiaritas, cognatio, & aliæ huiuſmodi, dicuntur eſſe cõficientia amicitiæ gratia, & non rogatum feciſſe, &, cum fecerit, non indicaſſe: ipſius enim cauſſa ſic videtur, & non propter aliud. Cũ apud Ariſtotelem hę voces plerunq; inter ſe diſtinguantur, εὐεργεσία, εὐεργέτημα, χάρις, beneficentia, beneficium, gratia. χάριν Victorius, & Muretus appellant beneficium. Nos malumus gratiam.

Præterea traduntur conficientia inimicitiæ eſſe tria; ira, incommodatio, contumelia.

Sexque differentiæ afferuntur inter iram, & odium, ſeu inimicitiam; quarum prima eſt, quod ira eſt ex iis, quæ ad nos pertinent: inimicitia vero etiam ex iis, quæ ad nos non pertinent: ſi enim exiſtimemus eſſe talem, odio habemus. Altera eſt, quod ἡ μὲν ὀργὴ ἀεὶ περὶ τὰ καθ᾽ ἕκαστα, οἷον Καλλίαν, Σωκράτην, ira quidem ſemper aduerſus ſingularia eſt, vt Calliam, Socratem (Sigonius, ira quidem ſemper aduerſus ſingularia eſt, vt Calliæ, aut Socrati. quam emendate, alij iudicent) odium

vero etiam aduerſus genera. furem enim quiſque odio habet, & ſycophantam. Supra quoque in cap. 2. ſic ſcriptum eſt; Vt is, qui iraſcatur, ſemper alicui ſingularium iraſcatur, neceſſe eſt, vt Cleoni, ſed non homini. Tertia eſt, quód ira quidem eſt tempore ſanabilis; legitur enim ſupra, cap. 3. Iram mitigat tempus: odium vero eſt inſanabile. Quarta, quod ira quidem ſtudet moleſtiam inferre: odium vero malum dare potius. Nam iratus ſentire vult eum, quem vlciſcitur: qui odit, eius nihil refert, vt is, quem odit, malum ſentiat, quod ſibi infertur. Moleſta autem omnia ſentiuntur; at e malis, quæ maxima ſunt, minime ſentiuntur, vt iniuſtitia, imprudentia: nullam enim moleſtiã affert vitij præſentia. Quincta, quod ira eſt cum moleſtia, vt dictum eſt in eius definitione: odium vero ſine moleſtia. qui enim iraſcitur, moleſtia afficitur: qui odio habet, non afficitur. Sexta, quod qui iraſcitur, ſi multa mala eueniant ei, cui iraſcitur, miſereſcit: qui vero odio habet, nulla mali magnitudine, quod inimico videat euenire, flecti poteſt. ille enim vult eum, cui iraſcitur, viciſſim moleſte aliquid perferre: hic vero eum, quem odit, prorſus extingui.

Iam, qui hæc cognouerint, quæ de amore, & odio, ſeu inimicitia tradita ſunt, facile poterunt oſtendere, eſſe inimicos, & amicos eos, qui tales ſunt, cum antea non intelligerentur: & efficere eos, qui non ſunt: & diſſoluere eos, qui dicunt ſe eſſe: & ducere eos, qui controuerſantur, irane, an odio aliquid factum ſit, in vtram partem voluerint. Cicero pro Marcello oſtendit omnes eſſe Cæſari amicos ſic; Sed quiſnam eſt iſte tam demens? de tuiſne? tametſi qui magis ſunt tui, quam quibus tu ſalutem inſperantibus reddidiſti? an ex eo numero, qui vna tecum fuerunt? non eſt credibilis tantus in vllo furor, vt quo duce ſumma omnia ſit adeptus, huius vitam non anteponat ſuæ. At ſi tui nihil cogitant ſceleris, cauendum eſt, ne quid inimici. qui? omnes enim, qui fuerunt, aut ſua pertinacia vitam amiſerunt, aut tua miſericordia vitam retinuerunt, vt aut nulli ſuperſint de inimicis, aut qui ſuperfuerunt, amiciſſimi ſint. Vſus eſt ergo Cicero præcipuo loco amoris, & amicitiæ a benefica voluntate, & beneficentia Cæſaris, non ſolum in amicos, ſed etiam in eos, qui fuerant inimici,

mici, ita vt illud confecerit, nihil ſceleris in Cæſarem ab eis cogitari potuiſſe, tantam benignitatem, & manſuetudinem expertis.

IN CAPVT QVINCTVM, *de metu, & fidentia.*

PRimum definitur metus: deinde exponuntur ea, quæ metuenda ſunt: tum ij, qui metuendi: tum ea, quæ magis metuenda: tum, qui metuant, & qui non metuant: poſtremo, quæ ſit ratio mouendi metus.

Speuſippus Platonis diſcipulus in libro de Platonis definitionibus ex ipſius ſententia metum definiuit, vt ſit concuſſio animi in expectatione mali. concutitur enim animus, & agitatur valde propter metum, dum aliquod malum expectat. Ariſtoteles vero hoc in loco metum definit ſex proprietatibus, quarum prima eſt, vt moleſtia quædam, & perturbatio. Nam, quemadmodum voluptas eſt iucundus motus in ſenſu: ſic moleſtia triſtis motus; cuiuſmodi eſſe metum nemo dubitauerit. Secunda ἐκ φαντασίας ex phantaſia. Maioragius; Ex opinione. Tamen phantaſia enumeratur inter animi facultates rationis expertes etiam beſtiis communes: opinio vero inter facultates ratione præditas, quæ in ſolis hominibus reperiuntur. Tertia futuri. Nam moleſtia duplex eſt, aut præſentis, & dicitur ægritudo: aut futuri, & vocatur metus. A nonnullis metus appellatus eſt præmoleſtia, quia ſit quaſi dux conſequentis moleſtiæ, vt ſcriptum reliquit Cicero lib. 4. Tuſculanarum diſputationum. Quarta mali. Etenim perturbatio propter futurum duplex eſt, aut propter bonum, & cupiditas, ſeu libido nuncupatur: aut propter malum, & metus nominatur. Quincta, idonei ad interimendum, vel moleſti. Non enim omnia mala metuuntur, quamuis grauia, quemadmodum ne fiat iniuſtus, aut tardus. Superius dicebatur, vitij præſentiam non afferre moleſtiam, vt iniuſtitiæ, & imprudentiæ. hic dicitur, non metui, an futurus ſit iniuſtus, aut tardo ingenio. Sed metuuntur ea mala, quæcunque vel moleſtias magnas, vel interitus afferre poſſunt. Sexta,

quod non longe diſtet, ſed propinquum ſit, ita vt immineat. Homines enim ea, quæ longe abſunt, non timent. ſciunt enim omnes ſibi eſſe moriendum: ſed quia id prope eſſe non putāt, non laborant.

Declaratur, quæ ſint res metuendæ. Tria enim ſunt genera rerum metuendarum. Vnum earum, quæ interimunt, vt fulmina, incēdia, eluuiones, ferarum impetus, hoſtium incurſiones. Alterum earum, quæ magnam moleſtiam afferunt, vt amiſſiones parentum, coniugum, liberorum, fratrum, fortunarum, ignominia, carcer, exilium. Tertium, earum, quæ ſigna ſunt rerum eiuſmodi, & indicant periculum, quod definitur appropinquatio rei metuendæ. Quattuor autem ſigna enumerantur rerum metuendarum, primum, ſi inimicus ſit, & potens: alterum, ſi iniuſtus, & potens: tertium, ſi virtute præditus, & contumeliā paſſus: quartum, ſi metuat, & poſſit. Duo enim requiruntur, vt aliquis res metuendas efficiat, voluntas, & potentia. Voluntas autem ex quattuor potiſſimum rebus colligitur, inimicitia, iniuſtitia, perpeſſione contumeliæ, metu.

Enumerantur homines metuendi; primo loco conſcij ei, qui fecit aliquid atrox, ne aut indicent, aut deferant: ſecundo, qui poſſunt iniuriam facere, quia plerunque iniuriam faciunt homines, quando poſſunt: tertio, qui iniuriam acceperunt, aut accepiſſe ſe putant, quia ſemper captant occaſionem: tertio, qui iniuriam fecerunt, ſi vires habeant, quia metuunt, ne, quod fecerunt, ipſis referatur; & poſitum eſt eiuſmodi eſſe, quod metuendum ſit: quincto, earundem rerum competitores, quas vtrique ſimul conſequi non queunt, quia ſer per cum talibus certant: ſexto qui metuendi ſunt præſtantio bus, quia ſi potentioribus nocere poſſunt, multo magis ipſ. ſeptimo, quos metuunt præſtantiores ipſis: octauo, qui præſtantiores ipſis ſuſtulerunt: nono *οἱ τοῖς ἥττοσιν αὐτῶν ἐπιτιθέμενοι*, qui inuaſerūt inferiores ipſis; aliâs, *οἱ τοῖς κρείττοσιν*, &c. quam lectionem vetus translatio ſecuta eſt, & Muretus quoque ad hunc modum; qui non dubitant in potentiores impetum facere; nos tamen cum Victorio priori lectioni ſtamus; aut enim iam metuendi ſunt, aut cum creuerint: decimo ex iis, qui iniuriam paſſi ſunt, & ex inimicis, vel aduerſariis non ad excandeſcendum procli-

ues,

ues,& libere loquentes,ſed manſueti,& diſſimulatores,& malitioſi;quia obſcuri ſunt,an prope ſint,& cito impetum facturi ſint; Itaque nunquam manifeſti ſunt,quia longe abſunt.

Ex omnibus metuendis primo loco illa magis metuenda eſſe dicuntur, quæ ſi quid in eis peccatum ſit, corrigi non contingit,ſed aut omnino talia ſunt,vt corrigi non queant,aut eorum correctio in aduerſariorum ſita eſt poteſtate: ſecundo, quorum auxilia non ſunt, vel non facilia ſunt: tertio,quæ cum aliis eueniunt,vel euentura ſunt,miſerabilia ſunt.

Quod attinet ad illos,qui non metuunt, traditur neminem metuere ex iis,qui arbitrātur nihil ſe paſſuros, vnde illud apud Horatium ; Si fractus illabatur orbis , Impauidum ferient ruinæ: neque ea,quæ non arbitrantur ſe paſſuros,vt ſapientes nō metuunt vim animorum a Tyrannis: neque eos,a quibus non arbitrantur ſe paſſuros, vt Polyphemus non metuebat Vlyſſem,quamuis ab augure audiuiſſet,ſibi ab externo homine cauendum: neque tunc, cum minime arbitrantur ſe paſſuros, vt non metuebat Cicero,poſteaquam Catilina abierat. Vnde colligitur eos metuere , qui arbitrantur ſe paſſuros : & ea,quæ arbitrantur : & eos,a quibus arbitrantur: & tunc,cum arbitrantur. Additurque duo genera hominum non arbitrari ſe paſſuros; tum qui ſunt in magnis proſperitatibus,& eſſe exiſtimantur, ob quam proſperitatem ſunt contumelioſi,& paruifactores,& audaces; talesq; efficiunt diuitiæ, robur, multitudo amicorum,potentia: tum qui exiſtimant iam ſe paſſos eſſe atrocia omnia , & qui obriguerunt ad futurum. Affertur exemplum eorum , qui iam tympano torquebantur. quod erat genus vltimi ſupplicij,de quo etiam fit mētio in cap.6. vbi dictum Antiphontis recenſetur. Victorius conuertit, *οἱ ἀποτυμπανιζόμενοι ἤδη*,qui iam ſupplicio afficiuntur. Muretus; qui iam ad ſupplicium ducuntur. Subiungitur, Oportere aliquam ſubeſſe ſpē ſalutis in ea re,de qua angantur, vt poſſint metuere; ſignumq; eſſe, quia metus reddit paratos ad conſultandū, & nemo conſultat de rebus deſperatis.

Ratio mouendi metus eſt , vt oſtendantur pati poſſe , quia maiores paſſi ſint, vel quia æquales paſſi ſint,aut patiantur ea, quæ non arbitrabantur, ab eis , a quibus non arbitrabantur,

tunc, cum minime arbitrabantur. Mouet metum Philippus apud Saluſtium lib.1.hiſtoriarum,ſi obliti ſcelerum Cinnæ,cuius in vrbem reditu decus, atque ordines omnes interierunt, nihilominus ſe,atque coniuges,ac liberos Lepido permiſerint.

Fidentia dicitur eſſe contraria metui, & quæ fidentiam afferunt,iis,quæ metum. Itaque definitur fidentia:exponuntur, quæ fidentiam afferunt: tum ob quos fidant: poſtremo, qui fidant.

Quemadmodum autem apud Græcos *θάρσος* eſt vocabulū laudis,*θράσος* vitij,vt teſtatur Suidas: ſic apud Latinos fidentia eſt laudis, confidentia vitij. auctor Cicero lib.3.Tuſc. diſput. In definitione fidentiæ ponitur ſpes loco generis. nam *ἔλπις*, & ſpes generatim accipitur pro expectatione. Plato in epiſtolis, *πολλή ἐστιν ἐλπὶς διαφθαρῆναι τὰ πράγματα.* Virg.

Si genus humanum,& mortalia temnitis arma:
At ſperate deos memores fandi, atque nefandi.

Prima differentia eſt, *μετὰ φαντασίας τῶν σωτηρίων ὡς ἐγγὺς ὄντων*, cum phantaſia rerum ſalutarium vt quæ prope ſint. Muretus; cum opinione. At alia eſt opinio,alia phantaſia,vt ſupra quoque notauimus. Altera differentia, Metuendarum vero, aut quæ non ſint,aut quæ longe ſint.

Quæ fidentiam afferunt, ſunt quattuor; primum longinquitas malorum, & propinquitas bonorum, vt cum aliqua ciuitas eſt procul a malis,& habet bona propinqua:deinde emēdationes,vt apud Terentium in Adelphis;

Fores effregit? reſtituentur. diſcidit
Veſtem? reſarcietur. eſt, Diis gratia
Et vnde hæc fiant,& adhuc non moleſta ſunt.

Præterea auxilia vel multa, vel magna, vel vtraque, a quibus argumentatur Demoſthenes in oratione ad epiſtolam Philippi,cum oſtendit copias ſociorum omnium,Perinthiorum,Byzantiorum, Theſſalorum, Aſiaticorum ſatraparum, Xerxis, cum copiis Athenienſium coniunctum iri. Poſtremo iniuria nulla, aut accepta, aut illata. Vnde illud Horatij; Integer vitæ, ſceleriſque purus, Non eget Mauri iaculis, & quæ ſequuntur.

Apparet autem fidere homines propter duo genera hominum; primum ſi competitores aut omnino non ſint, aut vires

non

 396

non habeant, aut ſi habeant, amici ſint, aut beneficia tribuerint, aut acceperint. Deinde, ſi plures ſint, quibus eadem proſint, vel præſtantiores, vel vtrique.

Patent etiam ſeptem genera fidentium; primo loco, qui multa ſe recte egiſſe arbitrantur, & non paſſos eſſe: ſecundo, qui ſæpe in periculum adducti incolumes euaſerunt; bifariam enim homines fiunt experres perturbationis, vel quod experti non ſint: vel quod auxilia habeant; vt in periculis, quæ habentur in mari, & imperiti tempeſtatis futuris fidunt, & auxilia habentes propter experientiam: tertio qui ſimiles ſe eſſe, vel præſtantiores arbitrantur iis, qui non metuunt, vt cum videnr non metuere eos, quos vicerunt, ſiue ipſos vicetint, ſiue ipſis præſtantiores, ſiue ipſis pares: quarto qui putant ſibi adeſſe pluta, & maiora eorum, quibus qui præſtant, metuendi ſunt; cuiuſmodi ſunt multitudo pecuniarum, robur corporum, & regionis, & amicorum, & eorum, quæ ad bellum parantur, aut omnium, aut maximorum: quincto, qui iniuriam fecerunt aut nemini, aut non multis, aut non iis, a quibus metuant: ſexto, quibus ea, quæ ad Deos pertinent, proſpera, ac ſecunda ſunt, tum alia, tum ſigna, atque oracula; nam ira affert fidentiam; & non iniutiam facere, ſed iniuriam accipere eſt efficiens iræ; numen autem exiſtimatur auxiliari iis, qui iniuriam accipiunt: ſeptimo, qui priores impetum facientes vel nihil ſe pati, vel paſſutos eſſe, vel recte acturos arbitrantur.

Ratio mouendæ fidentiæ eſt, vt oſtendantur res ſalutares prope eſſe, & metuendæ aut non eſſe, aut longe eſſe. Mouet fidentiam Lepidus apud Saluſtium, quod L. Syllæ opes futiles, & corruptæ ſint.

In caput sextum, *de pudore.*

Traditur, quid ſit pudor: quæ afferant pudorem: quorum hominum pudeat: quos homines pudeat.

Definitur pudor, vt ſit dolor quidã, & cõfuſio in iis malis, quę videt̃ pertinerę ad exiſtimationis offenſionẽ, perinde ac metus in iis malis, q̃ interimere, vel valde moleſta eſſe queũt: aut pſen-

tibus, vt cum quis in re turpi deprehenditur: aut præteritis, vt cum quis ſe turpiter geſſiſſe conuincitur: aut futuris, vt cum alicuius conſilia de turpitudine aliqua palam proferuntur.

Quidquid affert pudorem, aut eſt opus vitioſitatis: aut vacuitas rerum honeſtarum: aut perpeſſio rerum turpium. Opus vitioſitatis eſt, vt timiditatis, iniuſtitiæ, intemperantiæ, illiberalitatis, adulationis, mollitiei, puſillanimitatis, arrogantiæ, quarum rerum exempla ſunt clara, ſimiliter vero aliorum vitiorum. Vacuitas rerum honeſtarum intelligitur earum, quarum omnes participes ſunt, aut ſimiles omnes, aut plurimi. ſimiles vero dicuntur eiuſdem nationis, ciuitatis, ætatis, cognationis. Turpe enim iam eſt non eſſe participem, vt eruditionis quadãtenus, & aliarum rerũ ſimiliter. Atq; hæc omnia eo turpiora, ſi in ipſo culpa hæreat. Tunc enim magis intelligitur hæc a vitio eſſe, ſi ipſe ſit cauſſa eorum, quæ affuerunt, aut adſunt, aut affutura ſunt. Perpeſſio quoque rerum turpium affert pudorem, quæcunque ad exiſtimationis offenſionem pertinent, & probra; cuiuſmodi ſunt, quæ pertinent ad miniſteria corporis, aut operum turpium, ex quibus eſt contumeliæ perpeſſio. Diſtinguuntur autem perpeſſiones rerum turpium ex intemperantia a perpeſſionibus ex vi. Etenim quæ ab intemperantia oriuntur, turpes ſunt, ſiue ex voluntate, ſiue præter voluntatem eueniant: quæ vero a vi, ita demum ſunt turpes, ſi quis eas inuitus ſuſcipiat. ſic enim ab ignauia, & timiditate proficiſcuntur.

Pudet eorum, primo loco, quorum rationem habent. Rationem autem habent eorum, qui ipſos ſuſpiciunt, & quos ipſi ſuſpiciunt, & a quibus volunt ſuſpici, vt qui bono aliquo prediti ſunt eorum, quæ honore digna cenſentur, aut a quibus vehementer cupiunt impetrare aliquid, quod in ipſorum poteſtate eſt, vt amantes. Præterea rationem habẽt eorum, quibuscum de honore contendunt, vt qui ſimiles ſunt. Poſtremo eorum, quorum non contemnunt exiſtimationem, & quos curant, vt prudentes, quippe qui vera loquantur, cuiuſmodi ſunt ſenes, & eruditi: ſecundo loco, qui affuturi ſunt, & qui attendunt, quia ambo ante oculos ſunt; quæ vero in oculis ſunt, & in propatulo, pudorem mouent, vnde etiam exiſtit prouerbium, Verecundiam

cundiam in oculis habitare: tertio, qui non ſunt iiſdem culpis obnoxij: quarto, qui non ignoſcunt iis, qui videntur peccare: quincto qui quæ ſciunt, libenter in vulgus enunciant, vt iniuriam paſſi, propterea quod obſeruant; & maledici, quia ſi inceſſunt eos, qui non peccant, multo magis eos, qui peccant; & occupati in proximorum peccatis, vt ſubſannatores, & comici, quia maledici quodammodo ipſi ſunt, & procliues ad enunciandum: ſexto, a quibus nunquam repulſam tulerunt, quia videntur eis admirationi eſſe; quo fit, vt etiam eorum pudeat, qui prius aliquid petierunt, vt qui nondum apud ipſos exiſtimationem amiſerunt; tales autem ſunt & qui recens volunt amici eſſe; quæ enim optima ſunt, viderunt; vnde bene reſpondit Euripides Syracuſanis; & ex vetuſtis familiaribus, qui nullius turpitudinis cōſcij ſunt: ſeptimo, qui indicaturi ſunt ipſos, vt famulorum, & qui ipſis amici ſunt. Illud conficitur non pudere eorum, quorum valde contemnunt exiſtimationē, quod ad veritatem attinet; neminem enim pudere belluarum, & puerorum: neque in eiſdem rebus pudere notorum, & ignotorum; ſed notorum quidem in iis, quæ ad veritatem exiſtimantur, externorum vero in iis, quæ ad opinionem tantum.

Pudet vero eos, qui habent apud ſe, quos curant. ἦσαν δὲ οὗτοι, ἢ θαυμαζόμενοι, ἢ θαυμάζοντες &c. Erant autem iſti aut qui ſuſpiciuntur, aut qui ſuſpiciunt. Sigonius; Erant autem hi, aut qui ſuſpiciuntur, aut quos ſuſpiciunt. ſequitur Ariſt. aut a quibus volunt ſuſpici, aut a quibus requirunt aliquam rem opportunam, quam non obtinebunt, ſi nullius exiſtimationis fuerint. & iſti, ſi aut videant, vt Cydias de Sami colonia concionatus eſt; petebat enim, vt exiſtimarent Athenienſes circumſtare Græcos vt videntes, & non duntaxat audituros, quæ decreuiſſent: aut prope ſint, ſenſuriue ſint. Quo fit, vt illi, qui aduerſa fortuna vtuntur, conſpici ſe ab æmulis nolint: æmuli enim ſuſpiciunt. præterea pudet eos, qui habent ea, quæ dedecorant opera, & actiones aut ſuas ipſorum, aut proauorum, aut aliorum aliquorum, quibuſcum ſit aliqua ipſis propinquitas, & omnino eorum, pro quibus ipſos pudet. Tales autem ſunt tum ij, quos diximus, tum ij, qui ad ipſos referuntur, quorum magiſtri, aut conſiliarij fuerunt. Deinde pudet eos; qui habent

ſimiles, quibuscum de honore concertant: multa enim pudore affecti propter tales faciunt, & non faciunt. poſtremo magis pudet eos, qui ſciunt ſe conſpectum iri, & in aperto fore cum conſciis. Vnde & Antiphon poeta cũ tympano torquendus eſſet a Dionyſio, videns vna morituros ſe obnubere, vt ex ianua egreſſi ſunt, dixit, Quid obnubitis? an, ne cras aliquis horum vos videat?

Ac de pudore quidem hæc: de impudētia vero manifeſtum eſt nos abundaturos eſſe ex contrariis.

Mouetur pudor, ſi ea commemorentur, quę offendere exiſtimationem poſſunt: quemadmodum mouetur impudentia, ſi mala, quæ ad offendendam pertinent exiſtimationem, diminuantur. Mouet pudorem Cicero pro Cælio eo in loco; Mulier, quid tibi cum Cælio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? & quæ ſequuntur.

IN CAPVT SEPTIMVM, *de gratia.*

SVnt, qui dubitant, an gratia affectus ſit. Et nonnulli ex Ariſtotelis explicatoribus ſcribunt, eam proprie affectum non eſſe, ſed quod efficitur ab amore, vt ad amorem, tamquam eius effectus referri debeat. Alij dicunt gratiam affectum eſſe, & ad amorem tamquam ſpeciem ad genus referri. Quæ duæ explicationes illud videntur habere dubitationis, quod non ſtatim poſt tractationem amoris de gratia ſit diſputatum, ſed primum de metu, de fidentia, de pudore, & poſtea de ipſa gratia coniunctim cum miſericordia. Nobis vero illud probatur, vt gratia affectus ſit, & cum tractatione miſericordiæ coniugatur, proptereа quod ambæ ſunt commotiones quædam propter malum, ſed vna mouetur opitulando, altera putando ſe, aut aliquem ſuorum idem pati poſſe. Quemadmodum enim ſuperiores omnes affectus ſunt rei futuræ: ſic ſequentes ſunt rei præſentis. Verum ſi eſt affectus ob rem præſentem, dupliciter contingit, aut propter malum, aut propter bonum alterius. Si propter malum, aut ita, vt qui commouetur, indigenti ſuccurrat, & eſt gratia: aut ita, vt putet ſe, aut aliquem ſuorum idem pati poſſe, & eſt miſericordia. Si propter

pter bonum, aut ita, vt ipſum bonum comitetur indignitas eius, in quo eſt, & ſtomachatio eſt: aut ita, vt ipſum bonũm nõ comitetur indignitas; idque dupliciter; vel quia alius bonum habeat, & inuidia eſt: vel quia ille, qui perturbatur, non habeat, & æmulatio eſt.

Iam in definitione gratiæ quattuor ſpectantur; primum, vt detur indigenti; non enim gratia eſt, niſi cum in aliquem indigentem beneficium confertur: deinde vt non detur pro re aliqua, & loco remunerationis: præterea, vt non idcirco detur, vt ei, qui tribuit, aliquid ſuppetat, isque aliquid vtilitatis conſequatur: poſtremo, vt detur ſolo animo benefaciendi. Cũ autem definiatur gratia eſſe, per quam is, qui poſſidet, dicitur gratiam ſuppeditare ei, qui indiget, appellatur gratia, tum affectus is, per quẽ tribuitur beneficiũ, tum ipſum beneficium.

Amplificatur gratia triplici ratione, tum eorum, qui accipiunt, vt ſint valde indigentes: tum rerum, quæ dantur, vt ſint magnæ, difficiles, opportunæ: tum eorum, qui dant, vt ſoli dẽt, aut primi, aut in primis. Ac indigentiæ ſunt appetitiones, & ex his illæ potiſſimum, quæ coniunctum dolorem habent rei, quæ non ſuppetit. eiuſmodi vero ſunt cupiditates, vt amor: & in corporis cruciatibus, & in periculis; etenim qui verſatur in periculo, concupiſcit, & qui in dolore. Quamobrem iis, qui paupertate laborant, & exulant, etiamſi res paruas tradiderint, propter magnam indigentiam, & temporis occaſionem gratiam tribuerunt, vt qui in Lyceo præbuit ſtoream. Neceſſe igitur eſt in tes tales tributionem facere: ſin minus in pares, aut maiores. Ratio igitur amplificandæ gratiæ eſt, vt demonſtremus, tum illos aut eſſe, aut fuiſſe in eiuſmodi indigentia, ac dolore: tum hos dediſſe opem in tali neceſſitate: tum ſuppeditaſſe tale aliquid.

Sumitur diminutio gratiæ partim ab effectu quadruplici, quod aut ſuũ cõmodum in tribuendo ſequantur, ſecutiue ſint; aut caſu fecerint: aut coacti fecerint; aut reddiderint magis beneficiũ quã dederint, ſiue ſcientes, ſiue neſcientes; vtroq; enim modo aliquid pro aliquo redditur, vt ne ſic quidẽ gratia vlla debeat: partim ab inſpectione categoriarũ, quod hoc, & nõ illud; quod nõ tantũ, quantũ oportebat, quod nõ tale, quale volebam;

quod non quando petiuimus; quod non vbi erat neceſſe: partim a ſignis quibuſdam, quod minus aliquid non tribuerunt; quod inimicis aut eadem, aut paria, aut maiora ſubminiſtrarunt; quod vilia dederunt, quibus nemo confitetur ſe indigere.

Amplificat mirabiliter gratiam Cicero in orationibus poſt reditum, & pro Marcello.

IN CAPVT OCTAVVM, *de miſericordia.*

DEfinitur primo loco miſericordia; & in huiuſmodi definitione habetur triplex ratio; tum mali, in quo ipſa miſericordia verſatur, vt habeat vim interitus, & moleſtiæ afferendæ ac propinquum eſſe videatur: tum eius, in quem miſericordia eſt, vt ſit indignus malo: tum eius, qui miſeratur, vt putet ſe, vel aliquem ſuorum id malum pàti poſſe. Itaque dicitur eſſe moleſtia quædam in eo malo, quod videtur habere vim interitus, & moleſtiæ afferendæ, eius, qui eo ſit indignus, quod etiã ipſe expectet ſe paſſurum, aut aliquem ſuorum; idq; cum propinquum appareat.

Secundo loco explicatur, qui ſint miſericordes, & qui non ſint. Ac miſerantur quidem, qui putant ſe, aut aliquem ſuorum aliquid mali paſſurum eſſe; idque tale, quale in definitione dictum eſt, aut ſimile, aut propinquum. Quamobrem primum genus eorum, qui non miſerantur, ſunt omnino perditi: nihil enim amplius ſe paſſuros putant, cum paſſi ſint. Secundũ genus qui putant ſe valde felices eſſe: ſi enim omnia putant ſibi adeſſe bona, manifeſtum eſt, eos putare, ſe nihil mali paſſuros. Etenim hoc in numero eſt bonorum. Quare tales non miſerantur, ſed potius contumeliam faciunt. primum vero genus eorũ, qui miſerantur, ſunt, qui iam mala paſſi ſunt, & euaſerũt. Secundum genus ſunt ſenes, tũ propter prudentiam, tum propter experientiam. Tertium debiles, & timidiores etiam magis. Quartum eruditi: conſiderati enim ſunt. Quinctum qui habent parentes, & liberos, aut vxores: ſua enim ſunt, & poſſunt pati, quæ dicta ſunt. Sextum non irati, nec fidentes, qui ſunt fortitudinis affectus: hi enim de futuro non conſiderant. Septimum non contumelioſi: etenim iſti non conſiderant, ſe

aliquid

aliquid paſſuros eſſe. Octauum non valde metuentes: neque enim miſerantur metu perculſi, cum in proprio affectu verſentur. Nonum, qui putant aliquos eſſe bonos: nam qui de nemine bene ſentit, omnes malo dignos eſſe arbitrabitur. Decimum, qui meminerunt mala accidiſſe ſibi, aut ſuis, aut putãt fore, vt accidant.

Tertio loco exponuntur ea, in quibus verſatur miſericordia. Sunt enim talia, primum quæcunque ex moleſtis, & triſtibus habent vim interimendi. ϗ ὅσα ἀναιρετικά. & quæcunq; habent vim perdendi. Hoc relinquit Muretus tamquam gloſſema. Vt mortes, verbera, corporum cruciatus, ſenectus, morbi, alimenti indigentia. Deinde quorum malorum fortuna eſt cauſſa magnitudinem habentium, cuiuſmodi ſunt ſolitudo ab amicis, paucitas amicorum, diuelli ab amicis, & familiaribus, deformitas, imbecillitas, debilitatio, vnde boni quid expectari par erat, inde malum aliquod prouenire, & ſæpe tale aliquid contingere, præterea boni quid tum demum euenire, cum is, cui euenit, perpeſſus eſt, quidquid perpeti poterat, vt Diopithi regia munera iam mortuo miſſa ſunt, poſtremo boni aut nihil euenire, aut tum demum euenire, cum fructus iam nullus ex eo percipi poteſt.

Quarto loco enumerantur nouem genera eorum, quos miſerantur. Ac primum quidem genus ſunt familiares, ſi non arcto admodum neceſſitudinis vinculo cõiuncti ſint. Quod declaratur exemplo Amaſis, qui cum amicum mendicantem videret, lacrymas effudit: videns vero filium ad ſupplicium duci, non effudit; quod illud eſſet miſerabile: hoc atrox, habens vim pellendæ miſericordiæ. Notãt vero explicatores alij, quod veriſſimum eſt, Herodotum in Thalia nominare pro Amaſi Pſammenitum Amaſis filium. Secundum genus ſunt, quibus atrocitas eſt propinqua. Tertium, ſimiles aut ætate, aut moribus, aut habitibus, aut dignitate, aut genere. Nam hæc omnia efficiunt, vt magis putet quiſque ſibi idem euenire poſſe. Quartum, quibus illa euenerunt, quæ ſibi metuunt. Quinctum, qui repræſentantur geſtu corporis, & voce, & veſte, & omnino actione: quæ enim perpeſſu acerba ſunt, ita demum miſerationem commouent, ſi prope eſſe videantur: quæ autem decem

abhinc millibus annorum fuerunt, aut futura ſunt, neque expectantes, neque memoria repetentes miſerantur, aut omnino, aut non æque. Quamobrem qui repræſentantur, miſerabiliores ſunt. efficiunt enim, vt propinquum malum videatur, conſtituentes ante oculos aut tamquam futurum, aut tamquā factum. Sextum, quibus mala nuper euenerunt, vel euentura ſunt: quæ enim nuper fuere, aut breui futura ſunt, miſerabiliora ſunt. Septimum, quorum conſpiciuntur ſigna, & actiones, vt veſtes, & quæcunque eius generis ſunt. Octauum, quorum audiuntur ſermones in ipſa calamitate, vt qui iam animam efflant. Nonum, qui virtute præſtant, cum in eiuſmodi temporibus verſentur. Omnia enim hæc ad efficiendam miſerationem aptiora ſunt, propterea quod vicina videntur, quaſi ille indignus ſit, & calamitas ante oculos ſtatuatur.

Mouetur miſericordia, ſi oſtendantur illi, quos reddere miſericordes volumus, pati poſſe: & ille, erga quem mouenda eſt miſericordia, eſſe indignus malo: & malum ipſum eſſe magnum & propinquum. Multum autem valuit in miſericordia excitanda Galba, quem ſcribit Cicero lib. 1. de orat. C. Sulpitij Galli propinqui ſui Q. Pupillum filium pene in humeros ſuos extuliſſe, qui patris clariſſimi recordatione, & memoria fletū populo moueret; & duos filios ſuos paruos tutelæ populi commendaſſe; ac ſe tamquam in procinctu teſtamentum faceret, ſine libra, atque tabulis populum Rom. tutorem inſtituere dixiſſe illorum orbitati. In eadem re mirabiliter excelluit M. Antonius, quem lib. 2. de orat. idem teſtatur, cum ſibi Manius Aquilius in ciuitate retinendus eſſet, excitaſſe mœſtū, ac ſordidatū ſenem, & metum magū animi, ac dolorem præ ſe tuliſſe, vt diſcinderet tunicā, vt cicatrices oſtenderet, cum C. Marius mœrorem eius, præſens, & ſedens multum lacrymis ſuis adiuuaret; cumque is ipſe illum crebro appellās collegam illi ſuum commendaret, atque illum aduocatum ad cōmunem Imperatorum fortunam defendendam inuocaret. Ipſe quoq; Cicero in oratore ad Brutum gloriatur, ſe ita dolenter vti miſeratione ſolitum eſſe, vt puerum infantem in manibus perorans tenuerit, vt alia in cauſſa excitato reo nobili, ſublato etiam filio paruo, plangore, & lamentatione compleret forum, vt etiamſi

plures

plures dicerent, perorationem ipſi tamen omnes relinquerent, quod in miſerationibus excelleret. Non immerito igitur a Gellio, & ab aliis prælatus eſt C. Graccho, qui in miſerationibus parum vehemens apparuit, & in violentis, atque crudelibus facinoribus vſus eſt ſermone non admodum diuerſo a quotidianis ſermonibus, vt in oratione de legibus promulgatis in hunc modum; Nuper Theanum Sidicinum conſul venit. vxorem dixit in balneis virilibus lauari velle. Quæſtori Sidicino a M. Mario datum eſt negocium, vti balneis exigerentur, qui lauabantur. Vxor renunciat viro, parum cito ſibi balneas traditas eſſe, & parum lautas fuiſſe. Idcirco palus defixus eſt in foro; eoque adductus ſuæ ciuitatis nobiliſſimus homo M. Marius: veſtimenta detracta ſunt: virgis cæſus eſt. Caleni, vbi id audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lauiſſe vellet, cum magiſtratus Romanus ibi eſſet. Ferentini ob eandem cauſſam Prætor noſter Quæſtores arripi iuſſit. Alter ſe de muro deiecit: alter prehenſus & virgis cæſus eſt. Et alio in loco ſic; Quanta libido, quantaque intemperantia ſit hominum adoleſcentium, vnum exemplum vobis oſtendam. His annis paucis ex Aſia miſſus eſt qui per id tempus magiſtratum non ceperat, homo adoleſcens pro legato. Is in lectica ferebatur. ei obuiam bubulcus de plebe Venuſina aduenit: & per iocum cum ignoraret, qui ferretur, rogauit, num mortuum ferrent. vbi id audiuit, lecticam iuſſit deponi: ſtuppis, quibus lectica deligata erat, vſque adeo verberari iuſſit, dum animam efflauit. Hæc profecto minus miſerabilia ſunt, quam illa, quæ ſolet Cicero exprimere, vt de C. Verre; Ipſe inflammatus ſcelere, & furore, in forum venit; ardebant oculi; toto ex ore crudelitas emanabat. Expectabant omnes, qua tandem progreſſurus, aut quidnam acturus eſſet, cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet. O nomen dulce libertatis. O ius eximium noſtræ ciuitatis. O lex Porcia, legesque Semproniæ. O grauiter deſiderata, & aliquando reddita plebi Rom. Tribunitia poteſtas. Huccine tandem hæc omnia reciderunt, vt ciuis Roman. in prouincia populi Rom. in oppido fœderatorum, ab eo, qui beneficio populi Rom. faſces,

ac ſecures haberet, deligatos in foro, virgis cæderetur? Quid, cum ignes, ardentesque laminæ, ceterique cruciatus admouebantur? Si te acerba illa imploratio, & vox miſerabilis non leniebat, ne ciuium quidem Rom. qui tum aderant, fletu, gemituque maximo commouebare? Hactenus Cicero. Nunc ad Ariſtotelem redeamus.

IN CAPVT NONVM, *de ſtomachatione.*

PRimum obſeruandum eſt, miſericordiæ opponi ſtomachationem. Eſt enim miſericordia dolor, qui habetur propter indignas res aduerſas: & ſtomachatio dolor, qui habetur propter indignas res ſecundas. Qui dolores pugnant inter ſe quodammodo, cum tamen ab iiſdem moribus proficiſcantur. Nam vtraque harum perturbationum eſt hominis bonis moribus præditi. Et oportet vna dolere cum eis, qui indigne male agunt: ac ſtomachari eis, qui indigne proſpera fortuna vtuntur. Iniuſtum enim eſt, quod fit præter dignitatem. ob quam cauſſam etiam Diis tribuimus ſtomachationem.

Deinde animaduertendum, ſtomachationem, & inuidiam inter ſe partim ſimiles eſſe, partim diſſimiles. Nã inter ſe conueniunt, tum quia ambæ opponuntur miſericordiæ, tum quia ſunt moleſtiæ turbulentæ, tum quia perturbationes ob res alterius ſecundas. Sed in eo differunt, quod ſtomachatio eſt in indignum: inuidia vero in æqualem vel ſimilem.

Tertio loco diſtinguenda eſt ſtomachatio, & inuidia a metu. illæ enim ſunt perturbationes non propter malum aliquod, quod poſſit ex alterius proſperitate prouenire, ſed propter ſolam alterius proſperitatem: hic vero eſt perturbatio propter malum, quod euenturum eſſe videatur, etiam ex aliena proſperitate.

Præterea obſeruandi ſunt, qui miſericordiam, & inuidiam contrarij conſequuntur affectus. Nam miſericordiam conſequitur honeſta lætitia, ita vt qui moleſtia afficitur ob eos, qui indigne male agũt, lætetur, aut moleſtiæ vacuus ſit ob eos, qui non indigne male agunt. Quamobrem ob parricidas, aut ſicarios, qui ſupplicio afficiantur, nemo bonus moleſtia affectus

fuerit:

fuerit: oportet enim gaudere propter tales eodem modo, ac propter bene agentes ſecundum dignitatem. Nam ambo iuſta ſunt,& viro bono gaudium afferunt;qui neceſſario quæ videt ſui ſimili euenire,etiam ſibi ſperat euentura. Eorundemq; morum hæc omnia ſunt: contraria vero contrariorum. Inuidiam autem conſequitur turpis lætitia: idem enim eſt, qui malis alienis lætatur, ac inuidus; ita vt qui moleſtia afficitur propter bonum aut exoriens, aut præſens alicuius, idem lætetur talis boni abſceſſu atque interitu.

Quinto loco intelligendum, hæc omnia, ſtomachationẽ, inuidiam, metum, arcendæ miſericordiæ vim habere, & omnia ſimiliter vtilia eſſe ad reddenda non miſerabilia.

Sexto, cum de ſtomachatione cognoſcendum ſit, Quibus, Ob quæ,& Qui ſtomachentur, definitur quid ſit ſtomachari, nempe moleſtia affici ob eum, qui præter dignitatem proſpere agere videatur.

Septimo exponitur, ob quæ ſtomachentur: non enim ob omnia bona, vt ob iuſtitiam, fortitudinem, virtutem, quæ reddunt homines dignos, quorumq; contraria miſericordiã non afferunt: ſed ob illa bona, quæ habere etiam indigni queunt, vt ob diuitias, potentiam, res eiuſmodi, quibus, vt vniuerſe dicatur, digni ſunt viri boni,& ij, qui habent ea, quæ natura bona ſunt, vt nobilitatẽ, pulchritudinem,& quæ ſunt huius generis.

Octauo oſtenditur, quibus ſtomachentur. Etenim magis illis ſtomachantur, qui nuper bonum aliquod poſſident, vt diuitias,& propter diuitias honores,& imperia, quàm illis, qui antiquitus, & a maioribus idem bonum habent: alteri enim videntur habere ea, quæ ſua ſunt: alteri verò nequaquam. Prætereà ſtomachantur illis, qui habent bona, quæ ipſis non conueniunt; exempli gratia, arma pulchra non conueniunt iuſto, ſed forti: & coniugia eximia non nuper diteſcentibus, ſed nobilibus. Poſtremo ſtomachantur inferioribus controuerſantibus cum ſuperioribus, vt apud Homerum libro vndecimo Iliadis Iupiter ſtomachabatur Cebrioni Troiano pugnanti cum Aiace Telamonida. Eodem modo oritur ſtomachatio, ſi Muſicus cum iuſto controuerſetur: melior enim eſt iuſtitia, quàm muſica.

Nono declaratur, qui ſtomachentur. Nam ſunt ſtomachoſi tum digni maximis bonis, & ea poſſidentes; non enim iuſtum eſt eos, qui non ſunt ſimiles, exiſtimari ſimilibus dignos: tum boni, & virtute præditi: iudicant enim bene, & odio habẽt iniuſtum: tum ſtudioſi honoris, & appetentes quarundam actionum, & maxime in iis rebus ſtudioſi honoris quas alij, cũ indigni ſint, conſequuntur: tum iudicantes ſe dignos illis, quibus iudicant alios indignos. Quamobrem mancipiorum ſimiles, & praui, & non cupidi honoris ſtomachoſi non ſunt: nihil enim eiuſmodi eſt, quo ſe dignos eſſe putent.

Decimo traditur, contra miſericordiam valere ſtomachationem, & excitari, ſi tales parentur illi, qui audiunt, quales ſtomachoſi eſſe ſolent, dolentes bona indignis euenire: ac illi, qui poſcunt, vt ſui miſereantur, oſtendantur indigni, qui miſericordiam impetrent, & ob illa, ob quæ poſcunt: omninoque commemorentur, ac ſub oculos ſubiiciantur proſperi eorum ſucceſſus, qui indigni ea proſperitate habeantur, qualis eſt commemoratio Horatij in Menam Pompeij magni libertum.

IN CAPVT DECIMVM, *de inuidia.*

TRaditur, quid ſit inuidia: qui: ob quæ: quibus inuideant: quæ ſit ratio inuidiæ commouendæ.

Definitur inuidia, vt ſit moleſtia propter bonum alterius, qui ſit ſimilis, non quia is, qui moleſtia afficitur, bonum non habeat, ſed quia alter habeat. Itaque diſtinguitur a miſericordia, quæ eſt moleſtia propter malum, non propter bonum: & a ſtomachatione, quæ eſt moleſtia propter bonum alterius, qui ſit indignus, non qui ſit ſimilis: & ab æmulatione, quæ eſt moleſtia non quia alter habeat, ſed quia is, qui moleſtia afficitur, non habeat bonum.

Inuident primum, qui non ſunt ſua ſorte contenti, ſed cum habeant aliquos ſimiles genere, cognatione, ætate, habitu, exiſtimatione, copiis, & parum abſit, quin omnia habeant, maius aliquid requirunt, etiamſi magna agant, & proſpera fortuna vtantur; quidquid enim ad alios peruenit, id ſibi eripi arbitrantur. Deinde inuident, qui honore delectãtur, vt qui eximie honorantur

norantur aliquam ob rem, & maxime ob ſapientiã, aut felicitatem:& ſtudioſi honoris magis, quam non ſtudioſi: & qui ſequuntur ſapientiæ gloriam; ſtudioſi enim ſunt honoris ob ſapientiã:& omnino qui amant gloriam aliqua in re. Poſtremo inuident puſillanimi:omnia enim ipſis videntur eſſe magna.

Atque inuident ob illa opera, in quibus amant gloriam, & de honore contendunt, hominumq; opinionem aucupantur: & fere ob bonæ fortunæ euentus: & maxime ob ea, quæ ipſi appetunt, aut putant habere ſe oportere:& ob ea, quorum poſſeſſione paulliſper aut ſuperant, aut ſuperantur.

Et inuident tum iis, qui propinqui ſunt, tempore, loco, ætate, exiſtimatione; vnde illud; Quod cognatum eſt, etiam ſcit inuidere:tum iis, quibuscum de honore cõtendunt; ac de honore quidẽ non contendunt cum iis, qui procul remoti ſunt tempore, vt qui abhinc decem millia annorum fuerunt, aut erunt; nec cum iis, qui procul remoti ſunt ſorte, vt qui diem ſuũ obierunt; nec cum iis, qui procul remoti ſunt loco, vt qui habitant ad Herculeas columnas Occidentem Solem verſus in extremis Europæ, & Africæ partibus, vltra quas habitari non putabant; nec cum iis, qui procul remoti ſunt condicione, vt a quibus ſe longo interuallo aut ſuo, aut aliorum iudicio relinqui putant, & quibus ſe multo ſuperiores eſſe arbitrantur; ſed de honore contendunt cum iis, qui competitores ſunt, & riuales, & cum iis omnino, qui eadem appetunt; ita vt neceſſe ſit, his potiſſimum inuidere; vnde illud apud Heſiodum lib.1. Et figulus figulo; ratione ſcilicet gloriæ, aut lucri, non ſimilis ſtudij, & profeſſionis, quæ ſimilitudo parit amorem, vt dictum eſt ſupra de amore: tum iis, qui cito aliquid ſunt conſecuti: tum iis, qui ſi id, quod volunt, adepti fuerint, ac bene rem geſſerint, aliquod dedecus inuidentibus conflatur, cuiuſmodi ſunt propinqui, & ſimiles; manifeſtum enim eſt eos ſua ipſorum culpa idem bonũ non conſequi, quod pares, ſimilesq; conſecuti ſunt; eaq; moleſtia animũ vellicans inuidiã efficit:tum iis, qui habẽt ea, aut adepti ſunt, quæ iis, qui inuident, cõueniebant, aut olim parta fuerãt, vt ſeniores iunioribus, & nobiles nouis:vt.n.ignis exoriẽs plurimũ fumũ, ita gloria exoriens maximã inuidiã excitat; quo ptinet Themiſtoclis dictũ, qui adoleſcens dicebat, ex

eo ſe intelligere, nihildum a ſe ſplendide geſtum, quod nondum inuidiæ dente peteretur: tum iis, qui paucos ſumptus fecerunt in eandem rem, in quam ipſi multos.

Excitatur inuidia, ſi illi, qui audiunt, ita conformentur, vt ſe habent inuidi: & illi aduerſus quos excitatur, tales oſtendãtur, qualibus ſolet inuideri: & ipſorum proſperitas ita ante oculos proponatur, vt auditores ex ea moleſtiam percipiant. Id quod plurimum valebit ad arcendam miſericordiam. illi enim, quos dignos exiſtimant, qui miſericordiam obtineant, aut bonum aliquod conſequãtur, ſi inuidiam adducti fuerint, manifeſtum eſt ipſos a principibus nequaquam eſſe miſericordiam conſecututos. Apud Ciceronem lib. 2. de orat. quædam traduntur ad inuidiam mouendam, quæ pertinere magis ad ſtomachationem excitandam videntur, cum indignitas hominis exprimatur; nempe moueri animos ad inuidiam, ſi dicatur opes, honores, imperia non eſſe virtute parta, ſed vitiis, atq; peccatis: ſi illa ſint honeſtiora, atque grauiora, non eſſe tanti vlla merita, quanta inſolentia hominis, quantumq; faſtidium. Apud eundem additur, mitigari animos ad inuidiam concitatos, ſi quis dicat, magno illa labore, magnis periculis eſſe parta; nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eſſe collata; ſeſeq; ſi quam gloriam peperiſſe videatur, ea non delectari, totamq; abiicere, atque deponere.

IN CAPVT VNDECIMVM, *de æmulatione.*

PRimo loco definitur æmulatio, vt ſit moleſtia quædam propter bona honorata in ſimilibus natura, non quod illi habeant, ſed quod non etiã ipſi habeant. Itaq; æmulatio bona eſt, & bonorum, quippe quæ doleat magis malo ſuo, quã bono alieno: inuidere vero malũ & malorum. Nam qui æmulatur, talem efficere ſe ſtudet, vt ipſe quoque boni aliquid nanciſcatur: at, qui inuidet, id ſtudet efficere, vt ne alter boni quid habeat.

Secundo enumerantur illi, qui æmulantur. Et ſunt tum qui exiſtimant ſe ipſos dignos bonis, quæ non habent, cum tamen eorum capaces ſint; neq; enim quiſquam ea poſtulat, quæ capere ſe non poſſe intelligit; quare tales ſunt iuuenes, & magnanimi:

403

nimi:tum qui habent bona quæ honoratis viris digna ſunt, vt opes,amicitię,magiſtratus,& eiuſdem generis alia;tamquam enim ipſis cõueniat eſſe probis,quia conueniũt probe ſe habentibus,ex bonis talia æmulãtur: tum qui digni exiſtimantur ab aliis:tum quorum maiores, aut cognati, aut domeſtici,aut natio, aut ciuitas honorata eſt;propria enim ſibi eſſe hæc, ſeq; eis dignos eſſe arbitrantur.

Tertio recenſentur bona æmulanda; & primum virtutes: deinde aliis vtilia, & idonea ad benefaciendum; honorant enim benefacientes, & bonos: poſtremo ea bona, quorum fruitio proximis eſt, vt diuitiæ, & pulchritudo magis, quam ſanitas.

Quarto commemorantur homines æmulandi;& primum præditi fortitudine, & ſapientia,& magiſtratuum adminiſtratores; nam qui magiſtratum gerunt, in multos eſſe benefici poſſunt; & imperatores, & oratores, & omnes, qui talia poſſunt: deinde quibus multi ſimiles volunt eſſe, aut multi familiares, aut amici multi,aut quos multi ſuſpiciunt, aut quos ipſi ſuſpiciunt: poſtremo quorum laudes, & encomia celebrantur aut a poetis, aut a ſcriptoribus orationum.

Quincto traditur contemni homines contrarios iis, qui æmulandi ſunt. Nam contrariam eſſe æmulationi contemptionem: & id, quod eſt æmulari,ei,quod eſt contemnere. Ac neceſſe eſſe, ſic ſe habentes, vt ipſi æmulentur aliquibus, aut ipſis aliqui, contemptores exiſtere eorum, in quibus inſunt mala bonis æmulandis contraria. Itaque ſæpe euenire,vt contemnant proſpera fortuna vtentes, quoties ſine honoratis bonis adeſt ipſis fortuna. Quemadmodum autem excitatur contemptio a malis illis, quæ bonis æmulandis aduerſantur: ſic mouetur æmulatio a bonis æmulandis, vt apud Ciceronem pro Sextio; Hæc imitamini per deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis: hæc ampla ſunt, hæc diuina, hæc immortalia: hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, poſteritati propagantur.

IN CAPVT DVODECIMVM, ET SEQVENTIA QVINQVE, *de quattuor generibus morum, qui ſpectantur in auditoribus.*

SEquitur ſecunda pars moratæ orationis, vbi agitur de moribus auditorum, vt ad eos accommodetur oratio. Quemadmodum autem Quinctilianus confundere hanc partem cum fide demonſtratiua, & argumentatione videtur, ita vt hac de cauſſa ſuſceptam fuiſſe a philoſopho diligentem morum explicationem putauerit, vt argumenta inde ad aliquid confirmandum, aut refellendum apta ducerentur, qua de re merito a Victorio reprehenſus eſt: ſic amicus quidam noſter eandem cum materia elocutionis confundit, ad cuius decorum pertinet exprimere conuenientes illis perſonis mores, de quibus agitur; cuiusque vrbanitati ſubiiciuntur facetiæ. Cumque eam conſideret, quatenus ipſa repræſentat mores hominum, quod eſt munus decoræ, & moratæ elocutionis, mores inquam aut ex habitibus, aut ex affectibus, aut ex ætatibus, aut ex proſpera, aduerſaque fortuna, & quatenus repræſentat mores rerump. & mores etiam generum, atque habituum, quod pertinet quoque ad moratam elocutionem: prætermittit illud, cuius gratia tum quattuor morum genera hoc in loco tradita ſunt, tum mores Rerump. lib. I. cap. 8. explicati, vt ſcilicet oratio ad varios auditorum mores accommodetur. Hic enim fuit finis philoſophi, vt cognitis variis moribus auditorum, & perceptis moribus, ac tamquam naturis ſingularum Rerump. oratores, & eorum orationes fingerentur eiuſmodi, quæ illis, qui audirent, congruerent, illorumque ſenſus iucunde tangerent. Quod ſuum conſilium ipſe declarauit huius libri capite decimotertio ad hunc modum; Quoniam omnes recipiunt orationes, quæ conuenienter ſuis ipſorum moribus habentur, & ſimiles; non eſt incertum, quemadmodum cum aliqui vtantur orationibus, tales appareant etiam ipſi, & orationes. & capite decimooctauo; Quoniam vſus orationum, quæ ad perſuaſionem appoſitæ ſunt, refertur ad iudicium; de moribus vero Rerump. in deliberatiuis dictum eſt prius: idcirco explicatum

404

catum eſt, & quomodo, & per quæ orationes moratas efficiamus. Et lib. I. cap. 8. Quoniam fides fit non ſolum ea, quæ demonſtrat, oratione, ſed etiam morata, mores vniuſcuiuſque Reip. tenere nos oportebit. Vniuſcuiuſque enim mores in vnaquaque maxime idoneos eſſe ad faciendam fidem, neceſſe eſt. Hæc ille. Itaque ſatis aperte oſtendit, ſe hanc partem moratæ orationis tradidiſſe, vt ſcirent oratores ſe, atque orationem ſuam ad auditorum mores accommodare.

Tales autem mores quadrupliciter ſpectantur, aut ex affectibus, vt ira, lenitate, amore, odio, metu, fidentia, pudore, gratia, miſericordia, ſtomachatione, inuidia, æmulatione, de quibus ſupra hoc eodem libro dictum eſt: aut ex habitibus, vt virtutibus, & vitiis, iuſtitia, iniuſtitia, fortitudine, timiditate, temperantia, intemperantia, liberalitate, illiberalitate, magnanimitate, puſillanimitate, magnificentia, paruificentia, prudentia, imprudentia, de quibus lib. I. cap. 9. aut ex ætatibus, vt iuuentute, vigore, ſenectute: aut ex fortuna, vt nobilitate, ignobilitate, diuitiis, paupertate, potentia, impotentia, omninoq; proſpera, aduerſaque fortuna. Quoniam igitur duo priora morũ genera ſupra ſunt pertractata, ſequitur, vt de poſterioribus agatur. Quamobrem primum mores iuuenum, & ſenum commemorantur ferme inter ſe contrarij: virorum vero inter hos interiecti; quos omnes vt breuiter inter ſe conferamus, quem ordinem philoſophus tenuit in moribus iuuenum explicandis, vel nos retinebimus, ad eumque mores ſenum, & virorum accommodabimus.

Ac iuuenes quidẽ morib. ſunt cupidi, & parati ad ea efficienda, quæ cõcupiuerint; & ex cupiditatibus, quæ circa corpus verſantur, ſectatores maxime earũ, quę ſunt circa res Venereas; & ipſarum incontinentes; & in horas mutabiles; & faſtidioſi in cupiditatibus; & valde quidẽ concupiſcunt, celeriter vero ſedantur; acutæ enim voluntates eis ſunt, & non perdurantes; cuiuſmodi ſunt ægrotantium ſitis, & fames. Senum vero cupiditates partim defecerunt, partim debiles ſunt. Quare neque cupidi ſunt, neque effectores ex cupiditatibus, ſed ex lucro. Quocirca etiã temperati apparent tales: cupiditates enim remiſerunt; & ſeruiunt lucro. Viri congruenter ſe gerunt ad cupiditatem.

Iuuenes ſunt excandeſcentes,& acutę excandeſcentęs,& parati ad impetum ſequendum,& obnoxij iræ. Nam propter ſtudium honoris non patiuntur ſe paruifieri, ſed moleſte ferunt, ſi exiſtiment,ſe iniuria affici. Senes excandeſcunt quidem acute, ſed imbecilliter. Viri congruenter ſe habent ad excandeſcentiam.

Iuuenes ſtudioſi quidem honoris ſunt, ſed magis ſtudioſi victoriæ: excellentiam enim concupiſcit iuuentus; & victoria excellentia quædam eſt. Et hæc ambo magis eueniunt,quam vt ſint ſtudioſi pecuniarum. Minimum vero ſunt ſtudioſi pecuniarum, propterea quod nondum indigētiam experti ſunt, quemadmodum ſe habet Pittaci apophthegma in Amphiaraum. Senes ſunt ſtudioſi vitæ,& maxime in vltimo tempore: propterea quod cupiditas eſt rei abſentis;& cuius ſunt indigentes, id maxime cupiunt,Viri in his rebus mediocriter ſe gerūt.

Iuuenes ſunt non malorum morum, ſed bonorum, propterea quod nondum multa mala conſpexerunt. Senes ſunt malorum morum. Eſſe autem malorum morum ſignificat omnia in peius interpretari. Viri,quod moderatū eſt,ſequuntur.

Iuuenes ſunt creduli, quia nondum in multis decepti ſunt. Senes ſuſpicioſi ſunt, quia increduli, & increduli, quia periti. Viri neque omnibus credunt,neque omnibus non credunt.

Iuuenes ſunt bonæ ſpei; vt enim temulenti, ſic iuuenes calidi ſunt natura; ſimul vero etiam, quia nondum in multis opinione lapſi ſunt. & viuūt,vt plurimum ſpe. Nam ſpes futuri eſt: memoria vero præteriti; iuuenes autem futuri multum habent, præteriti vero parum. primo enim tempore ſe meminiſſe nihil arbitrantur, ſperare autem omnia. Senes ſunt timidi, & omnia prætimentes: contrario enim modo affecti ſunt, ac iuuenes: refrigerati enim ſunt:at illi calidi. Quare viam aperuit ſenectus timiditati. Nam timor refrigeratio quædam eſt. Et malæ ſpei ſunt,quia periti:nam vt plurimum res malæ ſunt. cadunt igitur plerunque in peius, & prætereà,quia timidi. Et memoria magis,quam ſpe vitam ducunt. Nam quod futurum eſt vitæ, exiguum eſt: præteritum vero multum. Eſt autem ſpes futuri: memoria vero præteritorum. id quod etiam ipſis cauſſa eſt loquacitatis: narrant enim præterita. nam recordantes

105

dantes voluptatem percipiunt. Viri neq; valde confidunt, neque nimis metuunt.

Iuuenes ſunt idonei, qui decipiantur, propter id, quod dictum eſt; ſperant enim facile. Senes non tam facile decipiuntur. Viri, quod conuenit, ſequuntur.

Iuuenes ſunt viriliores: iracũdi enim, & bonæ ſpei. quorum illud efficit, vt ne metuant: hoc vero, vt confidant. nemo enim, qui iraſcitur, metuit. Sperare autem aliquid boni afferendæ fidentiæ vim habet. Ac iuuenes quidem fortes ſunt, ſed intemperantes: Senes timidi, ſed tẽperantes. Viri fortes, & temperãtes.

Iuuenes ſunt verecundi; nondum enim honeſta alia arbitrantur; ſed eruditi ſunt a lege ſola. Senes ſunt inuerecundi magis, quam verecundi. nam quia non curant ſimiliter honeſtum & vtile, paruifaciunt, quid videatur. Viri nec verecundi, nec inuerecundi.

Iuuenes ſunt magnanimi: nondũ enim a vita depreſſi ſunt; ſed rerum neceſſariarum experientiam non habent. & exiſtimare ſe dignum magnis magnanimitas eſt. hoc autẽ eſt eius, qui bene ſperat. Senes ſunt puſillanimi, propterea quod depreſſi ſunt in vita: neque enim magni, neque eximij aliquid, ſed ea, quæ ad vitam pertinẽt, cupiunt. Et queruli magis, quam oportet: puſillanimitas enim quędam etiam hæc eſt. Viri magis magnanimi, quam puſillanimi.

Iuuenes magis eligunt agere honeſta, quam vtilia: moribus enim viuunt magis, quam ratiocinatione. eſt autem ratiocinatio eius, quod vtile eſt: virtus vero eius, quod honeſtum; Senes ſunt parum liberales: vnum enim eſt ex neceſſariis patrimonium; &, cum periti ſint, ſimul ſciunt, quam difficilis ſit acquiſitio, & facilis amiſſio. Et ad vtile viuunt, ſed non ad honeſtum magis, quam oportet, propterea quod ſui ipſorum amantes ſunt: vtile enim bonum eſt ipſi: honeſtum vero ſimpliciter. Et magis vitam ducunt ratiocinatione, quam moribus. Ratiocinatio enim eſt eius, quod vtile eſt: mores vero virtutis. Viri neque viuunt ad ſolum honeſtum, neq; ad ſolum vtile, neque ad parſimoniam, neque ad luxuriam.

Iuuenes ſunt ſtudioſi amicorum, & ſtudioſi ſodalium magis, quam aliæ ætates, propterea quod gaudent conuictu. Et ni-

hil iudicant ad vtilitatem. Quare ne amicos quidem. Senes non ſunt tam ſtudioſi amicorum. Viri mediocriter.

Iuuenes omnia in maius, & vehementius peccata faciunt contra dictum Chilonis illud, Ne quid nimis; omnia enim nimis agunt. nam amant nimis, & nimio odio habent, & alia omnia ſimiliter, quippe qui putant ſe ſcire omnia, eo aſſeuerant. hæc autem cauſſa eſt, cur omnia nimis. Senes autem, quoniã multorum annorum vitam duxerunt, & in pluribus decepti ſunt, & errarunt, & res ferme omnes prauæ ſunt; nihil affirmant, & longe minus agunt omnia, quam oportet. Et putant quidem: ſciunt autem nihil. Et controuerſantes adiungunt ſemper Forſan, & Fortaſſe; & omnia dicunt ſic; aſſeuerantes autem nihil. Et neque magno amore, neque magno odio proſequuntur, propter eandem cauſſam: ſed ſecundum præceptũ Biantis & amant tamquam odio habituri, & odio habent, tam quam amaturi. Viri omnia agunt mediocriter.

Iuuenes iniurias inferunt ad contumeliam, non ad malitiã. Senes iniurioſe ſe gerunt magis ad malitiam, quam ad contumeliam. Viri nec contumelioſi, nec malitioſi ſunt.

Iuuenes miſericordes ſunt, propterea quod exiſtimant omnes bonos, & meliores: ſua enim ipſorum innocentia ceteros metiuntur. Quare indigna ipſos pati exiſtimãt. Senes quoque ſunt miſericordes, ſed non eadem de cauſſa, ac iuuenes. illi enim, quia humani. hi vero, quia debiles: omnia enim exiſtimant ſibi proxima eſſe, quæ patiantur. hoc autem erat miſericordis. vnde queruli ſunt. Viri etiam ſunt miſericordes, quia id, quod conuenit, conſectantur.

Iuuenes ſunt ſtudioſi riſus. Quamobrem etiam faceti. Nã facetiæ ſunt erudita contumelia. Senes non ſunt faceti, nec ſtudioſi ridiculorum: contraria enim ſunt, querulum eſſe, & ſtudioſum riſus. Viri in riſu ſunt moderati.

Tres igitur tantum ætates facit Ariſtoteles, vt iuuenes appellentur vſque ad annos triginta: viri vigore corporis a trigeſimo anno vſque ad trigeſimumquinctum, vigore animi vſq; ad quadrageſimumnonum: ſeniores deinceps. a qua doctrina diſcedit amicus noſter, qui virilem ætatem ſimpliciter conſtituit a trigeſimo anno vſque ad quadrageſimumquinctum.

Quo-

406

Quoniam vero ab annis triginta, vſque ad triginta quinq; corpus humanum maxime viget, idcirco iubebat Plato, vt tunc vxor duceretur. Sic enim ſcriptum eſt lib. 4. de legibus; Simplicem legem primum dicamus, quæ ſic ſe forſan habebit; Vxorẽ quiſque a trigeſimo anno vſque ad trigeſimumquinctũ ducat: ſi non duxerit, pecunia mulctetur, atque dedecore. Et ſimplex quidem lex de nuptiis talis ſit. Duplex autem talis; Vxorem ducere quiſque debet ab anno trigeſimo ad trigeſimumquinctum, cogitans, quod natura quadam humanum genus quodammodo immortalitatem conſequitur. cuius rei quiſque natura ſummopere cupidus eſt. Nemo enim eſt, qui non deſideret perpetuum apud poſteros nomen habere. Genus itaque hominum immortale hoc modo in ſempiternum perdurat, quod filiorum filios relinquendo, vnum, & idem ſemper, per generationem, immortalitatem adipiſcatur. Nefas autem eſt immortalitate ſe ipſum ſponte priuare. Hac vero ex animo ille ſe priuat, qui filios, & vxorem negligit. Quicunque legi huic obtemperauerit, indemnis eſto. Qui vero non paruerit, & quinque, ac triginta annos natus vxorem non duxerit, ne ſolitariam vitam lucro ſibi, & voluptati fore cenſeat, tanta in annos ſingulos mulctetur pecunia, neque eorum particeps honorum ſit, quos iuniores quotidie in ciuitate ſenioribus exhibent. Fecit quoque Ser. Tullius Rex populi Rom. tres ætates, ſed paullo ſecus, cum pueros appellarit vſque ad annum decimumſeptimum; ac iuniores vſque ad annum ſextum, & quadrageſimum: ſeniores vero ſupra eum annum, vt ſcripſit Tubero in hiſtoriis.

Quod attinet ad fortunæ mores, nobiles dicuntur eſſe tum cupidiores honoris; omnes enim, cum aliquid ipſis adeſt, id accumulare ſoliti ſunt; nobilitas vero nihil aliud eſt, niſi dignitas quædam maiorum: tum procliues ad contemnendos eos, qui maioribus ipſorum ſimiles ſunt; propterea quod hæc remota, quam propinqua honoratiora ſunt, & ad gloriandum idonea. Vbi diſtinguitur id, quod nobile eſt, a generoſo, quod nobiles ſunt ex maiorum virtute: generoſi vero ex maiorum, & ſua. Generoſum enim eſt ſecundum id, vt non deficiat a natura. Quod plerunque nobilibus non contingit, immo multi

eorum ſunt haud magni pretij. Vt enim in agris, ſic quoque in familiis interdum fit degeneratio. Degenerant autem illæ quidem familiæ, quæ ingenio excellunt, in mores inſaniores; vt qui ab Alcibiade, & a Dionyſio ſuperiore orti ſunt. Quæ autem ſtabili, & firmo ingenio præditæ ſunt, in ignauiam, & ſtoliditatem, vt qui a Cimone, & Pericle, & Socrate. Iam ex hac Ariſtotelis doctrina qui non habet maiorum dignitatem, eſſe nobilis non poteſt, qualis erat Iphicrates. Qui non habet virtutem, eſſe nobilis poteſt, vt erat Catilina. Qui habet virtutem ſine maiorum dignitate, nec nobilis, nec ignobilis eſt, ſed principium nobilitatis, & nouus, cuiuſmodi fuit Cicero. Præterea qui non eſt nobilis, non poteſt eſſe generoſus. Qui eſt generoſus, eſt etiam nobilis. Qui non habet virtutem, non poteſt eſſe generoſus.

Diuites autem dicuntur eſſe primo loco contumelioſi: ſecundo contumaces, contrahentes labem aliquam a poſſeſſione diuitiarum; ita enim affecti ſunt, quaſi alia omnia bona poſſideant, quia diuitiæ ſunt tamquam precium quoddam, quo alia bona æſtimantur. Quare videntur omnia diuitiis eſſe venalia: tertio delicati ob mollitiam, & felicitatis oſtentationem: quarto arrogantes & elati, propterea quod omnes ſoliti ſunt verſari in eo, quod amatur, & ſuſpicitur ab ipſis; & quia exiſtimant alios æmulari, quæ etiam ipſi æmulantur; ſimul autem, & merito his moribus affecti ſunt, quod multi indigent habentium; vnde & illud a Simonide dictum eſt de ſapientibus, & diuitibus apud coniugem Hieronis, interrogantem, vtrum melius eueniret, vt quis eſſet diues, an ſapiens; Vt diues ſit, inquit; ſapientes enim dixit ſe videre, qui verſarentur in foribus diuitum; & quia exiſtimant ſe dignos eſſe, qui imperent; putant enim ſe habere ea, quorum cauſſa dignum eſt imperare; &, vt ſummatim dicatur, diuitiæ mores efficiunt inſipientes fortunati; quincto peiores, ſi ſint noui diuites; differunt enim mores in iis, qui nuper poſſederunt, & qui antiquitus; eo quod omnia magis, & mala peiora habent noui diuites; nam imperitia diuitiarum eſt, nouum diuitem eſſe: ſexto iniurioſi ad contumeliam, & ob incontinentiam, quales iniuriæ ſunt verbera, & adulterium.

Potentes

Potentes vero partim iiſdem moribus dicuntur eſſe prædi-ti,ac diuites, partim melioribus: & honoris auidiores: & viriliores, propterea quod ea appetunt opera, quæcunque licet ipſis agere propter potentiam: & magis dediti ſtudio,propterea quod in ſedulitate ſunt, dum coguntur conſiderare ea, quæ pertinent ad potentiam: & grandiores,quam grauiores; reddit enim eos clariores dignitas; Quamobrem moderate agũt; eſt autem granditas mollis, & elegans grauitas:& iniurioſi nõ in paruis, ſed in magnis.

Denique fortunati dicuntur eſſe, quales nobiles, diuites,& potentes: & meliori conditione in iis, quæ ad liberorum probitatem, & ad bona corporis pertinent: & ſuperbiores: & inconſideratiores propter fortunę proſperitatem:& deorum cultores,& ad rem diuinam bene ſe habentes, cum credant, propter ea bona, quæ ſibi a fortuna proueniunt.

Accommodanda eſt igitur oratio ad affectus;vt ad metum Cæſaris accommodatur pro Marcello in hunc modum; Nunc venio ad grauiſſimã querelam, & atrociſſimam ſuſpicionem tuam, quæ non tibi ipſi magis, quam cum omnibus ciuibus, tum maxime nobis,qui a te conſeruati ſumus,prouidenda eſt; quam etſi ſpero eſſe falſam, nunquam tamen verbis extenuabo: tua enim cautio noſtra eſt; vt, ſi in alterutro peccandum ſit,malim videri nimis timidus,quam parum prudens. & paullo poſt; Sed tamen, cum in animis hominum tantæ latebræ ſint, tanti receſſus, augeamus ſane ſuſpicionem tuam; ſimul enim augebimus diligentiam. Præterea debet accommodari ad habitus; quos reſpexit Cicero in partitionibus, cum tradidit,Hominum duo eſſe genera, alterum indoctum,& agreſte, quod anteferat ſemper vtilitatem honeſtati: alterum expolitum,quod rebus omnibus dignitatem anteponat.Itaque huic generi laudem,honorem,gloriam, fidem,iuſtitiam, omnemque virtutem: illi autem alteri quæſtum,emolumentum,fructumque proponi,atque etiam voluptatem. Et apud homines bene inſtitutos plurimum de laude,& de honeſtate dicendum, maximeque ea virtutum genera tractanda, quæ in communi hominum vtilitate tuenda,augendaq; verſantur: ſin apud indoctos, imperitosq; dicemus, emolumenta, voluptates, vita-

tioneſque dolorum præferendas. Requiritur quoque, vt accommodetur ad ætatem, vt ad iuuentutem, cui decus, & honor proponi debet: ad ſenectutem, cui quæſtus, & vtilitas: ad vigentem ætatem, cui honeſtum ſimul, & vtile. Poſtremo oportet orationem accommodari ad fortunam, vt ad nobilitatem, & diuitias Romanorum in 4. Philippica: ad potentiam Pompeij pro Milone: ad proſperam fortunam Cæſaris pro Marcello.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM, *cur de moribus ſit diſputatum, & de propoſitionibus communibus.*

AFfertur ratio, cur de moribus diſputatum ſit. Nam orationum vſus refertur ad iudicium, etiam vnius, in omni cauſſarum genere; ſiue oratio habeatur aduerſus controuerſantem in genere iudiciali: ſiue ad probandam aliquam propoſitam ſententiam in deliberatiuo: ſiue de laudibus in demonſtratiuo, vbi auditor eſt ſi non proprie diſceptator, at certe tamquam diſceptator (proprie enim dicitur diſceptator in iudiciali, & deliberatiuo) vt cum oratio referatur ad diſceptatorem, & in diſceptatore ſpectandi ſint mores, merito ipſi mores explicati ſint, ſcilicet mores Rerump. lib. 1. cap. 8. mores autem ceteri, huius libri ſuperioribus proximis capitibus.

Cum autem enthymemata ducantur partim a formis, quas eſſe propoſitiones proprias generum a finibus eorum ductas, lib. 1. cap 2. traditum eſt; partim a propoſitionib. cõmunibus; quæ cõmuniter omnibus cauſſarũ generib. accõmodata ſunt; partim a locis Topicis, qui ad quamlibet quæſtionẽ probabiliter pertractandam plurimũ valent: in priori libro de formis eſt diſputatũ; cui materiæ in ſecundo libro adiuncta eſt morũ, & affectuum pertractatio, tamquã ad ipſa cauſſarũ genera maxime pertinens. Sequitur, vt de propoſitionib. cõmunibus agatur: quarũ ſunt quattuor genera; vnum de eo, quod fieri, aut nõ fieri poteſt: alterum de futuro, aut non futuro: tertium de facto, aut non facto: quartum de magno, aut paruo.

His autem explicatis (inquit Ariſtoteles) conabimur dicere communiter tum de enthymematibus, tum de exemplis, vt,

cum

cum reliqua addiderimus, ad finem perducamus id, quod initio propoſitum eſt. Hinc colligit quidam amicus noſter, totã Rhetoricæ pertractationem poſitam eſſe abſolutam, & perfectam in propoſitionibus propriis, cõmunibus, exemplis, & enthymematibus. Intelligit enim philoſophum polliceri ſe, poſtquã explicauerit propoſitiones cõmunes, de enthymematibus, & exemplis eſſe diſputaturũ, quæ reliqua ſint in Rhetorica, vt cũ illa reliqua addita fuerint, totum negocium Rhetoricũ ſit abſolutum. Itaq; notat tertiũ librũ, qui eſt de elocutione, actione, diſpoſitione, eſſe prorſus ſegregatũ a corpore Rhetoricæ per Ariſtotelẽ formatæ, & inſtitutæ. Et ſcribit (quod mihi valde mirandũ eſt) putare ſe Diogenẽ Laertium, cũ Ariſtotelis opera de Rhetorica enumeraret, ei duos tantũ libros tribuiſſe, quippe qui tertiũ librum eſſe extra Rhetoricã, & a corpore eius omnino ſeparatum, ac ſeiunctũ iudicaret, magisq; idoneũ, qui cum Poetica cõiungeretur. Et alibi tradit, reſeruaſſe Ariſtotelẽ præcepta de elocutione, actione, diſpoſitione ad tertiũ librum, tamquã ab eſſentia Rhetoricæ diuerſum, & diſcrepantem, ac potius ad Poeticã, quam ad Rhetoricam adiungendum, quæ in ſua eſſentia nihil aliud habet, quam fidem, & probationem. O mirum inuentum, vt tertius Rhetoricæ, ſit potius Poeticus, quam Rhetoricus. ex quo præclaro inuento duo perficiuntur opera, alterum, cui vnus liber ſupereſt, alterũ, cui deeſt; & dempto tertio Rhetoricæ, ac facto ſecundo Poeticæ, remanẽt duo libri Rhetoricæ, & fiunt duo Poeticæ; qui numerus Diogenis Laertij enumerationi prorſus quadrat. Nos ad auctoritatẽ Laertij in principio explicationũ noſtrarum ſatis reſpõdimus. Et illud (pace amici ſit dictũ) valde abſurdũ exiſtimamus, vt is liber, in quo cũ duplex eſſe elocutio dicatur, vna Poetica, altera Rhetorica, de Rhetorica tantũ agendũ eſſe proponitur; in quo ſæpe citantur libri de Poetica, vel Poeſi, tamquã ab eo diuerſi, in quo oratoris oratio cõformatur cum omnibus partib. ſuis, procemio, propoſitione, fide, epilogo: ſit potius Poeticus quam Rhetoricus. Illamq; explicationẽ nullo modo admittendã eſſe arbitramur, vt, cũ dicat Ariſtoteles, τὰ λοιπὰ προσθέντες, iis, quę reliqua sũt, adiectis, p illa reliqua intelligat tantũ enthymemata, & exẽpla, reiecta elocutione, & diſpoſitione, de quibus pro-

poſuit ſe acturum, cum ante definitionem Rhetoricæ dixit, duo explicanda eſſe, tum quomodo, id eſt, qua elocutione, & qua diſpoſitione, tum ex quibus, id eſt, argumentationibus, moribus, & affectibus, perſuaſio confici queat; quasque initio lib. 3. enumerauit inter partes Rhetoricæ, cum ſcripſit tria de oratione exquirenda eſſe, fidem, elocutionem, diſpoſitionem. Verba autem Ariſtotelis intelligenda cenſemus altero de duobus modis; aut quemadmodum M. Antonius Maioragius, Alexander Piccolhomineus, aliique interpretantur, cum reliqua addita fuerint, id eſt, quæ reſtant de artificiis inuentionis, ad finem perductum iri id, quod propoſitum eſt, de ratione ſcilicet inuentionis. Reſtabant enim enthymematum, & exemplorum loci, quibus explicatis abſolutum erat illud negocium Rhetoricum, quod docet, ex quibus perſuaſio fiat. Aut, quemadmodum commode explicari poteſt, cum reliqua addita fuerint præter enthymemata, & exempla, & poſt pertractationem enthymematum, & exemplorum, adiuncta fuerint ea, quæ ad elocutionem pertinēt, & diſpoſitionem, totum negotium Rhetoricum abſolutum iri, quod comprehendit non ſolum, ex quibus, verum etiam quomodo perſuadere queamus.

Primum igitur explicandæ ſunt propoſitiones communes, quæ tametſi omnibus cauſſarum generibus communiter conueniunt, earum tamen quædam magis vni generi, quam aliis dicuntur conuenire, vt quæ ſunt de magno, aut paruo, generi demonſtratiuo: quæ de facto, aut non facto, generi iudiciali: quæ de eo, quod fieri, aut non fieri poteſt, & quæ de futuro, aut non futuro, generi deliberatiuo.

IN CAPVT DECIMVMNONVM, *de eo, quod fieri poteſt, de facto, de futuro, de magno.*

Numerantur ſexdecim propoſitiones eorum, quæ fieri poſſunt. 1. ſi vnum contrarium fieri poteſt, etiam alterum contrarium fieri poteſt; ſi vt homo cōualuerit, etiam vt ægrotauerit. 2. ſi ſimile, etiam ſimile, ſi vnus ciuis poteſt fieri prætor, etiam alter. 3. ſi difficilius, etiam facilius; ſi homo virtute

409

prædicus, vel pulcher, etiam ſimpliciter homo; ſi pulchra domus, etiam ſimpliciter domus: difficilius enim eſt domum pulchram, quam domum fieri. 4. ſi principium, etiam finis; ſi fundamentum etiam domus. nihil enim fit, neque incipit fieri eorum, quæ fieri nón poſſunt, quemadmodum vt diameter ſit ſymmeter, & habeat cómunem aliquam menſuram cum latere quadrati. 5. Si finis, etiam principium; ſi potuit fieri domus, etiam fundamentum. 6. Si poſterius, etiam prius, ſi vir, etiam puer. & econuerſo, ſi puer, etiam vir. 7. Quórum amor, vel cupiditas naturaliter eſt, ea fieri poſſunt. nemo enim amat ea, quæ fieri non poſſunt, nec cupit plerunque; vt ſcientiæ amor, & cupiditas eſt. 8. Quorū ſcientiæ ſunt, & artes, vt nauigandi ſcientia eſt, dicendi ars eſt. 9. Quórum principium vt oriantur in iis eſt, quæ nos coegerimus, aut in ſententiam noſtram adduxerimus. hæc vero ſunt, quibus meliores ſumus, vel domini, vel amici. cogere enim poſſumus nobis ſubiectos, ac ſeruientes, & in ſententiam noſtram adducere amicos. 10. Si partes, etiam totum; ſi obſtragulum, & ligula, & ſolea, etiam calceus. 11. Si totum, etiam partes; ſi calceus, etiam obſtragulum, & ligula, & ſolea. 12. Si genus, etiam formà; ſi nauis, etiam triremis. 13. Si forma, etiam genus; ſi triremis, etiam nauis. 14. Si vnum ex relatis, etiam alterum; ſi duplum, etiam dimidium; ſi dimidium, etiam duplum. 15. Si ſine arte, vel apparatione, multo magis per artem, & diligentiam. vnde & ab Agathone dictum eſt; Atqui alia quidem fortunæ facere, alia vero nobis neceſſe èſt, & ars àdhibetur. 16. Si a deterioribus, vel inferioribus, vel imprudentioribus, multo magis a contrariis; quemadmodum etiam Iſocrates dixit, Graue eſſe, ſi Euthymus didiciſſet, ipſe vero inuenire non potuiſſet.

Præterea propóſitiones eius, quod factum ſit, enumerantur nouem. 1. Si quod minus natura aptum eſt, vt fiat, factum eſt, etiam quod natura aptius eſt, factum fuerit; ſi amicis inſidias fecit, etiam inimicis. 2. Si poſterius ſolitum fieri factum eſt, etiam prius factum eſt; ſi obliuionem cepit, etiam aliquando didicit. 3. Si potuit, ac voluit, fecit. omnes enim, qui & poſſunt, & volunt, agunt: quia nihil obſtat. 4. Si voluit, & nihil extra prohibuit. 5. Si potuit, ac iratus fuit. 6. Si potuit, ac cócupiuit.

Plerunque enim quæ appetunt, ſi poſſint, etiam faciunt; mali quidem propter intemperantiam: boni vero quoniam ea, quæ æqua ſunt, concupiſcunt. 7. Si debuit fieri, & facere: veriſimile enim eſt, eum, qui facturus fuit, etiam feciſſe. 8. Si facta ſunt, quęcunque naturaliter fieri ſolent ante illud, aut propter illud; ſi fulſit, etiam tonuit; ſi conatus eſt, etiam fecit. 9. Si quæ poſtea fieri ſolent, aut id, cuius cauſſa fiant, factum eſt, etiam quod prius eſt, & quod eius cauſſa fieri ſolet, factum eſt; ſi tonuit, etiam fulſit; ſi fecit, etiam tentauit. Ex his autem omnibus ait Ariſtoteles alia ex neceſſitate eſſe: alia vero plerunque ita ſe habentia.

Tertio loco enumerātur quattuor propoſitiones eius, quod futurum eſt. 1. quod eſt in poteſtate, & voluntate, erit. 2. quod cupiditas, quod ira, quod ratio ſuadet, ſi adſit poteſtas, erit. Propterea ſi in procinctu eſt, vt fiat, vel futurū ſit, erit. Etenim plerunque fiunt magis, quæ futura erant, quam non futura. 3. Si ante facta ſunt, quæcunque, vt prius fiant, naturā habēt; quemadmodum ſi nubilatum eſt, veriſimile eſt pluiturum. 4. ſi quod eſt huius cauſſa factum eſt, etiam hoc veriſimile eſt factum iri; vt, ſi fundamentum, domus.

Poſtremo dicitur, propoſitionum de magno, & paruo petendam eſſe cognitionem ex iis, quæ ſuperius tradita ſunt. Nā lib. 1. cap. 7. diſputatum eſt de maiori, & minori bono, vnde ſumi poſſunt amplificationes de vtili, honeſto, iuſto, quæ bona ſunt. Sed & modi amplificandi eiuſdem libri cap. 9. prope finem explicati ſunt. Et maiores, ac minores iniuriæ cap. 14. declaratæ ſunt. Quærere enim aliquid præter hæc de magnitudine ſimpliciter, & excellentia, inanis, inquit philoſophus, eſt diſputatio: quia aptiores ſunt ad vſum res ſingulares, quam vniuerſales.

IN CAPVT VIGESIMVM, *de exemplis.*

DIcit Ariſtoteles, reliquum eſſe communem omnibus fidem exponere, quoniam dictū eſt de propria. Ac fidem propriam intelligit, non ſolum propoſitiones proprias ſingulorum generum, quæ lib. 1. ſunt explicatæ: verum etiā morum conciliationem, & affectuum concitationem, ſimulq; propo-

ſtiones illas, quas in ſuperioribus capitibus enumerauit; quæ tametſi appellatæ ſunt cõmunes, quia omnibus generib. cauſſarum conuenire videantur: tamen earum quædam ſunt magis propriæ vnius generis, quam aliorum, vt ſupra cap. 18. ſcriptum eſt ad hunc modum; Eſt autem ex communibus amplificare aptiſſimum demonſtratiuis. Factum vero iudicialibus. At id, quod fieri poteſt, & futurum, deliberatiuis. Quæ cauſſa eſt, cur hoc in loco ad fidem propriã referantur. Idem dicẽdum eſt de moribus, qui cõmuniter quidem omnibus cauſſarum generibus conueniunt, ſed magis deliberatiuo, quam iudiciali tribuuntur. Idem de affectibus, qui cõmunes quoq; ſunt omnib. cauſſis, ſed magis congruunt iudicialibus, quã deliberatiuis. ſic enim legitur in primo capite huius libri: Ac cuiuſdã quidẽ modi apparere oratorẽ, vtilius in conſiliis eſt: affectũ vero eſſe aliquo modo auditorẽ, in iudiciis. Hinc fit, vt ipſi quoq; mores, & affectus in partibus fidei propriç hoc loco ponantur. Sequitur, vt de fide cõmuni agatur, quæ ad quamlibet rem probandã, & quæſtionem pertractandã æque ſe habet, cuius duæ ſunt partes, enthymema, & exemplum: neq; enim ſentẽtia tamquam tertia additur fides, quia ſub enthymemate continetur.

Primum autẽ de exemplo dicendũ eſt. Nam exemplũ eſt ſimile inductioni, quod ex ſingulari probet aliquid, etiãſi illud ſit differentiæ, quod exemplũ nõ ex omnibus ſingularib. probat, at inductio ex omnibus; & illud ſingulare cõcludit, hæc vniuerſale, vt in librũ primum a nobis eſt explicatũ. Ac exemplũ duplex eſt; vnũ rei factæ, vt ſi probetur ex facto Darij, & Xerxis, non permittendũ, vt Rex Aegyptum in poteſtatẽ redigat, ſed aduerſus eum bellũ apparandum: alterum rei fictæ, cuius duæ ſunt ſpecies, Parabola, quæ eſt exemplũ fictum ex veriſimilitudine, vt ſi quis dicat ſimile eſſe magiſtratus ſorte creare, ac athletas, & nautas: & Logus, qui eſt exemplum fictum præter veriſimilitudinem, qualis fuit Logus Steſichori aduerſus Phalarin apud Himerenſes, de equo, qui ſeruiuit homini, vt ceruum vlciſceretur; & qualis Aeſopi pro duce populati in Samo de vulpe a caninis muſcis conflictata, & non paſſa, vt erinaceus illas muſcas abigeret. De vſu autem exemplorum nouem traduntur. Primo loco logos eſſe

concionibus accõmodatos. Secundo logos illam habere commoditatem, quod exempla rerum factarum nõ tam facile inueniuntur, quam logi, qui pro arbitrio finguntur. Tertio, cum logi paratu faciliores ſint, exempla tamen rerũ factarum deliberationibus vtiliora eſſe, quia futura præteritis plerunq; ſimiliora ſint. Quarto qui non habet enthymemata, ei exempla adhibenda eſſe pro rationibus: quia per hæc fides fit. Quincto qui habet enthymemata, ei ſubiicieda eſſe exempla tamquam teſtimonia. Sexto, Exempla poſita ante enthymemata inductioni ſimilia eſſe, quæ oratoriis non eſt accommodata, niſi in paucis. Septimo exempla ſubiecta enthymematibus ſimilia eſſe teſtimoniis, ac teſtem vbiq; idoneum eſſe, vt C. Gracchus erat ſeditioſus. ergo interficiendus, quemadmodum etiam Ti. Gracchus. Octauo, qui præponit exempla enthymematibus, ei multa cõmemoranda eſſe. Nono, qui ſubiicit exempla enthymematibus, ei ſatis eſſe vnũ cõmemorare, propterea quod teſtis idoneus etiam vnus proficiat. Multa autem de exemplo in librum primum ſcripſimus, quæ inde ſunt petenda.

IN CAPVT VIGESIMVMPRIMVM, *de ſententiis.*

QVoniam ſententia interdum eſt pars enthymematis, interdum enthymematica, idcirco de ea tamquam ad enthymema pertinente eſt peragendum. Ac quattuor quidẽ traduntur: primũ, quid ſit ſententia: deinde, quot ſint ſpecies eius: præterea, quomodo ipſis vtendum ſit: poſtremo, quæ ipſarum vtilitas.

Alia autem eſt ſententia, quę in Poetica appellatur διάνοια: alia, quæ hoc in loco γνώμη. Illa eſt enunciatio mentis vel in vniuerſum, vel ſecundum partem, cum vel argumentamur, vel amplificamus, & diminuimus, vel animos ad affectus impellimus: hæc eſt enunciatio non de ſingularibus, quemadmodum qualis Iphicrates fuit; ſed de vniuerſalibus; nec de vniuerſalibus omnibus, vt rectum curuo contrarium eſſe, ſed de illis vniuerſalibus, ſed de illis, quorum actiones ſunt, & ea, quæ eligimus, aut fugimus ad agendum. De quo duplici ſentẽtiarum genere plura ſcripſimus in Poeticam. Quoniam vero enthymema

411

mema de rebus agendis ferme eſt ſyllogiſmus, concluſiones enthymematum,& principia ablato ſyllogiſmo ſentẽtiæ ſunt; vt apud Euripidem in Medea, Quiſquis ſapit,gnatos ita inſtituat ſuos, Sapientiores vulgo haberi ne velit. Hæc ſentẽtia eſt, Addita vero cauſſa,cur ita ſit,totum erit enthymema: vt,Nam præter eam,quam contrahunt ignauiam,Inuidiam, & odium a ciuibus ferunt ſuis. Et apud eundem in Hecuba; Nullus beatus vndique eſt mortalium.Et,Nemo omnium eſt,quem liberum merito voces.Sententia eſt.cum eo autem,quod ſequitur, enthymema eſt; Fortunæ enim aut eſt ſeruus,aut pecuniæ.

Quattuor ſunt ſpecies ſententiæ. Aut enim ſunt cum epilogo,quippe quæ probationis indigeant, cum præter opinionẽ aliquid dicant, aut controuerſum: aut ſunt ſine epilogo, quæ nihil continent præter opinionem. Ac quæ ſunt ſine epilogo, earum duæ ſpecies ſunt. Aliæ enim præcognitæ ſunt, & idcirco epilogo non indigentes, vt Viro autem bene valere, optimum eſt,vt nobis quidem videtur:aliæ,dum proferuntur,perſpicuæ ſunt illis,qui diligenter intuiti fuerint, vt Non eſt amator, quiſquis ſemper non amat. Quæ vero ſunt cum epilogo, earum quoque duæ ſpecies ſunt;quædam partes enthymematis,vt Quiſquis ſapit,& quæ ſequuntur: quædam enthymematicæ,in quibus elucet cauſſa eius,quod dicitur,vt Ne ſerua immortalem iram qui mortalis es. Et,Mortalem mortalia oportet ſapere, haud immortalia.

De vſu ſententiarum ſeptem traduntur. primo loco ſi ſententiæ ſint controuerſæ,aut præter opinionem,eas non ſine epilogo eſſe proferendas; & quidem epilogo aut præpoſito, vt Ego,quoniam neque inuidiam colligere, neque ignauum eſſe oportet,aio abſtinendum eſſe a ſtudiis ſapientiæ: aut poſtpoſito,vt Ego aio abſtinendum eſſe a ſtudiis ſapientiæ, quoniam neque inuidiam colligere,neque ignauum eſſe oportet.Secundo loco, ſi non ſint quidem præter opinionem, ſed obſcuræ, ſubiiciendum eſſe epilogum: & conuenire quoque huic loco apophthegmata Laconica, & ea, quæ ænigmatum ſpeciẽ habent,vt quod Steſichorus dixit in Locrenſes; Non oportet contumelioſos eſſe, ne cicadæ humi canant, id eſt, ne ſequatur rerum vaſtitas. Tertio,grandioribus natu conuenire quid ẽ ſen-

tentias dicere,ſed de iis rebus,quarum periti ſunt.Nam qui talis non eſt,cum ſententias fundere indecorum eſt,vt etiam fabulas narrare. & ſtulti, atque imperiti eſt de iis rebus ſententiam proferre, quarum imperitus ſit, qui profert. cui rei ſatis argumento eſt, quod ruſtici maxime omnium ſententias cudunt, & facile pronunciant. Quarto de re non vniuerſali vniuerſe dicere in conqueſtione, atque indignatione maxime conuenire; idque aut in principio, aut poſt rem demonſtratam. paullo infra ſcriptum eſt, gaudere auditores, cum vniuerſe dicitur id, quod in parte ipſi exiſtimant. Quincto peruulgatas quoque, & communes ſententias vſurpandas eſſe, ſi vtiles ſint. Nam quia communes ſunt, rectæ etiam,ac veræ videntur,quaſi conſenſu omnium comprobatæ. Vt ſi quis hortetur ad ſubeundum prœlij periculum eos, qui litare non potuerunt, ei vtilis eſt illa ſententia quæ legitur apud Homerum lib. 12. Iliadis; Vnum augurium optimũ defendere patriam. Et ſi quis hortetur eos, qui inferiores ſunt, illa, quæ legitur lib. 17. Mars belli communis. Et, ſi quis hortetur ad interficiendos inimicorum liberos, etiam ſi nullam iniuriam faciant, illa, qua vſum eſſe Staſinum poetam Clemens Alexandrinus in 5. ſtromate teſtatur, Stultus qui natos occiſo patre relinquit. Prouerbia etiam quædam ſententias eſſe,vt illud, Atticus vicinus, id eſt, moleſtus, & odioſus, quales fuerunt Attici, qui Samios vicinos ſuos expulerunt. Sexto ſententias aduerſus ea, quæ in ore vulgi verſantur,interdum eſſe proferendas;quemadmodum illud in ore vulgi verſatur, Noſce te ipſum. Et illud, Ne quid nimis. Contra quæ ſententia eſt proferenda, aut cum exprimitur affectus, vt ſi quis iratus dicat, Falſum eſt, debere vnumquenque ſe noſſe; certe enim hic, ſi ſe ipſum nouiſſet, nunquam ſe dignum eſſe duxiſſet, qui ductaret exercitum: aut cum mores indicantur meliores, vt Non oportet, vt vulgo dicitur, amare, tamquam oſurus ſis: ſed potius odiſſe, tamquam amaturus ſis. Poſtremo in proferenda ſententia, quæ ſit aduerſus ea, quæ publice probata ſunt, aut ſubiiciendam eſſe cauſſam, vt Oportet amare, non, vt vulgo dicunt, ſed vt ſi ſemper amaturus ſis; alterum enim inſidiatoris eſt: aut prælectionem aperiendam eſſe, vt Non placet mihi, quod

vulgo dicitur; veri enim amici eſt, ita amare, vt ſemper amaturum. Ac ne illud quidem, Ne quid nimis: improbos enim immodice odiſſe oportet.

Duæ vero ſunt ſententiarum vtilitates. Altera, quod illæ vanitati auditorum accommodantur: gaudent enim, ſi quis vniuerſe loquens incidat in opiniones, quas illi habent in parte; quemadmodum ſi quis vicinis vteretur, aut filiis improbis, probaret eum, qui diceret, Nihil vicinitate moleſtius, aut Nihil dementius filiorum procreatione. Altera, quod moratas reddunt orationes. Nam ſi bonę ſint ſententiæ, etiam faciunt, vt qui eas dicit, bonis moribus præditus appareat.

IN CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM, *de modis quærendorum enthymematum, & de locis.*

Περὶ δὲ ἐνθυμημάτων, καθόλου τε εἴπωμεν. De enthymematibus vero in vniuerſum dicamus. Muretus; De enthymematis autem dicamus aliquid vniuerſe. Poteſt dici non ſolum enthymema enthymematis, verum etiam veteri exemplo enthymematum enthymemati, & enthymema enthymemæ; ſcribente Priſciano; Huiuſmodi nomina Græca veteres protulerunt etiam in ſecunda declinatione emblematum, teurematum. Quandoque ſecundum primam facientes fœminina, vt Plautus; Cum ſeruili ſchema. Pomponius; Diadema dedit, Liberius; Pythagoream dogmam doctus. Quibus igitur placet, vt di[illegible]ur enthymematum enthymemati, vel enthymema enthym[illegible]æ, illi poſſunt etiã dicere, De enthymematis. Nos vero, qui i[illegible] conuerſione noſtra ſemper diximus enthymema enthymematis, a cõmuni conſuetudine non recedentes aliter dicere non debemus, quã De enthymematibus. Duo autẽ proponuntur cognoſcẽda, Modi quęrendorũ enthymematũ, & loci eorũ. Nam ſatis cõſtat ex lib. primo, enthymema eſſe ſyllogiſmum quendã, & ſyllogiſmũ oratorium, atq; imperfectũ, & differentẽ a Dialectico ſyllogiſmo, quia enthymemati deeſt altera vtra propoſitio: dialectico autem ſyllogiſmo nihil deeſt, quod ad perfectam argumentandi formam pertinere videatur. Ac modi quidẽ parandorum enthymematũ traduntur quattuor.

Primus modus eſt, vt nec longe, nec omnia aſſumantur. illud enim obſcurum eſt propter longitudinem: hoc vero nugatorium, propterea quod manifeſta dicuntur. Obiter autem exponitur cauſſa, cur magis idonei ſint ad perſuadendum ineruditi, quam eruditi inter vulgares, quemadmodum Euripides dixit in Hippolyto; Ineruditos apud turbam concinnius dicere. Eruditi enim communia quædam, & vniuerſa dicunt, quæ non facile cadunt ſub intelligentiam multitudinis. Ineruditi vero ex iis, quæ ſciunt, & quæ propinqua ſunt, argumentantur.

Secundus modus eſt, vt ducantur enthymemata non ex omnibus, quæ probabilia ſunt, ſed ex definitis quibuſdam, quæ probantur aut iis, qui iudicant, aut iis, in quorum ipſi iudicio acquieſcunt, & quæ conſtat probari aut ipſis omnibus, aut plurimis. Vnde manifeſto apparet non omne probabile conuenire oratori, ſed illud tantum, quod probatur omnibus, aut plurimis; quodq; nihil aliud eſt, niſi illud, quod dicitur perſuaſibile, & definitur probabile confeſſum, ſcilicet quod omnes, aut plurimi cōfitentur. Qua de re in librũ primũ plura ſcripſimus.

Tertius modus eſt, vt colligãtur enthymemata non ſolum ex neceſſariis, ſed etiam ex iis, quæ plerunque ita ſe habent. pauca enim eſſe neceſſaria, ex quibus oratorij exiſtunt ſyllogiſmi, multa vero, quæ plerunque ſe habent; & pauca tecmeria, multa vero veriſimilia, & nonnulla etiam ſigna innominata, traditum eſt libro primo.

Quartus modus eſt, vt de quacunque re dicendum ſit, teneantur, quæ in ea re inſunt, aut omnia, aut pleraque. ſi enim nihil teneas, nihil erit, vnde poſſis argumenta ducere. Id probatur in genere deliberatiuo, in demonſtratiuo, in iudiciali, in omnibus ſimul generibus, in quæſtione infinita, in omni materia, in perſona Achillis.

Nã in genere deliberatiuo tenẽda ſunt vtilia, & inutilia, exẽpli gratia ſi conſilium dandũ ſit Athenienſibus, vtrum bellũ gerere, an non gerere debeant, nota eſſe oportet vtilia quattuor; primũ quæ potentia ipſorum ſit, vtrum naualis, an pedeſtris, an vtraque, & quanta ſit: deinde qui reditus ſint: præterea qui amici, aut inimici: poſtremo quæ bella geſſerint, & quómodo; & alia eiuſdem generis.

In ge-

In genere demonſtratiuo tenenda ſunt honeſta, quæ laudari, & turpia, quæ vituperari poſſint. Vt ſi laudandi ſint Athenienſes, cognoſcendum eſt prœlium nauale ad Salaminem contra Xerxem Perſarum Regem, duce Themiſtocle, cōmiſſum. Et pugna in Marathone contra Darium Perſarum Regem, duce Miltiade. & ea, quæ geſſerunt pro Heraclidis, expulſis a Lacedæmoniis, & adiutis ab ipſis Athenienſibus. & alia eiuſmodi. Nam ex inſitis, aut ex iis, quæ videntur ineſſe, honeſtis laudant omnes. Si vituperandi ſint, ſciendū eſt, quemadmodum Græcos oppreſſerint ſeruitute, & quemadmodum Æginetas ex ipſorum vrbibus expulerint, eorumque iuuentuti pollices præciderint, ac Potidæatis ſingulis ſingula tātum veſtimenta reliquerint, quamuis ipſi Aeginetæ, & Potidæatæ vna cum eis bellum geſſiſſent aduerſus barbarum. Eiuſdemque generis alia.

In genere iudiciali tenenda ſunt iuſta, & iniuſta. Nam & accuſantes, & defendentes, dum ex inſitis conſiderationem habent, accuſant, & defendunt; quemadmodum ſi accuſati fuiſſent Athenienſes apud Amphictyonas de Aeginetis, & Potidæatis male tractatis.

In omnibus generibus tenenda ſunt inſita. Nec intereſt, vtrum agatur de Athenienſibus, an de Lacedæmoniis, vtrum de homine, an de deo. Exempli gratia conſilium danti Achilli, & laudanti, aut vituperanti eum, & accuſanti, aut defendenti, aſſumenda ſunt ea, quæ in Achille inſunt, aut videntur ineſſe; vt conſulentes dicamus, ſi quid inſit vtilis, aut perncioſi, cum vtile ei eſſet, non militare, quod prædictū fuiſſet, ſi ad bellum proficiſceretur, non poſſe eum mortem effugere in eo bello: laudantes, aut vituperantes, ſi quid honeſti inſit, aut inhoneſti, cum honeſtū ei eſſet militare, maxime vt vlciſceretur mortem Patrocli amici ſui ab Hectore interfecti: accuſantes, aut defendentes, ſi quid iuſti inſit, aut iniuſti, cum iniuſtum eſſet, ipſum non militare pro patria.

In quæſtione infinita tenenda ſunt, quæ inſunt in eo, de quo quæritur, & in eo, quod quæritur: exempli gratia in hac quæſtione, Vtrum iuſtitia ſit bonū, an non bonum, id, de quo quæritur, eſt iuſtitia: id, quod quæritur, eſt an ſit bonum, necne?

Cognoſcendum eſt igitur, quid inſit in iuſtitia, & quæ ſit natura eius, ac quid in bono, & quæ natura boni. Notum eſt autem quæſtionem appellari infinitam, cum id, de quo quæritur, eſt vniuerſale, vt an philoſophus debeat adminiſtrare Remp. definitam vero, cum eſt ſingulare, vt an Pompeius bello Mithridatico ſit præficiendus.

In omni materia tenenda eſſe ea, quæ inſunt, probatur experientia, & ratione. Docet enim experientia, omnes in hunc modum demonſtrare, ſiue accuratius, ſiue negligentius ſyllogiſmo concludant, nec ex omnibus aſſumere, ſed ex iis, quæ in vnaquaque re inſunt. Ratio vero ſuadet, vt id fiat, quia conſtat fieri non poſſe alio modo, vt demonſtretur. Itaque apparet, neceſſe eſſe, vt in Topicis, habere ſelecta, de iis, quæ vſu venire poſſunt, maximeq; opportuna ſunt: de iis autem, quæ repente eueniunt, eodem modo quærere, ſpectantē non indefinita, ſed inſita, & comprehendentem plurima, ac rei proxima. Nam quo plura habeãtur inſitorũ, eo facilius erit argumẽtari. Quo vero propiora, eo magis propria erũt, minusq; cõmunia.

In perſona Achillis, ſi is ſit laudandus, ſpectanda ſunt magis propria, quam communia. Vt communia fuerunt, quod eſſet homo: quod vnus e ſemideis: quod ad Ilium militaſſet. Quæ & aliis multis inerant. Itaq; huiuſmodi rebus nihilo magis Achilles, quam Diomedes laudari poteſt. Propria fuerunt, quæ nulli alij, quam Achilli contigere, vt quod fortiſſimũm Troianorũ Hectorem interfeciſſet: quod Cycnum necaſſet, qui omnes e nauibus exire prohibebat, cum vulnerari nequiret; clypeo e enim, & genibus interfecit, vt ait Ouidius lib. 12. Metamorphoſium: quod omnium natu minimus in eam expeditionem profectus eſſet: quod iniuratus. Tyndarus enim ſorti propoſuerat Helenam filiam ſuam inter procos, iureiurando adactos, vt matrimoniũ eius eſſẽt defenſuri; ita vt, cũ ea obtigiſſet Menelao, & rapta fuiſſet a Paride, propter ſuſceptum iuramentum illi deberent pugnare in eo bello, quod gerebatur propter raptum Helenæ. cũ Achilles nullo iuramento teneretur, quippe qui non iuraſſet, quia iunior eſſet.

Εἷς μὲν οὖν τόπος τῆς ἐκλογῆς, καὶ πρῶτος οὗτος ὁ τοπικός. Ac vnus quidem locus ſelectionis eſt, & primus iſte Topicus. Sic obſeruauit legendum Victorius ex manuſcriptis libris. At Mu

retus

retus legit, *εἷς μὲν οὖν τρόπος τῆς ἐκλογῆς, καὶ πρῶτος οὗτος*. & delet vocem *ὁ τοπικὸς*, vertens ſic; Vnus igitur, & primus hic ſeligendi modus eſt.

Danda igitur in primis opera eſt, vt quæcunque ſunt pertractandæ quæſtiones, penitus, diligenterq; cognoſcantur. quod ſcriptũ quoq; reliquit Cicero lib. 2. de orat. appellans hoc præceptũ non tã acutum, quam neceſſariũ. Nam, quemadmodum qui rẽ non nouerunt, non poſſunt non turpiſſime de ea dicere: ſic, qui nouerunt, eis verba, & argumẽta vltro occurrunt, atq; in buccã fluunt, vt eſſe vere eloquentes exiſtimẽtur. Id quod ſignificauit Socrates, cũ diceret, omnes in eo, quod ſcirent, ſatis eſſe eloquentes, magis fortaſſe oratores cohortans ad notitiã quæſtionis, quam ab eloquentia dehortans. Si quis enim hoc præceptum nõ ſeruauerit, ei minime proderit, Rhetorũ libros peruolutaſſe, atque in dicendo diutius ſe exercuiſſe: ſed vel infans, vel parum diſertus exiſtimabitur; vt, ne ſi vim quidẽ Demoſthenis, aut Ciceronis habeat, excellere in laude eloquentiæ queat, niſi ea, quæ in re inſunt, &, quæ ſunt rei propria, teneat. Itaque ea in primis ſunt etiam, atque etiam indaganda.

Obiter autem cogitandũ eſt, an Cicero in illis errauerit, quę in cauſſa Archiæ inerant, dum dixit, cũ data eſſet ciuitas Rom. Syluani lege populis fœderatis, & ſic quoque Heraclienſibus, quorum ciuitate donatus fuerat Archias, tabulas Heraclienſiũ publicas, quibus ille aſſcriptus erat, Italico bello interiiſſe omnes, incenſo tabulario, vt apparere ex illis tabulis non poſſet, ciuem Heracleæ fuiſſe Archiam. Nam data eſt ciuitas Syluani lege anno Vrbis 664. quo anno bellum Italicũ eſt cõfectum; & combuſtæ ſunt tabulæ Heraclienſium, in quibus fuiſſe aſſcriptus Archias non videtur, ſi factus eſt ciuis Heraclienſis, vt dixit ipſe Cicero, cũ Lucullus ex Cilicia decederet, poſt negociũ Mithridaticũ an. 686. qui fuit vigeſimus ſecundus, poſtquã bellum Italicũ geſtũ eſt, & tabulæ cõbuſtæ ſunt. Quomodo igitur potuit cõtendere Cicero, in illis tabulis cõbuſtis aſſcriptũ fuiſſe Archiam, ſi duobus, & viginti ante annis illæ combuſtæ ſunt, quã Archias factus eſſe ciuis Heracleæ dicatur? Dicendumne eſt, hoc fuiſſe Ciceronis *μνημονικὸν ἁμάρτημα*, quale illud quoque fuit, de quo ipſe ſcripſit ad Attic. libri decimitertij epiſtola quadrageſimatertia; & illud, de quo libri decimiſexti

epiſtola quincta, an Archiam fuiſſe in Cilicia cum Lucullo,nō occaſione belli Mithridatici, ſed aliqua alia, tunc cum factus eſt ciuis Heracleæ, ſcilicet ante bellum Italicum, & tabularij combuſtionem? Hoc diligentius eſt conſiderandum.

Quemadmodum autem cauere oratores debent, ne in iis, quæ inſunt,errent,ſic eorum quoque explicatores.In quo præcepto ſeruando cogitandum ſimul eſt, an deſiderari debeat Paulli Manutij, alioqui viri doctiſſimi, ac diſertiſſimi diligentia, tunc, cum ſcribit in orationem pro P. Sextio, accuſatum fuiſſe P. Sextium, eo nomine, quod Lentulo, & Metello cos. VIII. Kal. Febr. cum de reuocando Cicerone ageretur, inter eos, qui Ciceroni fauebant, & Clodianos, magna pugna armatis vtrinque hominibus commiſſa eſſet. Quod tamen quā verum ſit, ex illis ipſius orationis verbis cognoſci poteſt; Nihilque neque ante hoc tempus, neque hoc ipſo turbulentiſſimo die criminationis eſſe in Sextium. & ex illis; Quietus eo die Sextius, is, qui eſt de vi reus. & ex illis; Hic iam de ipſo accuſatore quæro, qui P. Sextium queritur, cum multitudine in Tribunatu, & cum præſidio magno fuiſſe, num illo die fuerit? Certe non fuit. Ergo ſi nihil criminationis fuit in Sextium de eo die; & Sextius ſine controuerſia eo die quietus fuit; nec dixit accuſator eo die Sextium cum multitudine, & cum præſidio fuiſſe; neſcio, quomodo affirmari poſſit, eo nomine factam eſſe accuſationem. Cur igitur eſt accuſatus? quia, cum ex eo tempore, quo Clodiani impetum fecerunt in Q. Fabricium Tribunum pl. & M. Ceſpium vi depulerunt, multosq; in foro interfecerunt, eo ipſo die; quo in templo Caſtoris obnunciauit conſuli Metello legem quandam ferenti, inermis, atque imparatus a manu Clodiana multa vulnera cepiſſet, ne vim iterum eandem pateretur, neceſſario ſe præſidio muniuerat. Poſtulatus eſt autem lege Lutatia de vi a M. Tullio Albinouano apud M. Aemilium Scaurum Prætorem, ac defenſus a Q. Hortenſio, & M. Tullio Cicerone ita, vt omnibus ſententiis ſit abſolutus. Quod conſtat ex epiſt.4.lib.2.ad Q. Fr. Addit Manutius, pro certo dici non poſſe, quo crimine condemnatus Sextius exulauerit; putare tamen ſe, quod a Pompeio aduerſus Cæſarem ſtetiſſet. At patet eum a multis iudicibus fuiſſe condemnatum

demnatum ex epiſt.17.lib.5.Fam. vbi legitur, Iniquitatem totius iudicij, multaque alia Reip. vitia plus, quã cauſſam ipſam, veritatemque valuiſſe. Pompeianos autem in exilium iuiſſe magis vnius Cæſaris voluntate, excluſos, quam multorum iudicum ſententia condemnatos. Præterquam quod nuſquam extat, Sextium eo crimine accuſatum, quemadmodũ notum eſt, de ambitu poſtulatum, ad Q. Fr. vt nobis probabilior videatur illorum coniectura, qui putant exulaſſe Sextiũ de ambitu condemnatum, quam Manutij, qui quod a Pompeio aduerſus Cæſarem ſteterit. Nunc ad Ariſtotelem reuertamur.

Appellat locum enthymematis, & elementum idem. Ac loci quidem primum dicuntur axiomata per ſe nota, & illuſtria, quæ Boethus lib. 2. de differentiis Topicis nominat primas, & maximas propoſitiones, propterea quod fidem aliis omnibus faciant, ipſa aliunde non accipiant. Deinde παραγγέλματα. Ea ſunt, vt Alexander tradit in librum primum Topicorum, veluti admonitiones quædam latius patentes, quam axiomata, & ſimpliciores, ex quibus illa reperiuntur; & a Boetho vocantur differentiæ primarum, & maximarũ propoſitionum, eo quod axiomata quaſi innumera his capitibus diſtinguantur. Theophraſtus igitur, aliique complures Peripatetici, vt ex Alexãdro cognoſci poteſt, axiomata ipſa ſimpliciter, & abſolute vocabant locos: cetera, vnde illa oriuntur, παραγγέλματα, & admonitiones, vel τόπους παραγγελματικούς, id eſt, locos præcipientes, & admonentes; atque hanc Ariſtotelis fuiſſe de locis argumentorum ſententiam exiſtimarunt. Alij nominarunt locos genera vniuerſa, & ſumma capita, quibus axiomata continentur; & hanc dixerunt fuiſſe Ciceronis opinionem.

Sunt enthymematum duæ ſpecies. Nam alia valent ad demonſtrandum rem eſſe, aut non eſſe: alia valent ad refutandũ. Victorius ita explicat; Cum enthymemata quædam probare dicat, ὅτι ἔστιν, ἢ οὐκ ἔστιν, manifeſto ſignificauit eſſe huius generis, quæ affirment aliquid, aut etiam quæ negent. Cum contra, quæ vim redarguendi habent, & ἐλεγκτικὰ appellantur, ſemper negando concludant. Alij putant Victorium errare, tradẽtem enthymema valens ad refutandum ſemper negare. Quod nec ab Ariſt. expreſſum eſt, nec veritati conſonum eſt, cum etiam

refutatio affirmet, vt pro Milone, Licere homini hominẽ aliqua de cauſſa interficere. Niſi negare intelligamus, quicquid contra aduerſariorum intentionem affertur, etiamſi affirmet illud, quod ab eis negatum eſt. Quod tamquam minus proprium non recipimus; & verba Ariſtotelis ſic explicamus; Alia ad refutandum illud, quod dicitur vel eſſe, vel non eſſe. Nam refutamus illud, quod dicitur eſſe, per negationẽ: & refutamus illud quod dicitur non eſſe, per affirmationẽ. Additur, differre huiuſmodi enthymemata, vt in Dialecticis differunt elenchus, qui redarguit, & ſyllogiſmus, qui demonſtrat. Et enthymema demonſtratiuum colligere, ac concludere aliquid ex iis, quibus aduerſarius ipſe aſſentitur: enthymema vero redarguens concludere aliquid ex iis, quæ aduerſarius negat.

Sequuntur huiuſmodi verba; Ac ferme quidem nobis de ſingulis formis vtilibus, & neceſſariis habẽtur loci: ſelectæ enim de vnoquoque propoſitiones ſunt. Quare ex quib. locis oportet ducere enthymemata de bono, aut malo, aut honeſto, aut turpi, aut iuſto, aut iniuſto, & de moribus, & affectibus, & habitibus eodem modo, parati nobis ſunt prius loci. Iam vero alio modo in vniuerſum de omnibus aſſumamus, & dicamus. Conſtat igitur locos accipi aut latius, aut ſtrictius. Primo modo loci comprehendunt etiã formas, id eſt, propoſitiones proprias generum, & propoſitiones ſimul communes, quas diximus eſſe magis proprias vnius generis, quam aliorũ, immo vero etiam propoſitiones illas, quæ ad conciliandos, & concitandos auditorum animos valent, nedum propoſitiones illas, quæ conſiderantur in Topicis. Secundo modo diſtinguuntur a formis. Quare libri primi capite ſecundo legitur; Voco autem formas vniuſcuiuſque generis proprias propoſitiones: at locos communes ſimiliter omnium.

Proponitur conſiderandum, primum qui ſint loci enthymematum verorum, tum ad demonſtrandum, tum ad refutandum pertinentes: deinde qui ſint loci enthymematum adumbratorum: poſtremo, quomodo faciendæ ſint ſolutiones, & obiectiones. Cum autem loci Ariſtotelis ſint plures, Ciceronis vero pauciores, nõ erit inutile aperire, quomodo illi ad hos reducantur. Nam apud Ciceronẽ octodecim loci enumerantur; primus

primus a definitione: ſecundus a partium enumeratione: tertius a notatione: quartus a coniugatis: quinctus a genere: ſextus a forma, vel ſpecie: ſeptimus a ſimilitudine: octauus a differentia: nonus a contrario: decimus ab adiunctis: vndecimus ab antecedentibus: duodecimus a conſequentibus: decimus tertius a repugnantibus: decimusquartus a cauſſis: decimus quinctus a rebus effectis: decimusſextus a maiori: decimusſeptimus a pari: decimusoctauus a minori. Nam, cum ex prioribus Analyticis conſtet, de eo ipſo, de quo agitur, id eſt, de termino quæſtionis aut ſubiecto, aut prædicato quęri poſſe quinque, tum quæ præcedunt, tum quæ ſequuntur, tum quæ reciprocantur, tum quæ obſiſtunt, tum quæ comitantur; præcedunt tria, genus, cauſſa, antecedentia: ſequuntur quattuor, ſpecies, effectus, coniugata, conſequentia: reciprocantur tria, definitio, enumeratio partium, notatio: obſiſtunt tria, differentia, contraria, repugnantia: comitantur quinque, ſimilia, adiuncta, maiora, minora, paria. Boethus horum omnium affert rationem in hunc modum, Neceſſe eſt, quemlibet eorum terminorum, qui in quæſtione ſunt collocati, & definitiones habere proprias, & partes, & nomina, & ad res alias quadam affectione coniungi, ac referri. Ergo ex toto locus, qui dicitur, is eſt, quoties argumẽtum ex alicuius definitione termini, qui eſt in quæſtione, tractatur, ſiue ſubiecti, ſiue prædicati. Ex partiũ vero enumeratione, quoties ab eius termini partibus, qui in quęſtione poſitus eſt, ducitur argumentum. A nota vero, quoties ab eiuſdẽ termini vocabulo naſcitur argumentũ. Ab affectis vero, quoties ab iis, quæ ad propoſitum terminum relatione aliqua reducuntur, argumentatio proficiſcitur. Ex quibus Boethi verbis conſtat, de vnoquoq; termino cõſiderari poſſe tũ definitionẽ, qui eſt primus locus: tũ partes, qui eſt ſecundus: tũ notationẽ, ſeu etymologiã, qui eſt tertius, tum affectionẽ, & relationẽ ad alia, quæ ſpectatur in quindecim locis; in coniugatis, quæ coniugatis coniugata ſunt: in genere, quod ſpeciei genus eſt: in ſpecie, quæ generis ſpecies eſt: in ſimili, quod ſimili ſimile; in differentibus, quæ a differentibus differunt: in cõtrariis, quæ contrariis contraria ſunt; in adiunctis, quæ adiunctis adiuncta: in antecedentibus, quæ conſequentium antecedentia:

in conſequentibus, quæ antecedentium conſequentia: in repugnantibus, quæ repugnantibus repugnantia: in cauſſis, quæ effectum cauſſæ: in effectibus, qui cauſſarum effectus: in maioribus, quæ minoribus maiora: in minoribus, quæ maiori-bus minora: in paribus, quæ paribus paria. Itaque horum locorum affectio, & relatio perſpicua eſt. Cur autem tam multi ſint, ex eo perſpici poteſt, vt docet idem Boethus, quod loci relati partim ſunt amici, partim inimici. Amici ſunt decem, nempe ſex in eſſentia, tres in qualitate, vnus in quantitate. Amici enim in eſſentia ſunt genus, ſpecies, antecedens, conſequens, cauſſa, effectus. Amici vero in qualitate, coniugata, ſimilia, adiuncta. At amicus in quantitate eſt locus parium. Inimici ſunt quinque, vnus quomodolibet, duo in qualitate, totidem in quantitate. Inimicus enim quomodolibet eſt locus differentiæ. Inimici vero in qualitate ſunt cōtraria, repugnantia. At in quantitate locus maiorū, & locus minorum. Omnes autem reducuntur ad has maximas propoſitiones;

1. Definitio a definito, partes a toto, notatio a notato, coniugatum a coniugato non ſeparatur.

2. Vt deſtructo genere deſtruitur ſpecies, vel poſito genere in vniuerſum ponitur vnaquæque ſpecies: ſic poſita ſpecie ponitur genus, vel poſita vna ſpecie tolluntur aliæ.

3. Similium, & parium eadem ratio eſt, illorum in qualitate, horum in quantitate.

4. Differentia, contraria, repugnantia, inter ſe non cohærēt.

5. Adiuncta, antecedentia, conſequentia inter ſe cohærent.

6. Cauſſa cum effectu cohæret, & effectus cum cauſſa.

7. Si non ineſt, quod veriſimilius eſt, ne ineſt quidem, quod minus veriſimile.

8. Si ineſt, quod minus veriſimile eſt, etiam ineſt, quod veriſimilius.

Iam ad Ariſtotelem redeamus.

IN CAPVT VIGESIMVMTERTIVM, *de locis enthymematum veroru m.*

PRimus locus ex iis, qui valent ad demonſtrandum, eſt ex contrariis. Videndum enim eſt, an contrarium contrario inſit,

inſit,an non inſit. Nam, qui confirmat, dicit ineſſe, vt pax eſt bona, ergo bellum eſt malum. Qui refutat,dicit non ineſſe,vt non ſemper pax bona. ergo non ſemper bellum malum. Afferuntur varia exempla. Primum exemplum eſt; Temperanter agere bonum eſſe: intemperanter enim agere perniciosum. Quinctilianus; Frugalitas bonum: luxuria malum. Alterum eſt ex Meſſeniaca Alcidamantis oratione, habita, vt putat Victorius, pro Meſſeniis, vt exponit Maioragius, apud Meſſenios; Si bellum cauſſa eſt præſentium malorum, pacem oportet correctionem adhibere. Quinctil. Si malorum cauſſa bellum eſt,erit emendatio pax. Tertium,Si iis, qui inuiti male egerūt, iuſtum non eſt iraſci, ne conueniens quidem eſt,ſi coactus aliquis benefecerit, ei gratiam habere. Quinctil. Si veniam meretur, qui imprudens nocuit, prœmium non meretur,qui imprudens profuit. Quartum, Si inter mortales falſum dicere appoſitum eſt ad perſuadendum, exiſtimare oportet etiam contrarium, multa vera mortalibus euenire, quæ fide carent. Locus autem a contrariis eſt nonus Ciceronis. Quamquam apud eum latius patet, cum intelligantur contraria non modo, vt apud Ariſtotelem, ἐναντία, quæ ab illo appellantur aduerſa: verum etiam ςερητικὰ, τὰ πρός τι, ἀποφατικὰ, priuantia, relata, negantia, id eſt, omnia ἀντικείμενα, & oppoſita. Differt verò contrarium a differenti. Nam quæ contraria ſunt, non ſolum inter ſe differunt, ſed etiam alterum alteri e regione occurrit, vt virtus, vitium: quæ vero ſolum differunt, non ſic occurrunt, vt homo, platanus. Præterea vnum vni dicitur eſſe contrarium: at vnum differt a pluribus. Contrarium quoque diſtinguitur a repugnanti. Etenim repugnantia non ſunt cōtraria, ſed vnum contrarium, & conſequens alterius contrarij, vt amor contrarius odio, & maleficium, quod conſequitur odium, inter ſe repugnant.

Secundus locus eſt ex ſimilibus caſibus. ſimiliter enim oportet ineſſe, aut non ineſſe, quemadmodum, Non omne iuſtum bonum eſſe, & eligendum: alioquin omne, quod iuſte fit, eſſet bonum, & eligendum: at iuſte mori non eſt eligendum. Huc pertinet illud, quod legitur lib. 1. cap. 9. perpeſſiones propter alias virtutes ſemper eſſe honeſtas; propter iuſtitiam, non ſem-

per. In Topicis appellatur hic locus a coniugatis; & traditur, coniugata eſſe, iuſta, iuſtum, iuſtitię: fortia, fortem, fortitudini. Et efficientia, ac conſeruantia dici coniugata eorum, quorum ſunt efficientia, & conſeruantia, vt quæ efficiunt valetudinem, eſſe coniugata valetudinis, & quæ conſeruant firmam corporis conſtitutionem eſſe coniugata firmę corporis conſtitutionis. Ac differre coniugata a caſibus, quod omnes quidẽ caſus ſint coniugata, ſed non omnia coniugata caſus. Et coniugata res eſſe quaſdam, vt iuſta, iuſtum, iuſtitiam: caſus eſſe modos actionum, vt iuſte, fortiter, ſalubriter, apte ad firmam corporis cõſtitutionem. Et, ſi probatũ ſit vnum ex coniugatis eſſe bonũ, & laudabile, etiam probatũ eſſe alia coniugata eſſe bona, & laudabilia; vt, ſi iuſtitia laudabilis eſt, etiam iuſtus, & res iuſta, & quod iuſte fit. Et in contrariis quoq; ſpectari coniugata, qualia ſunt iuſtitia, iniuſtitia; iuſtus, iniuſtus; iuſta, iniuſta, iuſte, iniuſte. Locus autem a coniugatis eſt quartus Ciceronis, apud quẽ in ſecunda Topicorũ parte coniugatio dicitur finitima notationi: quia notatio ex vi nominis trahitur; itemq; coniugatio ſimilitudine vocabuli continetur: differt tamen, quia notatio expoſitione nominis, coniugatio ſimilitudine vocabuli, & deriuatione percipitur, vt notauit Boethus.

Tertius locus eſt ex iis, quæ referuntur ad ſe inuicem; cuius affertur illa regula: Quod in altero ineſt, etiam in altero ineſt. Primum exemplũ eſt, quod facere, & perpeti inter ſe referuntur. Quare ſi alteri ineſt, vt honeſte, aut iuſte fecerit, alter quoq; honeſte, ac iuſte perpeſſus eſſe dicetur. Alterum exemplum eſt, quod inter ſe conferuntur mandare, & exequi. Ergo ſi honeſte fecit, qui mandauit, etiam qui executus eſt. Tertiũ exemplum eſt, quod etiam inter ſe conferuntur vendere, & emere. Quo circa publicanus Diomedon de vectigalib. dixit; Si vobis non eſt turpe vendere, ne nobis quidẽ emere. Cicero lib. 1. de inuẽtione; Si Rhodiis turpe nõ eſt portoriũ locare, nec Hermacreonti quidẽ turpe eſt conducere. Fit autem in hoc loco reciprocatio, vt ſi ei, qui paſſus eſt, accidit, vt honeſte, & iuſte paſſus ſit, etiam ei, qui fecit. Et, ſi qui fecit, etiã qui paſſus eſt. Sed quãdoq; eſt captio. Nam cũ aliquis iuſte paſſus eſt, quandoq; qui fecit, nõ iuſte fecit. quod probatur exẽplo Alcmęonis apud Theodectem, qui necauit Eriphilen matrẽ, propterea quod indicaſſet maritũ

Am-

Amphiaraum Adraſto capto deſiderio monilis aurei, ita vt neceſſe fuerit Amphiarao proficiſci ad bellũ Thebanũ, vbi præuiderat ſe terra abſorptũ iri. Cum igitur Alpheſibœa in hunc modũ interrogaſſet Alcmęonẽ, Matrem tuã nemo oderat mortalium? ille reſpondens affirmauit, ſed addidit, Mori quidẽ illam debuiſſe ſtatuerunt: Sed non manibus illi necẽ afferri meis. Additur exemplum de Demoſthene, atq; iis, qui interfecerũt Nicanorem: putaturq; alter Demoſthenes ſignificari, quã is, cuius extant orationes, quiq; fuit eodẽ tempore, quo Ariſtoteles. Nã ambo ſunt orti eadẽ olympiade nonageſimanona, cũ Ariſtoteles mortuus ſit olympiade cẽteſima decimaquarta, & Demoſthenes olympiade centeſima vigeſimaquincta. Sed hoc obiter. Quoniã igitur iuſte necaſſe iudicati ſunt, exiſtimatus eſt iuſte necatus. Et exemplũ de eo, qui Thebis necatus eſt; de quo dati ſunt iudices, nũ dignus fuiſſet, qui interficeretur; tamquam iniuſtũ non ſit eũ occidere, qui iuſte interfici poſſit. Locus vero ex iis, quæ inter ſe conferuntur, redigitur ad nonum Ciceronis ex contrariis, in quibus quoq; relata numerantur.

Quartus locus eſt ex maiori, cuius regula eſt; Si cui magis ineſſe deberet, nõ ineſt, profecto neq; cui minus. Vt, ſi neq; dij omnia ſciunt, multo minus homines. Cic. li. 2. de orat. illud putat eſſe ex maiore; Si bona exiſtimatio diuitiis præſtat, & pecunia tantopere expetitur; quanto gloria magis eſt expetenda? Quinctil. affert exemplũ ex maiori pro Cæcinna; Quod exercitus armatos mouet, id aduocationẽ togatorũ non videbitur mouiſſe? & Paullus Manut. vult eſſe ex maiori illud pro Sextio: Si Tigrani, qui hoſtis fuit populi Rom. regnũ conſeruaſtis, quãtò magis Prolemęo, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit, cõſeruare debuiſtis? Auctor Rhetoricæ Eccleſiaſticæ illo exẽplo vtitur ex maiori; D.N. Ieſus Chriſtus nobis maxima, & grauiſſima peccata, quæ quotidie cõmittimus, dimittit: & nos leuiſſimas fratrum noſtrorũ iniurias ferre non poſſumus? Alienĩ tamẽ ſunt omnes a doctrina Ariſtotelis, qui in cõparatione ſpẽctat maiorẽ, & minorẽ veriſimilitudinẽ, & cũ antecẽdẽs eſt veriſimilius, vult argumentũ eſſe a maiori, cũ autẽ minus veriſimile, a minori. Quare cũ in ſuperioribus argumentationib. illud, quod antecedit, ſit minus veriſimile, argumentũ non eſt ex maiori, ſed ex minori. Intelligendum enim eſt ex maiori ad minus, ex veriſimiliori ad minus veriſimile, & ex minori ad

maius ex minus veriſimili ad veriſimilius. Neq; illud ſatis mihi facit, quod nonnulli dicunt, aut ſpectari magnitudinem rei, aut maiorem, & minorem veriſimilitudinem; primo modo hoc argumentum eſſe ex maiori, Si ſacrilegium fecit, multo magis faciet furtum: ſi patrem occidit, multo magis occidet ceteros. Secundo modo eſſe ex minori. Et cauſſa, cur mihi non ſatisfaciat, eſt, non ſolum quia huiuſmodi diſtinctionem non admittit regula maioris, & minoris allata ab Ariſtotele, verũ etiam quia ſi conſequens eſt magis, neceſſe eſt, vt antecedens ſit minus. & hoc modo argumentum a minori ad maius, vt ſi pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis eſt expetenda. Si vero conſequens ſit minus, neceſſe eſt, vt antecedens ſit maius, & hoc modo argumẽtum a maiori ad minus, vt ſi non curatur gloria, quanto minus pecunia eſt curanda? Quam regulam etiam pueri facili negocio poſſunt intelligere, vt cum circa conſequens eſt magis, ſemper argumentatio ſit a minori, ſi dedit centum, quanto magis dabit decem? Cum vero circa conſequens eſt minus, argumentatio ſit a maiori, Si non dedit decem, quanto minus dabit centum?

Quinctus locus eſt ex minori, cuius regula eſt; Si quod minus ineſt, etiam quod magis ineſt. vt ſi patrem cædit, multo magis cædet propinquos. Locus autem a maiori eſt decimus ſextus Ciceronis: & a minori decimusoctauus.

Sextus locus eſt ex pari, cuius regula eſt. Si neque magis, neque minus ſit. cuius ſeptem afferuntur exempla. Primũ, quod par miſeria ſit patrum, qui filios amiſerint, vt Theſtij patris Altheæ, qui amiſit Toxeum, & Plexippum, atque Oenei, qui Meleagrum. Alterum, quod par ſit factum Theſei, & Alexandri, vel Paridis, qui diuerſis temporibus Helenam rapuerunt. Tertium, quod par fuerit factum Tyndaridarum, Caſtoris, & Pollucis, qui duas Leucippi filias rapuerunt, ac Alexandri, qui Helenam rapuit. Quartum de Hectore, qui occidit Patroclum, & de Alexandro, qui Achillem. Quinctum de aliis artificibus, & de philoſophis, qui æque cenſendi ſunt non mali. Sextum de imperatoribus, & de ſophiſtis, qui etiamſi ſæpe vincantur, mali non ſunt iudicandi. Septimum de priuatis, & de iis, qui magiſtratum gerunt, quorum alteri æque alteros curare debent. Lo-

cus

419

cus autem a pari eſt decimusſeptimus Ciceronis, & diſtinguitur a loco ſimilitudinis, quia in paribus quantitas, in ſimilibus qualitas ſpectatur.

Septimus locus eſt a temporis inſpectione. Si prius conceſſum eſſet, etiam poſt concedi debet. Si prius quam ageret Iphicrates, ei conceſſum eſſet, vt haberet ſtatuam, poſtquam egiſſet: profecto concedi quoque debet ſtatua, cum ipſe egerit, etiã ſi prius non fuerit promiſſa. Si Philippus, priuſquam opem ferret contra Phocenſes, ei conceſſum eſſet, vt aditum haberet in Atticam, poſtquã opitulatus eſſet: certe concedendus eſt quoque aditus, cum ipſe opitulatus ſit, etiam ſi prius promiſſus nõ fuerit. Reducitur ad locum ex pari.

Octauus locus eſt ab animaduerſione perſonæ. διαφέρει δὲ ὁ τρόπος, οἷον ἐν τῷ Τεύκρῳ. Eminet autem hic modus, vt in Teucro. Muretus legit, ὁ τόπος, conuertens; Excellit autem hic locus, vt in Teucro. Quod non fecit perſona peior, multo minus faciet perſona melior. Simile argumentũ erat in Teucro Tragœdia. Similique argumento vſus eſt Iphicrates aduerſus Ariſtophontem; Ergo tu, qui es Ariſtophon, non proderes: ego vero, qui ſum Iphicrates, prodidi? Oportet autem illum exiſtimari iniurioſiorem. Alioquin ridiculum apparebit, εἰ πρὸς δὲ ἀριστείδην κατηγοροῦντα τοῦτό τις εἴπειεν. ἀλλὰ πρὸς ἀπιστίαν κατηγόρου. ὅλως γὰρ βούλεται ὁ κατηγορῶν, βελτίων εἶναι τοῦ φεύγοντος: τοῦτο οὖν ἐξελέγχειν. καθόλου δὲ ὁ τόπος οὗτος ἐστίν. Si aduerſus Ariſtidem accuſantem id aliquis diceret. Sed id conuenit in exiguam fidem accuſantis. Vniuerſe enim debet accuſans melior eſſe reo. Hoc igitur conuincendum eſt. In vniuerſum autem locus iſte eſt. Muretus multa omittens conuertit ſic; Si aduerſus Ariſtidem accuſantem ita quiſpiam loquatur. Hoc igitur redarguere oportet. Vniuerſe autem hic locus eſt. Victorius legit, καθόλου δ᾽ ἄτοπος οὗτος ἐστίν. & vertit, In vniuerſum autem abſurdus hic eſt. Verbum βούλεται Sigonius vertit Vult. Nos ſecuti Victorium, Debet, cum huiuſmodi verbum apud Ariſtotelem ſæpe idem ſit, quod debet. Id quod minus intelligere Di. Thomas nõnullis viſus eſt, cum illum locum lib. 2. Phyſicorum explicauit; βούλεται γὰρ οὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον. Probamus quoque magis, vt legatur ἄτοπος. Nam vere

abſurdus ille eſt, qui obiurgat alios in iis, quæ ipſe faciat, aut facturus eſſet: vel ſuadet facere, quæ ipſe non faciat, nec facturus eſſet. Reducitur ad locum ex maiori.

Nonus locus eſt ex definitione, cuius regula eſt, quod definitio, & definitum idem ſunt, ita vt qui opinionem habet de definito, etiam opinionem habeat de definitione, vt Socrates putabat eſſe dæmonium, quod cunctis in rebus ſe ſequi dicebat. ergo putabat eſſe deum, aut dei opus. Dæmonium enim definitur nihil aliud eſſe, quam aut deus, aut dei opus. lib. 3. cap. 18. ſic legitur; Socrates Melito negante ipſum deos putare, dixit, num dæmonium aliquod eſſe affirmaret. Cum autem ille confiteretur, rogauit, nonne dęmones aut deorum filij eſſent, aut diuinum aliquid. Aiente illo, Eſt igitur, inquit, qui deorum filios putet eſſe, deos autem non eſſe. Sublata definitione tollitur definitum, & poſita definitione ponitur definitum. Iphicrates aduerſus Harmodium; Is generoſiſſimus eſt, qui optimus eſt. Nam Harmodio, & Ariſtogitoni nihil generoſi prius fuit, quam generoſi aliquid egiſſent. At tu nō es optimus, ego vero optimus. Ergo non tu, ſed ego generoſus. Tertium exemplum eſt eiuſdem aduerſus eundem; propinquiores ſunt, quorum opera propinquiora ſunt. At opera mea propinquiora ſunt operibus Harmodij, & Ariſtogitonis, quam tua. Igitur ego ſum illis propinquior, quam tu. Quartum ex Alexandro, quod omnes confeſſi fuerint, intemperantes eſſe illos, qui vno corpore contenti non ſint, quo perfruantur. At Alexander vnius corporis fructu contentus fuit. ergo non intemperans. Quinctum eſt quoque Socratis cauſſam afferentis, cur ire nollet ad Archelaum Macedoniæ Regem, qui eum acceſſebat, quod contumelia eſt, ſeu infamia, vt iniurias, ſic beneficia accepta compenſare non poſſe. At ego beneficia tua compenſare non poſſem. ergo infamis eſſem. Conſtat autem hunc eſſe locum primum Ciceronis.

Decimus locus eſt ἐκ τοῦ ποσαχῶς, οἷον ἐν τοῖς τοπικοῖς περὶ τοῦ ὀρθῶς. ex Quotupliciter, ſcilicet, cum quot modis aliquid dicatur, conſideratur, vt in Topicis de eo recte. Communiter exponunt de ipſo Recte, id eſt, quot modis accipiatur illud, quod factum eſt recte. Quod præceptum quoniam in

libris, qui extant, Topicorum Ariſtotelis non reperitur, idcirco Victorius putat alios libros ſignificari; & conuertit; Cum quot modis, velut in Topicis de eo, quod recte factum eſt. Nos vero exiſtimamus, philoſophum ſpectare caput tertium libri primi Topicorum, quod eſt de ipſo Quotupliciter, in Topicis recte, ſcilicet eſt diſputatum. Quod ſenſiſſe ante nos Franciſcum Robortellum, virum doctiſſimum, & diſertiſſimum vidimus in quibuſdam eius manuſcriptis annotationibus. Atque huiuſmodi explicatio videtur poſtulare, vt legatur περὶ τούτου ὀρθῶς. Muretus has voces περὶ τοῦ ὀρθῶς delet, tamquam gloſſema; & vertit; Ex varia, & multiplici vocis alicuius ſignificatione, vt in Topicis. Reduci poteſt ad ſecundum Ciceronis ab enumeratione partium, quatenus enumerantur partes homonymi, quæ ſunt variæ eius ſignificationes.

Vndecimus locus eſt ex diuiſione, vt ſi omnes ad iniuriam faciendam aliquo horum trium impelluntur, vel ob hoc, vel propter hoc alterum, vel propter illud; & horum duo ſunt, propter quæ feciſſe non poteſt; ob tertium autem, ne ipſi quidem accuſatores dicunt; ſequitur ab eo nullam iniuriam eſſe factam. Victorius, & Maioragius exponunt iniuriam fieri ob tres cauſſas, aut ob vtilitatem, aut ob voluptatem, aut ob iram. Nos in primi libri caput decimum ex doctrina Ariſtotelis explicauimus, aut propter conſuetudinem, aut propter rationem commodi, aut propter affectum. Refertur quoq; ad locum enumerationis, quatenus enumerantur partes generis, quæ proprie dicuntur ſpecies.

Duodecimus locus eſt ex inductione, vbi late accipitur inductio tam pro ea, quæ ex particularibus probat vniuerſale, quam pro ea, quæ ex particularibus probat particulare. Dubitandum tamen non eſt, quin, cum ex omnibus particularibus probatur vniuerſale, inductio ſit perfecta, & philoſophica; imperfecta vero, & oratoria, cum aut non colliguntur omnia particularia, aut non concluditur vniuerſale; cuiuſmodi inductiones magis exempla, quam inductiones ſunt appellandæ. Declaratur hic locus primum ex Pe-

parethia oratione, ita dicta a Peparetho, quæ fuit vna ex Cycladibus, & in ea non ignobile oppidum, quod poſtea diruit Philippus; in qua oratione probabatur hoc vniuerſale, quod de liberis vbique mulieres verum diſcernunt, per hæc particularia, quod Athenis mater quædam filium Mantiæ oratori indicauit: & Thebis Dodonis Theſſaliſcum demonſtrauit, de quo Iſmenias & Stilbo inter ſe contendebant. Deinde ex lege Theodectis, vbi probabatur hoc particulare, iis, qui male cuſtodiuerunt alienam ſalutem, nemini vtendum eſſe ad tuendā ſuam, per hæc particularia, quia iis, qui male alienos equos curarunt, non committunt ſuos: neque iis, qui alienas naues euerterunt, committunt ſuas; idque in omnibus rebus eodem modo ſe habet. Præterea auctoritate Alcidamantis, qui probabat hoc vniuerſale, eruditos viros nuſquam non magnifieri, per hæc particularia, quod Parij Archilochum, quamuis maledicum, honorarunt: & Chij Homerum, quamuis ciuis non eſſet: & Mitylenæi Sapphonem, quamuis mulier eſſet: & Lacedæmonij Chilonem in ſenum ordinem adlegerunt, qui tamen eruditionis minime ſtudioſi erant: & Itali Pythagoram: & Lampſaceni Anaxagoram peregrinum hominem ornarunt ſepulchro. Additur inductio, qua probatur hoc vniuerſale, etiā ſi non exprimatur, omnes ciuitates eſſe felices, quæ a ſapientibus gubernantur, per hæc particularia, quod Athenienſes quamdiu Solonis legibus vſi ſunt, beate vixerunt: & Lacedæmonij, quamdiu legibus Lycurgi: & Thebana ciuitas tamdiu felix fuit, quamdiu ei philoſophi præfuerunt. Reducitur hic locus ad ſeptimum Ciceronis a ſimili.

Decimustertius locus eſt ex iudicio, & re iudicata. Iudicium autem ſpectatur aut ratione rerum iudicatarum, aut ratione iudicantium. Ac rerum quidem ratione tripliciter, aut de eadē re, vt de facto Milonis fuit præiudicatum a ſenatu, & a Pompeio: aut de ſimili, vt ſimilia facta fuerunt Sp. Caſſij, Sp. Melij, M. Manlij hominum ob affectatum regnum necatorum: aut de contraria, vt contraria fuerunt facta Marcelli, & Verris in tractandis fanis Syracuſarum. Iudicantium vero ratione, nouem modis; quatenus aliquid iudicatum eſt ab omnibus, vt vim vi repellendam, nemini eſſe nocendum, niſi ei, qui laceſſi-

uerit

421
uerit iniuria: aut a plurimis, vt apud inferos impiis pœnas eſſe conſtitutas, certum eſſe in cœlo piis animis conſtitutũ locum, deos eſſe, etiam ſi id negauerint Diagoras Mileſius, Theodorus Cyreneus, Euhemerus Tegeates, vt ait Plutarchus de placitis philoſophorum: aut a ſapientibus omnibus, vt ex nihilo nihil fieri, ius ſuum vnicuique tribuendum: aut a ſapientibus plurimis, vt definitos eſſe mundos contra Democriticos, & quæ iudicata ſunt communibus iuriſconſultorum opinionibus; aut a bonis, vt melius eſſe iniuriàm accipere, quam inferre, detrimentum aliquod pati, quam litigare, contendere verbis, quam armis: aut ab iiſdem, qui ſint iudicaturi, cum ſuperiores eorum ſententiæ in argumentum ducuntur: aut ab iis, quos ipſi iudices approbant, cum maiorum opiniones citantur: aut ab iis, contra quos iudicium eſſe non poteſt, vt a dominis, a Regibus, a Principibus: aut ab iis, contra quos non eſt honeſtum iudicare, quales ſunt Deus, pater, præceptor. Illuſtratur locus quinque auctoritatibus. Primum Autoclis oratoris Athenienſis in Mixidemidem; An vero deæ venerandæ honeſtum ſibi putarunt in Areopago cauſſam dicere: Mixidemides autem id recuſabit? Deinde Sapphonis; Mori malum eſſe; dei enim ita iudicarunt: alioqui mori voluiſſent & ipſi. Præterea Ariſtippi aduerſus Platonem iactantius quiddam proferẽtem, vt ipſi Ariſtippo videbatur; At vero ſodalis, ille, inquit, noſter (Socratem indicans) nihil vnquam tale. Inde Hegeſippi Delphis interrogantis Apollinem, cum prius oraculum accepiſſet Olympiæ a Ioue, numquid ipſi eadem, quæ patri, viderentur; quaſi turpe ſit contra patris iudicium dicere. Poſtremo Iſocratis ſcribentis Helenam virtute præſtantem fuiſſe, quia Theſeus id iudicaſſet: & Alexãdrum quem Deæ iudicem elegerũt: & Euagoram, quia Conon aduerſa fortuna vtens aliis omnib. prætermiſſis ad Euagoram venit. Videtur pertinere hic locus ad decimum Ciceronis ab adiunctis.

Decimusquartus locus eſt ex partibus, vt in Topicis, ſi animus eſſet motio, neceſſario eſſet aut generatio, aut corruptio, aut incrementum, aut diminutio, aut varietas, aut loci mutatio. At non eſt vlla de his partibus. ergo non eſt motio. & in Socrate Theodectis, id eſt, oratione pro Socrate; Si Socrates

fuiſſet impius, aut aliquod templum violaſſet, aut aliquos deos non coluiſſet ex iis, quos ciuitas in deorum numero habet. At nihil tale fecit. ergo non fuit impius. Pertinet quoque ad locum enumerationis, & eſt communis partibus generis, vt ſpeciebus motionis, quæ hic commemorantur, & partibus totius, vt varia templa, & varij dei erant partes totius apud Athenienſes religionis, & partibus quoque homonymi, etiamſi eius nullum hic exemplum afferatur. Ad enumerationem igitur partium referuntur tres loci Ariſtotelis, Ex quotupliciter, Ex diuiſione, Ex partibus, prout enumerantur aut partes homonymi, aut partes generis, aut partes totius. Quo referri etiam poteſt locus a genere, & locus a ſpecie.

Decimusquinctus locus eſt ex conſequenti. quoniam enim in plurimis rebus accidit, vt ſequatur eas aliquid boni, & mali, ex conſequenti licet ſuadere, aut diſſuadere, & accuſare, aut defendere, & laudare, aut vituperare. Vnaquæque enim res poteſt habere tum bona, tum mala ſibi conſequentia, vt liceat vti modo his, modo illis, prout rem vel in meliorem, vel in deteriorem partem trahere velimus. Exempli gratia, Eruditionem conſequitur inuidia, quæ malum eſt: & ſapientia, quæ bonum eſt. Erudiri ergo non oportet: neque enim colligenda inuidia eſt. Erudiri ergo oportet: ſapientem enim eſſe oportet. Qui locus dicitur Callippi ars, quod ille in vtramque partem ex conſequentibus ſoleret argumentari: & eſt duodecimus Ciceronis; quo referri quoque poteſt vndecimus ab antecedentibus, & decimus ab adiunctis. Quamquã apud Ciceronem illud intereſt, quod antecedentia, & conſequentia neceſſaria ſunt: adiuncta vero non neceſſaria; cum Ariſtoteles generatim accipere conſequentia videatur pro iis etiam, quæ non neceſſario conſequuntur. Præterea alia ſunt conſequentia naturæ: alia argumentationis. Nam ſol naturaliter antecedit lucem: & lux conſequitur ſolem. Antecedens vero argumentationis multiplex eſt, vt docuit Boethus; aut minus vniuerſale conſequenti, vt ſi homo eſt, animal eſt: aut vniuerſalius, vt ſi omne animal ſentit, etiam homo ſentit: aut poſterius:

rius, vt ſi peperit, cum viro concubuit: aut prius, vt ſi arrogans eſt, odioſus eſt: aut æquale conſequenti, vt ſi homo eſt, aptus, natusque ad ridendum eſt: aut ſimul cum conſequenti, vt ſi Luna deficit, terræ adeſt obiectio.

Decimusſextus ex inuerſione contrariorum. Et differt a proximo ſuperiori loco, quod ibi qualiacunque opponuntur: hic autem contraria. Vt ſacerdos quędam non ſinebat filium ſuum cum populo agere: ſi enim iuſta dicas, homines te odio habebunt: ſi vero iniuſta, Dei. Immo oportet cum populo agere: ſi enim iniuſta dicas, homines te amabunt: ſi vero iuſta, Dei. Hoc autem eſt idem cum eo, quod dicitur, τὸ ἔλαιον πρίασθαι, καὶ τοὺς ἅλας, Oleum emere, & ſalem, & contrariis remediis vti, lenitudine olei, & acrimonia ſalis. Veterem igitur lectionem, & translationem ſecuti ſumus. Victorius legit, τὸ ἕλος πρίασθαι, καὶ τοὺς ἅλας. Paludem emere, & ſales. Eodem modo Muretus; Stagnum emere, & ſales. Alij legunt; τὸ ἕλκος πρίασθαι, καὶ τοὺς ἅλας. Vlcus emere, & ſales. Et hæc eſt, inquit philoſophus, blæſoſis & inuerſio, quando duorum contrariorum vtrique bonum, & malum conſequens eſt, vt contraria ſint vtraque vtriſque. Reciproca autem argumenta reprehenduntur in illis, qui priores vtuntur: laudantur in illis, qui retorquent in aduerſarium, vt Protagoræ, & Euathli apud Gellium libri quincti capite decimo, & Biantis de vxore ducenda, eiuſdem libri capite vndecimo. Atque redigitur ad locum a contrariis.

Decimusſeptimus locus eſt, ex aperto, & occulto. Quoniam enim homines non eadem palam, & in occulto probant: ſed palam quidem iuſta, & honeſta maxime laudant: priuatim autem præoptant vtilia; ex his alterum licet colligere. Hic enim locus eſt potentiſſimus inter eos, qui ſunt præter opinionem. Et reducitur ad octauum Ciceronis a differentia.

Decimusoctauus locus eſt ex proportione; cuius duo afferuntur exempla. Alterum Iphicratis, qui ad eos, qui volebant filium ipſius, quamuis ad legitimam ætatem non perueniſſet, quia procero corpore erat, cogi ad obeunda munera

publica; Si, inquit, proceros pueros pro viris habetis, etiam eos viros, qui procero corpore ſunt, pueros eſſe decernetis. Alterum Theodectis in lege, qui ciuitate, inquit, donatis mercenarios milites probitatis ergô, vt Strabacem, & Charidemũ: qui autem ex illis nefaria facinora fecerunt, eis exilium non irrogabitis? Reducitur ad decimumſeptimũ Ciceronis a pari.

Decimusnonus locus eſt ex eo, quod contingit ad id, ex quo contingit. Primum exemplum eſt Xenophanis dicẽtis, æque impios eſſe, qui deos ortos eſſe dicerent, & qui eos mori: vtroq; enim modo euenire, vt dij aliquando non ſint. Alterum eſt; Iudicaturi eſtis non de Socrate: ſed de hoc toto inſtituto, numquid oporteat philoſophari. damnare enim Socratem, & profeſſionem Socratis erat oſtendere, non eſſe philoſophandum. Tertium eſt, quod terram, & aquam dare, erat ſeruire. Quartum, quod in commune fœdus adſcribi erat leges accipere. λητιτέον δ', ὁπότερον αὖ ἦ χρήσιμον. Aſſumẽdum eſt autẽ, vtrum fuerit vtile. Hæc verba transfert Muretus ad finem loci decimi ſeptimi. Atque hic locus ex contingenti reducitur ad duodecimum Ciceronis a conſequentibus.

Vigeſimus locus eſt ex diuerſa electione. Homines enim non eadem ſequuntur antea, & poſtea, ſed contra, quale eſt hoc enthymema, An vero in exilium euntes pugnabamus, vt rediremus. Poſtea vero quam rediuimus, fugiemus, vt non pugnemus? Tunc enim pugnare volebant potius, quam in patria non manere: nunc autem malunt non pugnare, quam manere. Hic reducitur ad octauum Ciceronis a differentia.

Vigeſimusprimus locus eſt ex diuerſa cauſſa, quæ dicitur finis. quandoque enim cuius rei cauſſa fieri potuit, quamuis nõ ſit factum, tamen eius cauſſa affirmatur eſſe, vel factum eſſe. οὗ ἕνεκα εἴη, εἰ μὴ γένοιτο. Mur. legit, οὗ ἕνεκα εἴη, ἢ γένοιτο. Cuius rei cauſſa aliquid eſſe, aut fieri poteſt. Primum exemplum eſt, ſi quis cui quid dediſſe dicatur, vt poſtea idem illi auferens dolorem inureret. vnde & illud dictum eſt;

Fortuna multos ſæpe in altum prouehit,
Non quod bene illis eſſe conſultum velit:
Sed vt inde caſu inſigniore corruant.

Alterum exemplum eſt ex Meleagro Antiphontis;

Non

Non vt feram conficiant, ſed teſtatior
Meleagri virtus tota vt eſſet Græcia.

Tertium eſt ex Aiace Theodectis, quod Diomedes Vlyſſem ſibi præ cæteris comitem elegiſſet, non quia eum magniface-ret, ſed vt comitem inferiorem haberet. lib.3. cap.16. ſic legi-tur: Cõmune etiam eſt criminanti, & defendenti, quod idem contingit plurium cauſſa geſtum eſſe; vt criminanti quidẽ de-prauandum ſit, in peius arripiendo: defendenti vero in melius. Vt quod Diomedes Vlyſſem prælegit; illi quidem, eo quod optimum exiſtimauit Vlyſſem: huic vero, quod non, ſed quia ſolus non erat concertaturus, vt ignauus. Reducitur hic locus ad decimumquartum Ciceronis a cauſſis.

Vigeſimusſecundus locus eſt communis iudiciorum, & de-liberationum ex cauſſis impellentibus, vel retrahentibus. pri-mum ſi fieri poteſt: nam de iis, quæ fieri non poſſunt, non con-ſulratur. Deinde ſi facile eſt, ita vt ſine dolore, & breui tempo-ris ſpatio fieri queat. Præterea ſi vtile eſt aut ipſi, aut amicis: nam hoc maxime ſpectatur in deliberationibus. Tum ſi per-nicioſum eſt inimicis, & noxium. Poſtremo ſi minor eſt noxa, quam res, & lucrum. Atque hic locus eſt tota ars Pamphili, & Callippi. Et reducitur quoque ad locum a cauſſis.

Vigeſimustertius locus eſt ex iis, quę videntur quidem fieri, ſed incredibilia ſunt. Dici enim poteſt, quod non viſa eſſent, niſi aut eſſent, aut propemodum eſſent. Præterea dici poteſt, cum huiuſcemodi ſint, ea magis credi debere. Cum enim ho-mines duobus modis ad credendum inducantur, vel cum ve-ra, vel cum veriſimilia dicũtur, quoniam quod incredibile eſt, omnino non eſt veriſimile, neceſſitas cogit, vt cum accidit, ve-rum ſit. Neque enim dici poteſt, ita videri, quia veriſimile ſit, & appoſitum ad fidem, cum ſit præter omnium opinionem. Itaque ſi veriſimile non eſt, vt verum ſit, neceſſe eſt. Vt Andro-cles Pittheus, cum in lege quadam accuſanda dixiſſet, Egent leges lege, quæ ipſas corrigat; eique populus obſtreperet; Quippe, inquit, & piſces egent ſale. quod tamen veriſimile non eſt, neque appoſitum ad fidem, cum in ſalſo alantur, ſale egere: Et oleæ oleo; etiam ſi incredibile ſit, ex quibus oleum naſcitur, ea ipſa oleo egere. Reducitur hic locus ad decimum quinctum Ciceronis ab effectibus.

Vigeſimusquartus locus eſt ex repugnantibus. ſunt autem repugnantia vnum contrarium, & conſequens alterius contrarij. Vt amare, & non amare contraria ſunt. Non amare conſequitur conſpirare cum Triginta. Itaque amare vos, & conſpirare cum Triginta repugnantia ſunt. Et eſſe litigioſum, ac non eſſe litigioſum contraria ſunt. Non eſſe litigioſum conſequitur nullum iudicium intentaſſe. Ergo eſſe litigioſum, & nullum iudicium intentaſſe inter ſe repugnant. Et dare mutuo, ac non dare mutuo, contraria ſunt. Dare mutuo conſequitur multos liberare. Igitur nihil vnquam dediſſe mutuo, & multos liberaſſe, ac redemiſſe repugnantia ſunt. Eſt decimuſtertius Ciceronis.

Vigeſimusquinctus locus eſt ex cauſſa paradoxi, de quo Ariſtotelis verba ſunt, ἄλλος τοῖς διαβεβλημένοις καὶ ἀνθρώποις, καὶ πράγμασι μὴ δοκοῦσι τὸ λέγειν τὴν αἰτίαν τοῦ παραδόξου. ἔστι γάρ τι δι' ὃ φαίνεται, οἷον διαβεβλημένης τινὸς πρὸς τὸν αὑτῆς υἱὸν διὰ τὸ ἀσπάζεσθαι, ἐδόκει συνεῖναι τῷ μειρακίῳ· λεχθέντος δὲ τοῦ αἰτίου, ἐλύθη ἡ διαβολή. Alius in calumniam vocatis & hominibus, & rebus, quæ non exiſtimētur, dicere cauſſam paradoxi. Eſt enim aliquid, ob quod appareat, vt cū affecta eſſet calumnia quædam, quia ſuum ipſius filium complecteretur, videbatur cōcumbere cū adoleſcente. dicta vero cauſſa, ſoluta eſt calumnia. Victorius legit προδιαβεβλημένοις, Quibus turpis nota prius inuſta fuerit. & ὑποβεβλημένης τινὸς τὸν αὑτῆς υἱὸν διὰ τὸ ἀσπάζεσθαι. Cū mulier viro ſe ſubieciſſet, vt arctius ſalutaret. Muretus ea licentia, qua vtitur maxima, multa prætermittit, & vertit ſic; Alius allata cauſſa calumniā diſſoluere. Vt, cum quædā mulier corpus ſuum corpori filij ſubieciſſet, vt eum amplexaretur, &c. Affertur alterum exemplū ex Aiace Theodectis, vbi Vlyſſes aduerſus Aiacem cauſſam exponit, cur cum ſit Aiace fortior, talis tamē non videatur. Reducitur ad locū Ciceronis a cauſſis.

Vigeſimusſextus loc⁹ eſt ex cauſſa, vt ſi cauſſa ſit, dicatur res eſſe. ſi cauſſa nō ſit, dicatᷣ res nō eſſe. ſimul. n. ſunt cauſſa, & cui⁹ cauſſa: & ſine cauſſa nihil eſt. Vt non fuit cauſſa, cur Leodamas ſub Triginta Tyrānis abraderet nomē ſuū, ſi in colūna, q̄ in arce erat, ignominiæ cauſſa inſcriptū fuiſſet, vt dicebat Thraſybulus accuſator: tāto. n. plus fidei ei habuiſſent Triginta, ſi inimicitias ipſius cum populo illa inſcriptione teſtatas vidiſſent.

Ergo

Ergo non abraſit. Eſt notus locus Ciceronis a cauſſis.

Vigeſimusſeptimus locus eſt ex inſpectione melioris, ſcilicet, num alia ratione cõmodius fieri potuerit, aut poſſit. Conſtat enim, ſi res hoc pacto non ſe habet, ipſum non egiſſe. Nemo enim ſponte eligit ea, quæ minus cõmoda ſunt, talia eſſe cognoſcens. At hoc eſt captioſum. Sæpe enim re iam cõfecta, cognoſcit aliquis, quomodo ea commodius confici potuerit, cum id ei antea obſcurum eſſet, ita vt hoc argumentum non prorſus valeat, Si non fecit, cum melius ei licuit facere, ne fecit quidem, cum peius licuit. Reducitur ad locum a maiori. Et vbi legitur, εἰ μὴ οὕτως ἔχει, Muretus delet particulã negantem.

Vigeſimusoctauus locus eſt ex contrario eorum, quæ geſta ſunt. Vt Xenophanes Eleatis rogantibus, nũ ſacrificarent Leucotheæ, & lugerent, necne; conſuluit, ſi exiſtimarent Deam, ne lugerent: ſi hominem, ne ſacrificarent. Reducitur ad locum a repugnantibus.

Vigeſimusnonus locus eſt ex errore, & malefacto. Vt in Medea Carcini, alij quidẽ eam accuſant, tamquam filios interfecerit: cui rei argumento eſſe dicunt, quod pueri non compareant. Errauerat enim Medea in filiis amandandis. Ipſa autem ita ſe defendit, quod non filios, ſed ipſum Iaſonẽ interfectura fuerit. nam ſi alterum perpetraſſet, erraſſet ſane, ſi hoc alterum omiſiſſet. Dicitur hic locus eſſe ars Theodori, & poteſt reduci ad locum a cauſſis.

Trigeſimus locus eſt ex nomine. Primum exemplũ affertur ex Sophocle; Vere Sidero nomen ex merito gerit. ἀπὸ τοῦ σιδήρου, a ferro. Alterum exemplũ eſt, quod ſic ſolent in deorũ laudibus dicere, & exponere vim, ac poteſtatẽ vocabulorum, vt dictus eſt Ζεὺς quaſi præbitor vitę. Tertium eſt Cononis, qui vocabat Thraſybulũ vere Thraſybulum, & audaci cõſilio. Quartum Herodici, qui dicebat Thraſymacho, Semper Thraſymachus es, id eſt, audax in pugnando; & litibus, ac cõcertationib. gaudens. Quinctũ eiuſdem, qui dicebat Polo, Sẽper polus es, id eſt, morib. petulãtibus, nimiſq; iuuenilibus. valet. n. quoq; id nomẽ pullũ equorũ, & aſinorũ. Quare affirmabat, ipſum ſemper, vt nomẽ declarabat, pullũ aſininũ, equinũue futurũ, quod naturã, indolemq; teneri aſelli, aut equuli retineret. Sextũ eiuſdẽ in Draconis legiſlatorẽ, quod nõ hominis leges eſſent, ſed

draconis,quia aſperæ. Septimum Euripidis in Aphroditen, & Venerem, Merito eius nomen ab imprudentia incipit. Ἀφροδίτη ὡς ἄρχουσα ἀφροσύνης, Aphrodite quaſi initium imprudentiæ. Octauum Chæremonis; Pentheus futuro nomen a luctu gerens. Eſt locus tertius Ciceronis a notatione.

Addit Ariſtoteles, quoniam cum contraria inter ſe conferuntur,ea magis illucent,idcirco enthymemata,quæ valent ad refutandum magis probari, quippe quæ contineant contrariorum collationem.

Et laudari etiam illa enthymemata, quæ cum incipiũt proferri, ſtatim intelliguntur, & prouidentur. Cum autem id poſſit euenire duabus de cauſſis, vel quia nimis in promptu ſint, vel quia acumen habeant; reiicit Ariſtoteles primam cauſſam ab enthymematibus,quæ probantur.

Addit quoque probari illa,quæ cognoſcuntur,ſimul ac prolata fuerint,vt Nemo omnium liber eſt:vnuſquiſque enim aut fortunæ,aut pecuniæ ſeruus eſt.

Ad hos autem locos referri quoq; propoſitiones generum propriæ, ac communes poſſunt. Nam quemadmodum illæ a fine cuiuſque generis ducuntur, qui ſub loco cauſſarum continetur,nempe ab vtili,ab honeſto,a iuſto,quæ libro primo ſunt explicatæ: ſic hæ, quæ huius libri capite decimonono traditæ ſunt, ab iiſdem locis deduci queunt; vt prima propoſitio eius, quod fieri poteſt,a contrariis: ſecunda a ſimili: tertia a minori: quarta a cauſſa: quincta ab effectu: ſexta, ſeptima, octaua, nona ab iis, quæ conſequuntur, vel antecedunt: decima a partibus: vndecima a toto: duodecima a genere: decimatertia a forma: decimaquarta a relatis: decimaquincta a minori: decimaſexta etiam a minori. Eodem modo prima eius, quod factum eſt, a minori: ſecunda ab iis, quæ conſequuntur: tertia vſque ad octauam a cauſſis, ſeu præcedentibus: nona etiam ab iis, quæ conſequuntur.
Sic prima, & ſecunda propoſitio futuri a cauſſa: tertia a præcedentibus: quarta ab effectis. Similiter propoſitiones magni, & parui a comparatione maiorum, minorum, parium.

Atque in nonnullis horum locorum ab amico quodã meo diſſentio, qui tradit coniugata inter ſe conuerti, quod tamen

non

non eſt prorſus verum. Nam ſi illi ſunt Grammatici, & Muſici, qui agunt res Grammaticas, & Muſicas, non ſimpliciter illi, qui agunt res Grāmaticas, & Muſicas, ſunt Grāmatici, & Muſici, quia poſſunt agere vel fortuito, vel alio ſuggerente, & non ex ea, quæ in ipſis ſit, Grāmatica, & Muſica. Sic ſi iuſti ſunt, & temperantes, qui agunt res iuſtas, & temperatas, non ſimpliciter, qui agunt res iuſtas, & temperatas, ſunt iuſti, & temperantes, quia agere alio modo, quam ex habitu iuſtitiæ, & temperantię queunt; quemadmodum etiam, antequam eum habitū adipiſcantur, agunt homines res iuſtas, & temperatas, tamen nondum ſunt iuſti, & temperantes, ſed fiunt, vt doctiſſime Ariſtoteles lib. 2. Ethicorum cap. 4. explicauit. Huiuſmodi igitur ſunt coniugata, & tamen inter ſe non conuertuntur. Idē affert exemplum argumēti ducti a ſpecie ex prima Philippica Ciceronis; Quæ lex melior, vtilior, optima etiam in Rep. ſæpius flagitata, quam ne prætoriæ prouinciæ plusquam annū, ne plus quam biennium conſulares obtinerentur? Hac lege ſublata, videnturne vobis acta Cæſaris ſeruari? Appellat hanc legē ſpeciem, quæ tamen cum de pluribus non dicatur, ex præceptis Dialecticorum ſpecies appellari non poteſt. Quare erit potius argumentum a parte ad totum. Nam cum ſublata vna parte totius non ſit amplius totum, ſublata hac lege, acta Cęſaris ſeruari vniuerſe dici non debet. Quamquam aliæ leges Cæſaris ibidem enumerantur, vt illud argumentum ab enumeratione partium omnino eſſe videatur. Sic, cum declarat inductionē, accipit rem ſingularem pro ſpecie. Hanc enim dicit eſſe inductionem a ſpecie ad genus; Dominatus Tarquinij fuit violentus, & non perdurauit: ſic dominatus Cæſaris: ſic dominatus aliorum. Igitur nullus dominatus violentus eſſe perpetuus poteſt. Dicit in hunc modum argumentum duci a conſequēti; Si res mortua eſt, etiam generata eſt. At res mortua eſt. Ergo generata eſt. Itaque ſpectat, quod eſt conſequens in natura, non in argumentatione. Nam quod attinet ad rationem argumentandi, quæ ex auctoritate Boethi attendenda eſt, ſine dubio eſt argumentum a poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis. Qua de re quoque ſcripſi in decimumquinctū locum Ariſtotelis. Exponit cum Quinctiliano illud eſſe a maiori pro

Cæcinna;Quod exercitus armatos mouet,id aduocationẽ togatorum non videbitur mouiſſe? Eſt tamen ex doctrina Ariſtotelis a minori,vt notaui quoque in quartum locum. Declarat locum adiunctorum, vel conſentaneorum his verbis orationis pro lege Manilia; Hæc fides,atque hæc ratio pecuniarũ, quæ Romæ, quæ in foro verſatur, implicita eſt cum illis pecuniis Aſiaticis,& cohæret:ruere illa non poſſunt,vt hæc non eodem labefactata motu concidant. Adiuncta tamen apud Ciceronem in Topicis dicuntur illa, quæ finitimam vnicuiq; rei naturam tenent ita,vt nullam habeant neceſſitatem; & ab antecedentibus, ac conſequentibus ſeiunguntur, quod adiuncta non ſunt neceſſaria: antecedentia vero,& conſequentia neceſſario antecedunt,& conſequuntur. Quamobrem exemplũ illud antecedentia potius, & conſequentia, quam adiuncta videtur continere. Si enim anteceſſiſſet hoc,vt pecunię Aſiaticæ ruerent, illud neceſſario eſſet conſecutum, vt fides,& ratio pecuniarum,quæ Romæ,quæ in foro verſabatur,eodem labefactata motu concideret. Iam ad Ariſtotelem reuertamur.

IN CAPVT VIGESIMVMQVARTVM, *de locis enthymematum adumbratorum.*

EAdem eſt ratio ſyllogiſmi,& enthymematis,vt, quemadmodũ alij vete ſyllogiſmi ſunt, alij non ſunt,ſed apparent, ſic alia vere enthymemata ſint,alia non ſint,ſed appareant.enthymema enim eſt ſyllogiſmus quidã,vt, quod dicitur de ſyllogiſmo, idem de enthymemate dicendũ eſſe videatur. Cũ autẽ loci enthymematum verorum ſint explicati,ſequitur,vt etiam loci enthymematum adumbratorum, & apparentium explicentur. Ac fallacia quidem talium enthymematum dupliciter ſpectatur,partim in verbis, partim in rebus.

Et fallacia verborum habet quattuor locos, quorũ primus eſt ex forma dictionis,cum dicitur in modũ concluſionis illud, quod ſyllogiſmo concluſum non ſit. Non ergo & hoc,& illud. Neceſſe igitur eſt & hoc,& illud. Non ergo Cæſar eſt & tyrannus,& iuſtus. Neceſſe igitur eſt,vt Cæſar ſit & improbus,& vituperandus. Et cum contorte,atque oppoſite dicitur. Tu putas eſſe melius videri fortem iniuriam inferendo : ego vero præſtare exiſtimo eſſe iuſtum iniuriam patiendo. Et cum dicuntur

multorum

multorum capita ſyllogiſmorum. Hos quidem ſeruauit: illos vero vltus eſt: Græcos autem in libertatem vindicauit.

Secundus locus eſt ex homonymia, cum alia ſignificatio in aſſumptione, alia in cõcluſione ſpectatur. Primũ exemplũ eſt; Myſteria ſunt ſacra omniũ auguſtiſſima ergo Mys, qui Græce ſignificat murem, vnde dicta ſunt myſteria, eſt animal magni pretij. Secundum exemplũ eſt; Canis cœleſtis, & canis, qui eſt deus Pan, celebrandus eſt. ergo canis celebrandus eſt. De cane deo ita cecinit Pindarus; O beate, quẽ & magnæ Deæ omnifariũ vocãt Olympij. Tertiũ; Non eſſe canẽ priuat aliquo honore, vt diuinitatis, quæ eſt in Deo Pane, & ſplẽdoris, qui eſt in cane cœleſti. ergo eſſe canẽ honoratũ eſt. Quartũ; Mercurius ſolus vocatur cõmunis. eſt enim nuncius omniũ deorũ. Ergo eſt maxime cõmunis, id eſt, ad cõmunicanda ſua maxime propẽſus, & liberalis. Quinctum; Præſtantes viri non pecuniis, ſed logo ſunt digni. Ergo logo eſſe dignũ eſt res præſtantiſſima. Logo enim eſſe dignũ dicit̃ dupliciter, tũ exiſtimatione, tũ ſermone.

Tertius locus eſt ex cõiunctione diſiunctorũ, vel diſiunctione coniunctorũ. Nõ enim omnia, quæ prædicãtur diſiunctim, poſſunt cõiunctim prædicari. Nã hæc quidẽ prædicata diſiunctim ſunt vera, Homo eſt animal, Homo eſt bipes: quæ etiã cõiunctim ſunt vera, vt Homo eſt animal bipes. Sed hæc prædicata diſiunctim ſunt vera, Socrates eſt bonus, Socrates eſt citharœdus: quæ cõiunctim nõ ſunt vera, vt Socrates eſt bonus citharœdus. Itaq; vel prædicata cõueniunt in vnã eſſentiã, & tũc, quæ prædicãtur diſiunctim, poſſunt etiã coniunctim prædicari: vel prædicatio eſt ſecundũ accidens, & tũc prædicata diſiũctim vera, cõiunctim falſa ſunt. Præterea nõ omnia, quæ cõiunctim prædicantur, diſiunctim prædicari queunt. Nã cũ eſt aliqua cõtrarietas inter prædicata, tunc cõiunctim vera eſt, prædicatio, diſiunctim falſa: vt Si quis dicat, Socrates eſt homo mortuus, cõtrarietas eſt inter hominẽ, & mortuũ, quia homo viuit, & mortuus vita eſt priuatus: cumq; prædicatio illa valeat cõiunctim, nõ valet diſiunctim in hũc modũ; Socrates homo eſt. præterea ſi quod prædicatũ nõ per ſe, ſed per accidẽs ſit, quæ cõiunctim prædicãtur, diſiunctim prædicari nequeũt, vt ſi dicat̃, Homerus eſt poeta, vera eſt prædicatio. Sed ſi dicatur, Homerus eſt, vera non eſt,

quia is amplius non viuit. Iam ab Ariſtotele ſex afferuntur exempla. Primum eſt Euthydemi; Scis in Piræeo. Scis Triremem eſſe. ergo ſcis in Piræeo Triremem eſſe. Alterum eſt; Scis elementa, ex quibus conſtat carmen. ergo ſcis carmen. Tertium eſt; Duæ vnciæ ſunt malæ. ergo vna non bona. abſurdũ enim eſt, vt duæ vnciæ conficiant vnum malum, & ſint duo bona. Quartum: Duæ vnciæ ſunt malæ. ergo vna vncia mala. ſi enim duo mala ſunt, vnum non poteſt eſſe bonum. Hoc valet ad demonſtrandum; illud ad refutandum. Et totus hic locus dicitur eſſe captioſus. Quinctum eſt Polycratis in Thraſybulũ; quod Thraſybulus triginta ſuſtulit: & Thraſybulus Tyrannos ſuſtulit. ergo Thraſybulus triginta Tyrannos ſuſtulit. Sextum ex Oreſte Theodectis; Iuſtum eſt Clytemneſtram mori, quæ maritum interfecit. Iuſtum eſt Oreſtem vlciſci mortem patris. ergo iuſtum eſt Chytemneſtram mori per Oreſtem.

Quartus locus eſt ex indignatione, & exaggeratione, cum qui reum aliquid feciſſe non docuit, rem ipſam amplificat, & extollit. Efficit enim hæc ratio, vt de duobus alterum videatur, aut non feciſſe eum, qui accuſatur, ſi ipſemet eam rem in maius attollat: aut feciſſe, ſi accuſator excandeſcat. Enthymema igitur non eſt: decipitur enim auditor, factum, aut nõ factum id putans, de quo nihil tale demonſtratum eſt.

Fallacia vero rerum habet ſex locos, quorum primus eſt ex ſignö. ἄλλος τὸ ἐκ σημείου. ἀσυλλόγιστον γὰρ καὶ τοῦτο. οἷον εἴ τις λέγοι. Alius ex ſigno. Neque enim ſub ſyllogiſmum hoc cadit. Vt ſi quis diceret &c. Muretus delet illud, ἀσυλλόγιστον γὰρ καὶ τοῦτο, vertens ſic; Alius ex ſigno. Vt ſi quis dicat &c. Intelligitur autem ſignum innominatum, quod fallit in tertia, vel in ſecunda figura ſyllogiſmorum. In tertia ſic; Harmodius, & Ariſtogiton fuerunt vtiles Reip. Athenienſi, cum Tyrannum Hipparchum euerterunt. Harmodius, & Ariſtogiton fuerunt amatores. Ergo omnes amatores ſunt vtiles Rebuſpublicis. Nihil enim ex ſolis ſingularibus poteſt ſyllogiſmo concludi. In ſecunda ſic; Omnes fures ſunt improbi. Dionyſius eſt improbus. ergo fur. Fallacia eſt, quod in hac figura ex ſolis affirmantibus nihil poteſt probari, ſed neceſſe eſt, vt aliqua propoſitio neget.

Secundus locus eſt ex eo, quod accidit. Primum exemplum eſt Po-

424

eſt Polycratis in mures,quod mures ſunt quandoq; vtiles,quia opem tulerunt cuidam genti,comedentes neruos arcuũ,quos eius hoſtes habebant. Alterum exemplum eſt, quod ad cœnã vocari honorificentiſſimũ eſt, quia Achilles in Tenedo, quod vocatus non fuiſſet, grauiter Achiuis ſuccenſuit. At ille ſuccenſuit tamquam ignominia affectus. accidit autem hoc ex eo, quia non vocatus fuit.

Tertius locus eſt ex conſequenti. Primum exemplum affertur ex Alexandro; Magnanimi multorum conſuetudinẽ contemnunt. Alexander multorum conſuetudinem contemnens in Ida ſolus agebat. ergo magnanimus erat. Fallit argumentũ in ſecunda figura. Alterum exemplum; Adulteri ſe comunt, & noctu vagantur. Hic ſe comit, & noctu vagatur. ergo eſt adulter. Tertium; Felices & cantant, & ſaltant. Mendici & cantant, & ſaltant. ergo Mendici ſunt felices. Quartum; Felicibus licet vagari. Exulibus licet vagari. ergo exules ſunt felices.

Quartus locus eſt, ex non cauſſa, quaſi cauſſa, vt quia ſimul, aut poſtea factum ſit. quod enim poſtea euenit, quaſi propterea euenerit, accipiunt. & maxime in Reip. tractatione. Vt Demades dixit Demoſthenis publicã adminiſtrationem omniũ malorum cauſſam fuiſſe: poſt eam enim accidit bellum.

Quinctus locus eſt, ex omiſſione temporis, & modi. Vt, optionem habuit Helena ſequendi virum, quem vellet. ergo iure potuit fugere cum Alexandro. At non habuit optionẽ ſemper. Et qui cædit liberum hominem, contumeliam facit. hic cædit. ergo facit. At non omnino illud eſt verum: ſed tantum, cum prior laceſſit iniuria, & non cum ſe ipſum defendit.

Sextus locus eſt ex eo, quod non ſimpliciter eſt veriſimile. Quemadmodum enim in contentioſis ab eo, quod eſt ſimpliciter, & eo, quod non ſimpliciter, fit apparens ſyllogiſmus, ſed quidam; exempli gratia, cum probatur in Dialecticis, eſſe quod non eſt, quia id, quod non eſt, eſt id, quod nõ eſt: & quod cognoſci non poteſt, ſciri poſſe, quia quod cognoſci non poteſt, ſciri poteſt, id cognoſci non poſſe: ſic quoque in Rhetoricis eſt apparens enthymema ab eo, quod non ſimpliciter veriſimile eſt, ſed quoddã veriſimile. de quo ſic legitur in Poetica; Eſt autem hoc, cum ſapiens quidem, ſed improbus, dece-

ptus fuerit,vt Siſyphus: & fortis quidem,ſed iniuſtus,ſuperatus ſit. Atq; hoc veriſimile eſt, vt Agathon dicit. Veriſimile enim eſt fieri multa præter veriſimile. Vnde colligitur,duplex eſſe veriſimile, vnum, quod fit plerunque,vt cum aſtutus decipit, & fortis ſuperat: alterum,quod fit raro; & dicitur veriſimile præter veriſimile ex ſententia Agathonis, vt cum aſtutus decipitur,& fortis ſuperatur. Dictum Agathonis hic etiam commemoratur; Fortaſſe aliquis veriſimile id ipſum eſſe dixerit,mortalibus multa euenire non veriſimilia. Fit enim quandoq; etiã id,quod eſt præter veriſimile.Quare veriſimile eſt etiam,quod præter veriſimile eſt. Itaque quod non eſt veriſimile,erit veriſimile, ſed non ſimpliciter. Vt enim in Contentioſis cum Qua ex parte, & Qua relatione, & Vbi non additur, id efficit fallaciam,vt,oculus eſt albus, oculus non eſt albus, quod eſt verum in diuerſis partibus; & decem ſunt dupli, decem non ſunt dupli, quod etiam eſt verum, ſi ad diuerſa referantur, vt ad quinarium,& ad ſenarium; &,Socrates ſedebat, Socrates non ſedebat; quod quoque verum eſt in diuerſis locis, & temporibus: ita hic præter veriſimile eſſe, non ſimpliciter, ſed quoddã veriſimile eſt. Additur ex hoc loco artem Coracis eſſe compoſitam. Aut enim quis non eſt obnoxius culpæ, vt debilis: aut eſt obnoxius,vt robuſtus. in debilem enim non tam facile cadit ſuſpicio verberationis, quam in robuſtum; Vtroq; autem modo parata defenſio eſt. Primo modo, quod non eſt veriſimile. vt debilis alium verberarit. Secundo modo,quod non eſt veriſimile, vt robuſtus verberarit, facile intelligens id in ſe veriſimile viſum iri. Itidemque in ceteris: neceſſe enim eſt, aut talem eſſe,vt in eum cadat ſuſpicio,aut talem,vt non cadat. Ac apparet quidem vtraque veriſimilia eſſe; ſed vnum veriſimile ſimpliciter, vt debilem non verberaſſe alium, robuſtum vero verberaſſe: alterum veriſimile quoddam,vt debilem verberaſſe,robuſtum non verberaſſe.Et vtrumque eſt veriſimile,& non eſt veriſimile. Nam eſt veriſimile, quia aut euenit plerunque, aut euenit raro. Non eſt autem veriſimile, quia aut facile cadit ſub ſuſpicionem, vt propterea non committatur: aut eſt præter veriſimile. Hoc, inquit Ariſtoteles, illud eſt, quod dicitur, efficere, vt cauſſa inferior ſuperior fiat. Vnde merito auerſa-

bantur

bantur homines id,quod Protagoras profitebatur. Falſum enim eſt,& non verum,ſed apparens veriſimile, & in nulla arte niſi in Rhetorica, & Contentioſa. Fuit Protagoras primus ſophiſta, qui primus docuit mercede. quod, inquit Philoſtratus, vituperari nec poteſt, nec debet. Quæ enim impendio aliquo nobis conſtant,gratiora ſunt: &, vt inquit Hieronymus, putent gratuitæ merces. Narrat Ariſt.lib.9.Ethicorum,Protagoram ſolitum fuiſſe, vbi ea perdocuiſſet, quæ profiteretur,iubere, vt diſcipulus proferret æſtimationem eorum, quæ ipſe didiciſſet, & tale pretium accipere.

Ac de enthymematibus quidem tum de iis, quæ ſunt, tum de iis,quæ videntur, dictum eſt. Quare ſequitur,vt de diſſolutionibus enthymematum diſſeratur.

IN CAPVT VIGESIMVMQVINCTVM, *de ſolutionibus enthymematum.*

EXponitur,quomodo enthymemata ſoluantur,tum generatim, tum ſpeciatim.

Generatim enim diſſoluuntur duobus modis; tum contra ratiocinando, & argumentum firmius afferendo, vt ſi quis de bello gerendo argumentatus fuerit ab honeſto,poteſt diſſolui argumentum ab vtili, quod in deliberationibus præcipuũ eſt: tum obiectionem afferendo, & quæ aſſumpſerit aduerſarius reprehendendo. Iidem autẽ loci,qui ſuperius enumerati ſunt, valent ad contrariam ratiocinationem afferendam. Etenim ex iis,quę in opinione hominum ſita ſunt,ſyllogiſmi eruuntur: multis autem de rebus homines contraria opinantur. Obiectiones vero afferuntur, vt etiam in Topicis,quattuor modis, aut ex eodẽ,aut ex cõtrario,aut ex ſimili,aut ex rebus iudicatis.

Primus igitur obiectionũ locus eſt ex eodem, aut vniuerſe, vt omnis indigentia eſt malũ. ergo amor non eſt bonum: aut in parte, Vt Caunius amor fuit malus, quo Byblis miſerrime arſit erga Caunũ fratrẽ ſuum. ergo nõ omnis amor eſt bonus.

Secundus locus eſt ex ſimili, quod eadem ratio ſit eorũ, qui malum,& eorum,qui bonum acceperunt,vt quemadmodum illi non ſemper diligunt,ita hi non ſemper odio habent.

Tertius locus eſt ex cõtrario,quod homo improbus non omnib. amicis malefacit. ergo ne probus quidẽ omnib.amicis benefacit.

Quartus locus eſt ex re iudicata, vt Pittacus lege conſtituit grauiores pœnas, ſi quis temulentus deliquiſſet. ergo temulentis non oportet veniam dare, etiamſi ignorantes peccent.

Speciatim autem enthymemata diſſoluuntur, ſi cum ducantur ex quattuor, nempe ex veriſimili, exemplo, tecmerio, ſigno, ſoluatur aut veriſimile, aut exemplum, aut tecmerium, aut ſignum. τὰ δὲ δι' ἐπαγωγῆς διὰ τοῦ ὁμοίου, ἢ ἑνὸς, ἢ πλειόνων, ὅταν λαβὼν τὸ καθόλου, εἶτα συλλογίσηται τὸ κατὰ μέρος, διὰ παραδείγματος. Quæ vero ex inductione rei ſimilis, aut vnius, aut plurium, cum aliquis, qui aſſumpſerit vniuerſale, deinde concludat id, quod eſt in parte, ab exemplo. Admonet Victorius cogitandum eſſe, vtrum pelli debeat poſteriori loco præpoſitio διὰ, an potius tollenda ſint antecedentia duo verba δι' ἐπαγωγῆς. Nihil tamen immutare audet. At Muretus non ſolum ea duo verba omittit, ſed etiam alia, dum conuertit ſic; Quæ autem per vnum ſimile, aut plura, per exemplum. paullo poſt ſunt illa verba, τὸ δὲ εἰκὸς οὐ τὸ αἰεὶ, ἀλλὰ τὸ, ὡς ἐπιτοπολύ. Veriſimile autem eſt, non quod ſemper, ſed quod plerunque. Dubitat Victorius, an hæc verba, tamquam interiectum gloſſema, ſint relinquenda. Sigonius relinquit. Iam vidēdum eſt, quomodo veriſimile, exemplum, tecmerium, ſignum ſolui poſſint.

Ac veriſimile quidem ſolet ſolui, non vt dicatur veriſimile non eſſe, ſed vt neceſſarium non eſſe. Quod tamen non eſt ſatis: ſed oſtendendum eſt, veriſimile non eſſe, quia id, quod obiicitur, frequentius fiat. Atque hoc duobus modis; aut tempore, cum crebro fiat, contra quam dicit aduerſarius, vt Familiarius locutus eſt cum muliere, ergo veriſimile eſt adulterum eſſe; immo vero non eſt veriſimile, quia crebro fit contrarium: aut rebus ipſis, quia res plurimæ ſecus fiant, ac ille ait, vt Sapiēs eſt, ergo veriſimile eſt, arrogantem eſſe; immo vero non eſt veriſimile, quia ſapientes plurimi non ſunt tales.

Exempla ſoluuntur, quod aliquid non ſic euenerit; Vt, non ſemper, qui Reſp. adminiſtrarunt, infelices exitus habuerunt: & quod id, quo de agitur, non ſit ſimile; Vt, ſi Catilina expulſus eſt, non ſic debebat expelli Cicero. diuerſa enim eorum fuit ratio.

Signa innominata ſoluuntur, quod non recte concludant, vt apparet ex Analyticis; ſiue ſit ſingulare ad vniuerſale, quod eſt ſolubile in tertia figura ſyllogiſmorum, vt Pittacus probus, Pittacus ſapiens, ergo omnes ſapientes probi: ſiue vniuerſale ad ſingulare, quod ſolui poteſt in ſecunda figura, vt quælibet fœmina grauida eſt pallida, hæc pallida, ergo grauida.

Tecmeria ſolui non poſſunt, niſi negetur antecedens. Vt quæ peperit, cum viro concubuit: hæc peperit: ergo cum viro concubuit. Non enim ſolui poſſunt eo modo, quo ſigna innominata, quia non recte concludant, & ſub ſyllogiſmũ non cadant, vt patet ex Analyticis: ſed oſtendendum eſt, verum non eſſe id, quod dicitur, vt eam non peperiſſe. Nam ſi cõſtet verum eſſe, & tecmerium eſſe, inſolubile euadit.

IN CAPVT VIGESIMVMSEXTVM, *de amplificatione, de enthymematibus appoſitis ad ſoluendum, de obiectione.*

QVæritur, cur amplificatio, & diminutio inter locos enthymematum enumerata non ſit. idem autem vocatur elementum, & locus: eſtque elementum, & locus, in quẽ multa enthymemata cadunt. Affertur illa ratio, quia amplificatio, & diminutio ſunt potius enthymemata quædam ad demonſtrandum magnum, & paruum, quam loci enthymematum; quemadmodum etiam illa, quę demonſtrant bonum, aut malum, & iuſtum, aut iniuſtum, & quodlibet aliorum, in quibus verſantur ſyllogiſmi, & enthymemata. Quare ſi nullum horũ eſt enthymematis locus, ne amplificare quidem, & diminuere loci fuerint. Cicero in Partitionibus definit amplificationem, vehementem argumentationem; duplicem faciens argumentandi rationem, alteram cauſſa docendi, alteram cauſſa commouendi, quæ proprie dicitur amplificatio.

Quæritur etiam, an enthymemata refutationis ſint diuerſi generis ab enthymematibus confirmationis. Id negat philoſophus. Nam, cum refutamus, certe aut demonſtramus, aut obiectionem afferimus. Ac demonſtramus quidem aut factum eſſe, quod aduerſarius contendit factum non eſſe, aut fa-

ctum non eſſe, quod ille ait factum eſſe, quæ vel confirmationi conueniunt. Cum vero obiectionem afferimus, non facimus quidem enthymema (obiectio enim enthymema non eſt) ſed dicimus opinionem aliquam, qua planum fiat, aut ſyllogiſmũ non recte cõcluſum, aut falſum aliquid pro vero ſumptũ eſſe.

Ἐπεὶ δὲ τρία ἐστιν, ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον, ὑπὲρ μὲν παραδειγμάτων, καὶ γνωμῶν, καὶ ἐνθυμημάτων, καὶ ὅλως τῶν περὶ τὴν διάνοιαν. Recte putauit Victorius, priora verba eſſe delenda; quem ſecuti conuertimus ſic; De exemplis quidem, & ſententiis, & enthymematibus, & omnino iis, quæ pertinent ad mentis agitationem. Sigonius illa verba non deleuit, & conuertit; Quoniam autem tria ſunt, quæ tradere de oratione oportet, de exemplis quidem, & ſentẽtiis, & enthymematibus, & omnino iis, quæ ad animi ſenſa pertinent. Muretus illud ὑπὲρ γνωμῶν, καὶ τῶν περὶ τὴν διάνοιαν, vertit de ſententiis, & iis, quæ ad ſententiam pertinent; ambiguitate vocabuli vſus, quo & γνώμη, & διάνοια ſignificatur. Nos, ne Ariſtoteles idem repetere videretur, variauimus, & mutauimus vocabulum, vt etiam ipſe Ariſtoteles fecit.

Cum igitur de exemplis, de ſententiis, de enthymematibus, omninoque de iis, quæ ad mentis pertinent agitationem, ſit diſputatum, & quomodo eorum copiam parare, ac quomodo ea diſſoluere oporteat, ſit explicatum; conſequens eſt, vt de elocutione, & de diſpoſitione diſſeratur.

IN CAPVT PRIMVM LIBRI TERTII, *in quot partes Rhetorica ſit diſtributa, de actione relata ad elocutionem, de elocutione oratoria diuerſa ab elocutione poetica.*

ARiſtoteles in tres partes Rhetoricam diſtribuit: vnam de iis, ex quibus fides fit: alteram de elocutione: tertiam de diſpoſitione partium orationis. Tres quoque Rhetoricæ partes facit Cicero in oratore ad Brutum, cum ſcribit, tria videnda eſſe oratori, Quid dicat, & Quo quidque loco, & Quomodo; quorum primum pertinet ad inuentionem, alterum ad diſpo-

diſpoſitionem, tertium ad elocutionem. Iam traditum eſt, ex tribus fidem exiſtere, eaque eſſe affectus, mores, argumentationes, & idcirco hæc tria eſſe, quia cum ex tribus oratio conſtet, auditore, oratore, & re illa, de qua dicitur; auditor ad affectum eſt impellendus: orator quibuſdam præditus moribus oſtendendus: res enthymematibus comprobanda. De quibus omnibus libro primo, & ſecundo eſt diſputatum; & nō ſolum declaratum, qui mores ſint exprimendi, & qui affectus excitandi: verum etiam vnde enthymemata paranda. Nam partim ex formis, partim ex locis ea ducenda eſſe, commonſtratum eſt. Quamobrem, cum tota prima pars Rhetoricæ, quæ eſt de fide, ſeu tribus fidei artificiis, nempe argumentationibus, moribus, affectibus, ſit explicata: ſequitur, vt ſecunda pars, quę eſt de elocutione, explicanda eſſe videatur. Duplex autem affertur cauſſa, quamobrem de elocutione agendum ſit; altera, quod non ſatis eſt tenere ea, quæ oportet dicere, ſed neceſſe quoque eſt, vt ea dicantur, quomodo oportet: altera, quod ratio elocutionis multum valet ad moratam orationem. Ac tria obſeruantur ex ordine naturæ, ſcilicet, res, verba, actio. Quæſitum eſt enim primũ, res vnde poſſint perſuaderi: alterũ, quomodo ipſæ exponãtur elocutione: tertiũ, cuiuſmodi actio eſſe debeat.

Ac de ipſa quidẽ actione aliquot pręcepta traduntur; primo loco eam habere vim maximam; quod declarauit Demoſthenes, cum actioni & primas, & ſecundas, & tertias dedit, vt legitur apud Ciceronem lib. 3. de orat. & in orat. ad Brutum. Et Aeſchines, cum lecta Rhodiis ſua in Cteſiphontem oratione, perlegit quoq; illam, quæ erat contra a Demoſthene pro Cteſiphonte edita, atq; illis admirantibus dixit, quanto magis admiraremini, ſi audiſſetis ipſum, vt narratur eodẽ libro tertio. Secundo loco, ante Ariſtotelis ætatẽ ea, quæ pertinẽt ad actionem, non fuiſſe ad artẽ redacta; nam & in Thragicã, & in Rhapſœdiam, quam Plato in 3. de Rep. dramatibus opponit, ſero prodiiſſe, dum ipſas Tragœdias agerent primum Poetæ. Tertio loco, quemadmodum actio obſeruata eſt in ſtudio poetarum, ita quoque in ratione dicendi eam obſeruandam eſſe; idque & ab aliis quibuſdam traditum eſſe, & a Glaucone Teio. Quarto eam conſiſtere in voce, quęmadmodũ ea oporteat vti

ad vnumquenque affectum,in qua ſpectantur tria, tũ magnitudo, vt quando magna, & quando parua, & media vtendum ſit: tum concentus,vt qui toni ſint adhibendi,acutusne,an grauis,& medius: tum numerus. varij enim numeri ſunt vſurpandi,vt dicetur quoque de numeroſa elocutione. Cicero in oratore ad Brutum ponit actionem in voce, & motu. In partitionibus, in voce, motu, vultu; quæ tria ſcribit eſſe moderanda. Quincto,actionem ſuis procemiis affectã fuiſſe; ita vt,quemadmodum in certaminibus poetarum plus valebant actores, quam poetæ: ſic quoque in ciuilibus certaminib. plus tribueretur actioni,quam aliis rebus,vitio ſcilicet Rerump.& ob improbitatem auditorum, qui patiebantur ſe tranſuerſos agi, cũ ſpectare magis argumentationem deberent. Sexto, nondum artem compoſitam fuiſſe de ipſis, ſcilicet ante tempus Ariſtotelis; qua de re ſic; οὔπω δὲ σύγκειται τέχνη περὶ αὐτῶν· ἐπεὶ καὶ τὸ περὶ τὴν λέξιν ὀψὲ προῆλθε· καὶ δοκεῖ φορτικὸν εἶναι καλῶς ὑπολαμβανόμενον. Nondum autem compoſita eſt ars de ipſis: quoniam & id,quod pertinet ad elocutionem, ſero prodiit: & videtur res leuis,ſi recte exiſtimetur. Sigonius; Nondum autem ars harum rerum eſt conſtituta; quia & ſero elocutio prodiit: quæ quidem ſi probe iudicetur,leuis res eſſe videtur. Nos illud περὶ αὐτῶν intelligimus de ipſis actoribus ſuperius nominatis: atque ita conuertimus, vt quemadmodum in contextu Græco, ſic etiam in Latino illud, Videtur eſſe res leuis, non ad elocutionẽ,ſed ad artẽ de actoribus referatur. Duæ enim rationes afferuntur, quamobrẽ nondũ ſit edita ars agendarũ orationũ; Prima,quia etiã ars elocutionis ſero ꝓdiit: altera qa ars actorũ, & actio ipſa eſt res leuis. Itaq; loquitur Ariſtoteles de actione, non vt Sigonius cum Victorio, Maioragio, & aliis, de elocutione. At dubitatur, quia ſuperius dictum eſt, actionem vim habere maximam: hoc autem in loco eſſe rem leuem. Quam dubitationem ita eximit philoſophus, vt doceat, actionem duobus modis conſiderari, aut ſecundum rectitudinem artis, & quatenus ars Rhetorica conſideratur abſolute, & in ſui natura, & ſic eſſe rem leuem,quia Rhetorica abſolute conſiderata ſolam argumẽtationem ſpectat: aut ſecundum id,quod neceſſarium eſt in Rhetorica, & quatenus ipſa refertur ad auditores,

tores,& hoc modo non eſſe rem leuem, ſed vim habere maximam. Quamobrem, cum tota traditio Rhetorica, vt affirmat Ariſtoteles, ad opinionem auditorum referatur, ipſius actionis, non vt rei recte ſe habentis, ſed vt neceſſariæ, cura ſuſcipienda eſt. Quod etiam intelligendum eſt de aliis omnibus præter argumentationem. Quoniam, inquit philoſophus, iuſtum eſt, nihil amplius quærere circa orationem, quam vt neq; moleſtiam, neque iucunditatem afferamus. Iuſtum enim eſt ipſis certare rebus,& rationibus. Quare ſi hæc iuſtitia, & hæc recta natura artis ſpectetur, alia præter argumentationem ſuperuacanea ſunt. Verumtamen ſi ſpectentur auditores, ad quos tota Rhetorica refertur, illa multum valent propter ipſorum auditorum improbitatem. In hac digreſſione additur ſic; Atque id quidem, quod pertinet ad elocutionem, habet aliquam paruã neceſſitatem in omni doctrina. Intereſt enim quiddam ad declarandum, itane, an ita dicas: non tamẽ tantopere. ſed omnia hæc phantaſia conſtant, & referuntur ad auditorem. Quamobrem nemo ſic Geometriam tradit. Hinc liquido conſtat, in ceteris artibus,& diſciplinis non eſſe tam neceſſariam verborũ curam, quam in ſtudio dicendi, vbi omnia pertinent ad conformandos eos, qui audiunt,& non ſolæ res conſiderantur, ſed ſimul auditores, & quomodo illæ his perſuaderi poſſint. Non ſic in Geometria, vbi ſola rerum ratio habetur,& non auditorum. Haud magna igitur ab Ariſtotele requiritur elocutionis neceſſitas in doctrinarum pertractatione. Cicero quoq; lib. I. de finibus ad hunc modum ſcribit; Oratio me iſtius philoſophi non offendit: nam & complectitur verbis, quod vult,& dicit plane, quod intelligam: & tamen a philoſopho, ſi afferat eloquentiam, non aſpernor: ſi non habeat, non admodum flagitem. Addunt nonnulli verborum elegantiam non ſolũ eſſe parum neceſſariam ſapientiæ ſtudioſis, verum etiam indecoram, cum ſapientiam eſſe fucatam, miniatam, ceruſatam, non deceat. Nec deſunt noſtris temporibus multi, qui tantam eſſe putant rerum cognoſcendarum difficultatem, vt diſcẽdi ornamenta elocutionis, & colligendi pigmenta orationis tempus non habeatur. Verum, vt nulla neceſſitas ſit elocutionis, quam tamen Ariſtoteles aliquam eſſe non negat, quamuis paruam,

cum aliquid interſit ad declarandum, itane, an ita dicas: profe-ćto non vnius neceſſitatis, in ſermone habenda ratio eſt, ſed ſi-mul venuſtatis. Quod elegantiſſime confirmauit Cicero lib. 3. de orat. neceſſitate, & pulchritudine totius mundi, omniũ ani-malium, omnium arborum in natura, & artis nauigandi, ædi-ficandi, cæterarum omnium. Præterea omnis quidem fucus aſpernandus eſt: ſed non idcirco illuuies, & ſitus, & ſordes reci-piendæ. Nec negandum eſt, fieri poſſe, vt ſapientia cum elo-quentia coniungatur, cum exempla clariſſima habeamus, Pla-tonis, Xenophontis, Ariſtotelis, Theophraſti, aliorumque ve-terum, qui non minus eloquentes, quam ſapientes fuerunt. Septimo loco traditur, artem actorum, cum prodibit, idem ef-fecturam eſſe, quod effecit hiſtrionica; conatosq; eſſe nonni-hil de ipſa dicere nõnullos, vt Thraſymachum in Miſerationi-bus. Octauo actionẽ eſſe minus artificioſam, quam elocutio-nem: naturę enim eſt, inquit philoſophus, ad actionem valere, & magis expers artis. in elocutione vero valet artificiũ. Quam obrem & oratoribus iis, qui huius facultatem habent, tribuun-tur rurſus præmia, vt etiam, qui actionis. quæ enim ſcribuntur orationes, plus valent propter dictionem, quam propter ſen-tentiam. Nono, poetas primũ excitaſſe, vt natura tulit, elocu-tionem, & actionem. Nomina enim imitationes ſunt. tributa vero etiam eſt vox nobis omnium partium aptiſſima ad imi-tationem. Quamobrem & artes conſtitutæ ſunt, tum Rha-pſœdia, tum Hiſtrionica, tum aliæ.

Affertur cauſſa, cur primi oratores poeticam elocutionem ſunt ſecuti: alia tamen dicitur eſſe elocutio orationis, alia poe-matis. Quoniam igitur poetę inania quædam dicentes ex elo-cutione comparaſſe hanc gloriam videbantur, propterea poe-tica prima extitit elocutio, vt Gorgiæ: & multi quoque ineru-diti arbitrantur tales, qui poeticã ſequuntur elocutionem, pul-cherrime diſputare. Dicit tamen Philoſophus non eſſe ita: ſed aliam eſſe oratoriam, aliam poeticam elocutionem. Non eſſe autem ſequendã illam priſcã poeticam elocutionẽ ex eo appa-ret, quod ſi Tragici poetæ non amplius ſequuntur illud priſcũ dicendi genus; neq; enim facientes Tragœdias amplius vtun-tur eodem modo; ſed quemadmodũ ex Tetrametris ad Iam-

bicum

bicum ſe contulerunt, quia inter alia metra, hoc ſermoni ſimillimũ eſt, vnde etiã Cicero ait, magnam partẽ ex iambis noſtram cõſtate orationẽ, & Horatius iambum appellat alternis aptum ſermonibus; ſic abiecerunt nomina, quæcunque ſunt pręter conſuetudinẽ loquendi, & quibus primũ ornabãt, quod fecerunt quoque illi, qui heroica pangunt carmina: multo minus oratores id ſequi debẽt; eſſet enim ridiculum imitari eos, qui ipſi non amplius illo modo vtuntur.

Cum igitur duplex ſit elocutio, vna poetica, altera oratoria, & de poetica elocutione dictum ſit in iis, quæ ſunt de Poetica; proponitur agendum in hoc libro de Oratoria elocutione.

IN CAPVT SECVNDVM, *de elocutione perſpicua, non humili, non elata, de tranſlatu, de epithetis, de diminutiuis.*

Virtus elocutionis eſt; primum, vt perſpicua ſit; cuius rei ſignum eſt, quod oratio ſi non declaret, ſuum ipſius munus non obibit: deinde vt non humilis ſit, & abiecta, ſed ornata: præterea vt non ſit ſupra dignitatem, & elata, ſed decora, & apta. Nam poetica quidem fortaſſe humilis non eſt, ſed non decora ſolutæ orationi.

Ad primam virtutem elocutionis pertinent nomina, & verba propria, quæ eam efficiunt perſpicuam.

Ad ſecundam virtutem alia nomina, quæcunq; in pręceptis de poetica dicta ſunt. cum enim propria immutantur, grauiora videntur. Nam quemadmodũ homines varie afficiũtur erga aduenas, & erga ciues ſuos: ita etiam varie mouentur animi propriis, & immutatis verbis. Quamobrem oportet aduenam efficere orationem: admirabile enim rerum externarum eſt: & admirabile iucundum eſt.

Ad tertiam virtutẽ pertinet, vt adhibeatur modus in verbis immutatis, quod niſi fiat, in Poeticũ dicendi genus incurritur. Ac in metris quidẽ, inquit philoſophus, & multa faciunt hoc, & conuenit illic: plus enim excellunt ea, & ij, de quibus oratio eſt. *ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς λόγοις, πολλῷ ἐλάττοσιν.* In nudis autem ſermonibus multo paucioribus (Muretus corrigit *πολλῷ ἐλάττω ἔτιον*, multo pauciora ſunt) argumentum enim inferius eſt:

quoniam & hic,ſi ſeruus ornate loqueretur, aut valde iuuenis, minus decorum eſſet. Sed eſt etiam in his, quod contrahitur, & dilatatur,decorum. Ludouicus Caſteluetrius in artem Poeticam Ariſtotelis hunc locum citat,& per metra intelligit verſus graues. per nudos vero ſermones verſus humiles. Nos a cõmuni explicatione non recedimus, vt per metra intelligatur elocutio poetarum: per nudos vero ſermones ſoluta oratio; quemadmodum etiam paullo infra, vbi legitur; Proprium autem, & domeſticum; & translatio tantum proſunt ad nudorũ ſermonum elocutionem. Patet igitur in rebus poeticis magis, in oratoriis vero; & ſoluta oratione minus conuenire, vt verba immutata vſurpentur. De modo autem adhibendo in vſu verborum immutatorum, primo loco traditur, oportere nos latere, dum id facimus, & non videri ficte dicere, ſed naturaliter: hoc enim appoſitum ad perſuadendum: illud vero contrariũ. ὥσπερ γὰρ πρὸς ἐπιβουλεύοντα διαβάλλονται, καθάπερ πρὸς τοὺς οἴνους τοὺς μεμιγμένους. Nam tamquam ab inſidiatore cauent, quemadmodum a vinis permiſtis. pro διαβάλλονται legimus cum Mureto διευλαβοῦνται. Id autem diſcrimen videtur eſſe inter naturalem, & fictam orationem, quod fuit inter vocẽ Theodori, & voces aliorum hiſtrionum. illa quidem videbatur eius, qui dicebat, naturalis, & propria: hæ vero fictæ, & alienæ. Verumtamen oratio compoſita latere recte poterit; ſi quis in verbis componendis ſeligat ex cõmuni ſermone. id quod Euripides facit, & oſtendit primus. Secundo loco, cum ex nominibus, & verbis conficiatur oratio, & nomina tam multas habeant ſpecies, quam multæ conſideratæ ſunt in præceptis de poeſi, nempe octo ſpecies, proprium, peregrinum, translatũ, ornatum, factum, protractum, ſubtractum, cõmutatum (a qua enumeratione cur amicus noſter diſceſſerit, nõ videmus, dum quattuor tantum ſpecies conſtituit, factum, proprium, peregrinum, translatum) traditur, vtendũ eſſe peregrinis vocibus, & duplicibus, ac factis, raro, & paucis in locis, propterea quod in maius, quam decet, immutant. Duplicia autem nomina referuntur ad vnam de illis octo ſpeciebus, id eſt, ad facta, cum fiant, & nouentur adiunctione verborum, quemadmodũ alia nouantur ſimilitudine, alia imitatione, alia inflexione. qui

quattuor

quattuor modi leguntur in Partitionibus Ciceronis. Tertio loco traditur,proprium,& domeſticum,& tranſlationem tantum ad elocutionem nudorum ſermonum, & ſolutæ orationis prodeſſe. Signum vero eſſe, quod his ſolis omnes vtuntur, & omnes trãſlationibus loquuntur, & domeſticis,& propriis. Quare manifeſtum eſſe,ſi quis recte faciat, & horum vſum ſequatur,peregrinitatem illam fore,quæ dicta eſt tantopere delectare, eumque poſſe latere, & perſpicue dicere, quæ eſt præcipua virtus oratoriæ orationis. Quarto loco traditur, homonymias eſſe vtiles ſophiſtæ, quibus homines in fraudem deducat, vt cum verbum vnum eſt, & res plures ſignificantur: ſynonymias vero eſſe vtiles poetæ, vt cum verba plura ſunt, & res vna declaratur,quemadmodum eo,& vado: vtraque enim hæc & propria ſunt,& idem ſignificant. Quamobrem homonyma,& ſynonyma non admodum cõueniunt oratori. Quincto loco agitur de tranſlationibus,quippe quæ conueniant nõ ſolum poetis, ſed etiam oratoribus,& valeãt potiſſimum tum in poeſi,tum in orationibus;& decem præcepta tradũtur;quorum primum commemorat ſpecies translationis,quæ expoſita ſunt in iis, quæ de Poetica conſcripta ſunt;vbi quattuor trãſlationum ſpecies enumeratæ fuerunt,genus pro ſpecie,vt ſtare pro in portu eſſe:ſpecies pro genere,vt decem millia pro multis:ſpecies pro ſpecie,vt leo pro homine forti: ex proportione, vt ſcutum Bacchi, & poculũ Martis. quam translationis quartam ſpeciem prætermiſſam fuiſſe ab illo amico meo,a quo ſæpe diſſentio,vt cum Ariſtotele ſentiam,valde miror. Secũdum præceptum eſt, eo vehementius in ſoluta oratione de translationibus laborandum eſſe, quo paucioribus præſidiis, ſoluta oratio,quam verſus, inſtructa eſt. Tertium, Translationẽ tria maxime habere, quæ laudanda ſunt, perſpicuum,iucundum, & peregrinum illud,quod valde delectat. Quartum,non licere ipſam accipere ab alio,id eſt,ab alio auctore, vt nonnulli interpretantur, quod ea ingenij noſtri acumine paranda ſit: vel, vt alij explicant, a re longe diuerſa, & parum ſimili. Quinctum oportere & epitheta, & translationes congruentes dicere. Atque hoc fore ex proportione: ſin minus, indecorum viſum iri; propterea quod cõtraria iuxta ſe poſita maxime apparent: ſed

conſiderandum eſſe, vt iuuenem decet purpura, ſic quod deceat ſenem: non enim eandem veſtem decere. Contrariis nominibus contraria epitheta conueniunt. pauper, & diues contrarij ſunt. ille demiſſus, & humilis: hic arrogans, & ſuperbus. in translationibus quoq; contraria contrariis adhibentur. infantia, ſenectus, ortus vitæ, occaſus vitæ. Sextum, qui ornare vult, ei ducendam eſſe translationem a meliore eorum, quæ eodem genere continentur: qui vituperare, a deteriore, quemadmodum ſi mendicantem precari, & precantem mendicare diceremus: quod fieri licet, quia vtrunq; ſub genere petitionis continetur. & quemadmodū Iphicrates Calliam Matragyrtā, qui pro ſacris Magnæ matris numos cogeret, quod vocabulū non erat honoratū, appellauit: non daduchū, qui in ſacris lampada geſtarat; quod erat honoratū. Quare Callias reſpondit, illum non eſſe initiatū, ſed rudē penitus illius negocij. Nō enim Matragyrtam, ſed Daduchū appellaſſet. & οἱ μὲν Διονυσιοκόλακες· αὐτοὶ δ᾽ αὑτοὺς τεχνίτας καλοῦσι. Et alij quidē ſunt Dionyſij aſſentatores: ipſi vero ſe artifices vocant. Correxit Victorius ex antiquo libro, καὶ ὁ μὲν Διονυσοκόλακας. Et hic quidem Liberi patris aſſentatores. Quam lectionem Sigonius quoque ſecutus eſt. Nos, cum communem lectionem ferre poſſumus, nihil immutamus. Ambo autem hæc ſunt translationes; illa inquinantium: hæc contra. Et alij ſunt prædones: ipſi vero ſe lucrifactores nunc appellant. Hac ratione dicere poſſemus, eū, qui iniuriam facit, & iniuſte agit, errare, & qui errat, iniuſte agere. Et qui ſurripuit, ſumpſiſſe, & populatum eſſe. Verum animaduertendum eſt, quæ transferuntur, vt apte, congruenterque transferantur. non enim recte translatio ducta eſt, cū apud Euripidem dixit Telephus, Remo imperare, & remi regnatorem eſſe, etiam cum in Myſiam deſcendiſſet. indecorum enim id, quia imperare, & regnare maius eſt, quā vt remo poſſit conuenire. Non igitur occultū eſt. Septimum ita adhibendā eſſe translationem, vt in ſyllabis error nō ſit, nec vox aſperior, ac non ſuauis reddatur. Quemadmodū Dionyſius Chalceus in Elegis poeſim appellat clangorem Calliopes: quia & poeſis, & clangor voces ſunt. Verum, quamuis clangor ab eodē genere ducatur, eſt tamen mala translatio, tum quod vox aſpera ſit, tum quod Muſæ ſuauem non ſignificet vocem. Octauum, ſumendam eſſe translationem non lōge, ſed ab iis, quę cognata,

& con-

& conformia ſunt, nomine afficiendo, quæ carent nomine, vt in ænigmate illo probato, Virum vidi igne æs viro agglutinantem, id eſt, Chirurgum vidi cucurbitulam ægroto applicantem. illa enim affectio ex adhæſione cucurbitulæ, quæ æs candens dicta eſt, cum proprium vocabulum non habeat; atque agglutinatio, & adhæſio cucurbitulæ applicationes quædam ſunt; recte adhęſio cucurbitulæ agglutinatio dicta eſt. Nonum, ex probe factis ænigmatibus licere elegantes translationes aſſumere: quandoquidem ænigmata aliquid per aliud innuunt: & quæ aliqua per alia innuunt, translationes ſunt. Quare conſtat nos recte poſſe ita a probatis ænigmatibus translationes mutuari. Sub translatione igitur comprehenditur ænigma, & allegoria. Quod obſeruauit Cicero in oratore ad Brutum in hunc modum; Iam cum fluxerunt plures continuæ translationes alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Græci ἀλληγορίαν appellant, nomine recte, genere melius ille, qui iſta omnia translationes vocat. Decimum, ducendam eſſe translationem, ab iis, quæ dignitatem habent, & honeſtis, omnemq; turpitudinem fugiendam. Honeſtas enim nominis, & dignitas, turpitudoque ſimiliter, vt Lycimnius ait, tum ipſo ſono, tum ſignificatione ſpectatur, itemque tertia illa ratione, qua aliquid ſignificantius, ornatiusque aut etiam contra effertur; quaque ſophiſma illud ſoluitur, quo quidam nullam in verbis ineſſe turpitudinem oſtendere voluerunt. Dicebat enim Bryſon, Neminem turpiter loqui. Nam ſi duo ſunt, quæ idem ſignificent, aut ambo pariter obſcœna eſſe, aut neutrum, cum idem ſignificetur. Non ambo, quod alterum eorum non eſſe obſcœnum omnes cōfitentur. Ergo neutrum. Reſpondet Philoſophus id falſum eſſe; primum quia aliud alio eſt magis proprium, & ſimilius, & ad rem ante oculos conſtituendam accommodatius: deinde quia ſæpe eadem res aliquo modo eſt honeſta, aliquo modo turpis. Itaque vocabula, quæ rem exprimunt, quatenus eſt honeſta, debent honeſta exiſtimari, quæ, quatenus eſt turpis, turpia. Ergo translationes ducendæ ſunt a rebus honeſtis, & pulchris, aut voce, cum rei ita vox accommodatur, vt ſonus vocis rei naturæ reſpondeat, & res aſpera vocis aſperitate enuncietur, vel contra: aut vi, cum ſignificantius vocabulum ponitur, vt inflammatum eſſe cupiditate: aut aſpectu, vt cum dicitur ſplendor

generis,lumen eloquentiæ:aut alio quopiam ſenſu,id eſt,auditu,vt murmur maris:& odoratu,vt odor vrbanitatis: & guſtatu,vt dulcedo ſermonis: & tactu,vt mollitudo humanitatis. Multum autem intereſt,vtrum dicatur,quemadmodum apud Homerum,aurora roſeodigita, quæ pulchra eſt tranſlatio; an purpureodigita,quæ minus pulchra; aut rubrodigita, quæ deterior. Sexto loco agitur de epithetis,& additis ad nomen,quę licet formare,tum a malo,vel turpi,tum a meliori. A malo,vel turpi,vt ſi Oreſtem matricidam appellaremus. A meliori,& potiori,atque honeſtiori, vt ſi eundem patris vindicem nominaremus. Et Simonides,cum ab eo,qui in curſu mularum victor extitiſſet,ipſi,vt carmen ſcriberet,modica merces data eſſet,id agere recuſauit,veluti qui indignaretur de ſemiaſinis ſcribere: at cum ſatis magnam accepiſſet, cecinit, Saluete volucrum filiæ equorum. Septimo loco agitur de diminutiuis. Licet enim diminuere: & diminutio eſt, quæ minus reddit & bonum, & malum. vt Ariſtophanes in Babyloniis cauillatur, dum dicit, pro auro aurulum: pro toga togulam: pro conuicio conuiciolum: pro morbo morbulum. Oportet vero cauere, & tenere, atque obſeruare modum in vtroque.

IN CAPVT TERTIVM, *de frigida elocutione.*

QVattuor traduntur eſſe,quæ frigidam,atque inſulſam efficiunt elocutionem;tum duplicia nomina:tum vſus variarum linguarum: tum epitheta aut longa,aut intempeſtiua, aut frequentia:tum tranſlationes indecoræ,& obſcuræ. Primũ vitium notatur in Lycophrone,Gorgia, Alcidamante, qui duplicibus nominib. plus nimio ſunt delectati. Lycophron enim dixit Multiforme cœlum, quod multas habere facies videretur: Magniceruicam terram propter montium eminentiam, & collium: Littus anguſtiuium,quod apud ipſum ſint anguſtæ ſemitæ. Gorgias vero adulatorem nominauit Ptochomuſum, & ſcitemendicantem, quod ſcite mendicare videatur, aliquid vt ab eis accipiat,quibus adulatur:& Praueiuros,qui falſum iurarent; & Probeiuros,qui verum iurarent. Alcidamas autẽ dixit,Igniuomum aſpectum,qui arderet,veluti ignis: Finiferentem

tem alacritatem : & Finiferentem ſuadelam, quæ finem afferret : Cœrulicolor maris ſolum, quod colorem cœruleum haberet. Alterum vitium notatur etiam in Lycophrone, & Alcidamante. Nam apud Lycophronem Xerxes appellatur Pelorius vir pro ingenti, vaſto, ac magno, lingua Theſſala : & Sciro ſinnis vir pro pernicioſo, & noxio, voce Lemnia. Apud Alcidamantem dicitur athyrma pro leuitate: ataſthalia pro errato: tethegmenum pro iracundia æſtuante, lingua ſimiliter aliena. De tertio vitio reprehenditur Alcidamas. ſuperuacanea enim epitheta tolerantur in poeſi, vt lac album : non ſic in oratione, vbi ſeruandus eſt modus. ille vero epithetis vtebatur, non vt condimentis, ſed vt cibis; adeo hæc crebra, & ampla, & aperte apud illum inueniuntur; dixitque non ſudorem, ſed adiecto epitheto humidum ſudorem : non Iſthmia, ſed ſolemnẽ Iſthmiorum celebritatem : non leges ſed ciuitatum reginas leges, βασιλεῖς νόμους. Victorius legit ex libro veteri, βασιλεῖς νομίμους, & vertit Reges legales : nõ curſum, ſed curſorium animi impetum: non Muſeum, ſed naturæ Muſeum: non curam, ſed triſtem animi curam : non gratiæ, ſed popularis gratiæ opificem : & moderatorem audientium voluptatis : non in ramis, ſed in ſyluæ ramis deliteſcentem: non corpus, ſed corporis illas partes, quæ pudorem efficiunt, velauit : non cupiditatem, ſed antimimon animi cupiditatem. eſt autem antimimon, quod faciem alicuius rei præ ſe fert, atque illam exprimit; eſtque vocabulum ſimul & duplex, & epithetum; ideo poema fit: ſimiliterque cum dixit exhedron improbitatis exuperantiam, id eſt, immenſam, & infinitam, quæ a ſede, & tamquam finibus recti exeat. Hæc autem nimis frequentata epitheta magis poetica, quam oratoria ſunt. Poetice vero loquentes in quattuor vitia labuntur, tum indecorum, tum ridiculum, tum frigidum, tum obſcurum propter loquacitatem. Cum enim apud eos, qui id, quod dicitur, cognoſcunt, poetica ingerunt, obſcure loquendo tollunt, quod præſtare debet oratio, dilucidum. Homines autem duplicibus vtuntur, cum aliquid eſt ſine nomine, & oratio facile iungi poteſt, vt apud Græcos χρονοτριβεῖν, quaſi, ſi liceret vocem formare, Tempoterere, cum tempus in aliqua re conteri, & cõſumi ſignificatur. Sed ſi in his nimij erimus, poe-

tica noſtra apparebit elocutio. Adeo vero in ſoluta oratione, quod decet, ſpectandum eſt, nec temere ſunt hæc poetica ornamenta adhibenda, vt ne in ipſa quidẽ poeſi omnia vbique, & ſemper congruere videantur. Quamobrem duplicia vtiliſſima ſunt Dithyrambicis: ipſi enim verborum ſonitu delectantur. Linguæ alienæ, & peregrina vocabula Epicis, qui grauitatem, & magniloquentiam ſectantur. Translata vero Iambicis verſibus, quibus nunc vtuntur, vt in primo capite dictũ eſt, qui Tragœdias ſcribunt. quod genus carminis cum ſit orationi ſimillimum, etiam verba ſolutæ orationis maxime imitatur. Quartum vitium notatur in translationibus non congruentibus, quæ ſint aut indecoræ, aut obſcuræ. Indecoræ ſunt partim propter ridiculum, vt ſtercus curiæ, caſtrata Reſp. cuiuſmodi ſunt nonnullæ, quibus vtuntur poetæ Comici: partim propter grande nimis, & turgidum, vt montes belli fabricare, campos pacis auferre, cuiuſmodi videntur eſſe nimis grandes, & Tragicæ. Obſcuræ vero ſunt, ſi longe petitæ ſint. Vt Gorgias dixit, pallidas, & exangues res, ſumpta translatione ab animalibus. Et, Hæc turpiter ſeminaſti, ac male meſſuiſti: nimis enim poeticum eſt; ſumpta translatione ab agricolis. Alcidamas vero translatione longius ſumpta dixit, Philoſophiã propugnaculum legum: & Odyſſeam pulchrum humanæ vitæ ſpeculum: & nullum tale athyrma poeſi afferens, id eſt, ludicrũ, quale ſcilicet in aliorum poematibus conſpiciebatur. Nã hæc omnia fidem tollũt, propter eas, quas memorauimus frigidarum translationũ cauſſas. Verum dictum illud Gorgiæ in hirundinem, quæ ſupra ipſum volitans ſtercus deiecit, tragicum, & optimum eſt. Inquit enim, Turpe ſane, ô Philomela. nã aui, quæ id feciſſet, turpe non eſſet: at virgini turpe. Recte igitur conuicium dixit, commemorans, quæ fuerit, non quæ iam ſit. In quem locum notat Victorius, exiſtimaſſe Gorgiam, contra quam alij tradiderunt, Philomelam in hirundinem: Prognen vero ſororem ipſius in Luſciniam conuerſam fuiſſe.

IN CAPVT QVARTVM, *de imagine, ſeu ſimilitudine mollita.*

IMago etiam translatio eſt: ab ea enim parum differt. Cicero ſcribit, ſi paullo durior translatio eſſe videatur, molliendã

eſſe

436

eſſe præpoſito ſæpe verbo; vt ſi olim M. Catone mortuo Pupillum ſe natum quis relictum diceret, paullo durius: ſin, vt ita dicam, pupillum, aliquanto mitius eſſe. Etenim verecundam debere eſſe tranſlationem, vt deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe, atque vt precario, non vi veniſſe videatur. Eſt igitur imago aliquo verbo mollita translatio; exempli gratia, cũ inquit poeta de Achille, Vtque leo ruit, imago eſt: cum autem, Leo ruit, tranſlatio. Etenim quia ambo fortes ſunt, Achilles per tranſlationem leo vocatus eſt. Vtilis vero eſt in oratione ſoluta imago: ſed raro adhibenda, quia poetica efficeretur oratio, ſi ea frequentius vteremur. Verumtamen eliciendæ ſunt imagines, quemadmodum tranſlationes: a tranſlationibus enim ea tantum re, quam diximus, differũt. Imaginis vero decem afferuntur exempla. Primum Androtionis Idrieum carpentis; Similem eſſe illum canibus, qui ex vinculis ſoluti ſint, quia illi obuios mordent; & Idrieus vinculis liberatus difficilis, ac infeſtus erat. Alterum Theodamantis dicentis Archidamũ eſſe tamquam Euxenum, ſed Geometriæ ignarum. ex qua proportione contra dici poterat, Euxenum eſſe tamquam Archidamum, ſed Geometriæ peritum. Tertium ex Republica Platonis; qui mortuos ſpoliant, ſimiles eſſe canibus, qui ſaxa mordent, eos vero, qui illa iaciunt, non attingunt. Quartum, ſimilem eſſe populũ nauclero robuſto quidẽ, ſed ſurdaſtro. Quinctum, verſus poetarũ ſimiles eſſe ſpecioſis ſine pulchritudine; quia ſpecioſi, cum defloruerint, verſus vero cum diſſoluti ſint, non apparent tales. Sextum Periclis in Samios, ſimiles eſſe illos infantibus, qui manſum recipiunt, ſed plorantes. Septimũ in Bœotos, ſimiles eſſe ilicibus, quia ilices ſe inuicẽ contunderent, & Bœoti inter ſe pugnarẽt. Octauũ Demoſthenis in populũ, recta faſtidiẽtem; ſimilẽ eſſe illũ nauſeantib. in nauibus. Nonũ Democratis aſſimilantis oratores nutricibus, quæ mãſum deglutientes ſaliua infantes inungunt. Decimũ Antiſthenis Cephiſodotũ gracilẽ thuri aſſimilantis, quia, dum cõſumeretur, iucunditatẽ afferret. Omnia enim hæc licet & vt imagines, & vt tráſlationes efferre. Quare quęcũq; probabũtur plata, vt trãſlationes, hæc imagines quoq; eſſe poterũt: & imagines viciſſim trãſlationes erunt, ratione indigentes. vt quare Cephiſodotus

aſſimilatus ſit thuri: quare Idrieus canibus ſolutis e vinculis. Semper autem oportet, tranſlationem ex proportione alteri quoque parti, cum qua facta eſt comparatio, & a qua ſimile ducitur, contra reddi, vt ſi poculum ſcutum Bacchi, etiam ſcutum poculum Martis dici conuenit. Atque hæc ſunt, ex quibus oratio componi poterit.

IN CAPVT QVINCTVM, *de elocutione emendata.*

CVm adhuc de verbis ſimplicibus ſit diſputatum, deinceps agitur de verbis coniunctis, & primum de emendata elocutione; quæ ſpectatur in quinque, & primum in coniunctionibus ſuo loco ponendis, atque ita collocandis, vt recte cuſtodiri memoria queant. per coniunctiones autem intelliguntur non tam illæ particulæ, quæ ab aliis partibus orationis apud Grammaticos diſtinguuntur, quam contextus, & continuatio verborum. Iam quædam coniunctiones quaſdam alias requirunt, vt Quidem requirit Vero, vel Autem: Quamquam requirit Tamen. Multæ autem coniunctiones ante reddendam præcipuam coniunctionem non ſunt inculcandæ: id enim reddit orationem obſcuriorem, vt Ego vero, poſtquam mihi nunciatum eſt, venit enim Cleon me rogans, atque obſecrãs, profectus ſum, ipſis mecum aſſumptis. Multæ coniunctiones interiectæ ſunt ante id, quod prius reddendum erat. Cum vero antequam ad verbum, Profectus ſum, perueniatur, multum ſit interuallum, obſcurior fit oratio. Illud igitur primum ſpectandum eſt, vt coniunctiones recte cohæreant. Secundo loco emendata elocutio cernitur in propriis nominibus, & non ambientibus. Sunt enim quidam, qui nihil proprie, omnia per circumlocutionem proferunt, de quibus vide, quid ſcribat Quinctilianus lib. 8. cap. de perſpicuitate. Tertio loco in emendata elocutione non ſolum ambientia ſunt vitanda, ſed etiam ambigua. Eliguntur tamen hæc duo vitia quandoque conſulto. Nam omnia per verborum circuitum ſolent dicere, qui nihil habent, quod dicant, verum aliquid dicere ſimulant, vt Empedocles faciebat. decipit enim circuitus, ſi ſit multus. Et ſæpe homines ambigua dicunt duabus de cauſſis; vel quia afficiuntur

audi-

auditores,æque ac vulgus inter ariolos,cũ annuat ambigue dicentibus,vt in reſponſo illo, Crœſus Halym penetrans magnã peruertet opum vim; cuius oraculi meminit Herodotus, & Cicero lib.2.de diuinatione. Vel quia minor errori locus eſt,ſi per rei genera loquantur. Nam vt in ludo, qui ἀρτιασμὸς apud Græcos dicitur, in quo de numero in manibus abſcõdito quęritur, potius quis par,aut impar reſponderet, quam, quantus eſſet, definiret: ita etiam futura coniiciens potius prædiceret aliquid futurum, quam de eo certum tempus definiret. Ideo fatidici futura prædicunt, temporis definitione ſublata. Hæc igitur omnia ſimilia ſunt. Quare ab oratore ſunt talia fugienda, niſi forte id interdum certa aliqua de cauſſa fiat. Quarto loco genera nominum ſunt recte reddenda. Nam, vt Protagoras tradidit, nominum genera diſtinguenda ſunt, vt alia mares ſignent,alia fœminas,alia ea,quæ neutra dicuntur.hæc nanque ita reddenda ſunt,vt recte inter ſe conſentiant.vt Progreſſa mulier,& collocuta abiit.Quinto loco & multi,& pauci, & vnus recte ſunt nominandi, vt Illi vero cum aduenissent, me verberarunt. Facit autem tres numeros Ariſtoteles more Græcorum. Omnino ſeruanda eſt conſecutio, vt non ſolum generibus, & numeris, quod præcipit philoſophus, ſed etiam temporibus, perſonis,caſibus ne perturbetur oratio. Nam vt in ſimplicibus verbis quod non eſt proprium eius linguæ, qua loquimur: ſic in coniunctis quod non eſt conſequens, vituperandum eſt, vt eleganter legitur in partitionibus Ciceronis. Hac eadem de re hæc verba ſunt lib. 3. de orat. Atque vt latine loquamur, non ſolum videndum eſt, vt & verba efferamus ea, quæ nemo iure reprehẽdat: & ea ſic & caſibus,& temporibus, & genere, & numero conſeruemus, vt nequid perturbatum, aut diſcrepans, aut præpoſterum ſit: ſed etiam lingua,& ſpiritus, & vocis ſonus eſt ipſe moderandus. De emendata autem elocutione colliguntur tria. Primum,opus eſſe,vt quod ſcriptũ eſt, facile legi, ac proferri queat,non poſit s multis cõiunctionibus, & facta congruenti interpunctione; quod non ſeruauit Heraclitus, qui verba ita ſtruxit, vt vtrum prioribus, an poſterioribus quædam reſponderent,incertum eſſet;veluti in principio voluminis ſcripſerat ſic, Cum ratio extet,ſemper tamen

imprudentes fiunt homines. non enim diſcernitur, vtrum priori, an poſteriori parti illa vox, ſemper accommodanda ſit. Deinde fieri ſolœciſmum, ſi verbis non adiũgatur, quod conuenit. Vt ſi quis diceret, ſe ſtrepitum, & colorem vidiſſe; verbum vidiſſe, non eſſet commune duobus illis nominibus: ſed verbum, ſenſiſſe, commune eſſet. ἔτι δὲ ποιεῖ σολοικίζειν τὸ μὴ ἀποδιδόναι. Præterea efficit ſolœciſmum ipſum non reddere. Sigonius; Iam vero hæc ſolœciſmum pariunt, non reddere. Legit, ἔτι τόδε ποιεῖ σολοικίζειν, quemadmodum quoq; Victorius. Nos priorem lectionem ſumus ſecuti. Poſtremo gigni obſcuritatem, ſi multa in medio inculcentur, antequam id, quod reddendum eſt, ſubiiciatur, vt, Debebam enim, poſtquàm cum illo hæc, & illa, & ita locutus fuiſſem, proficiſci. Commodius dictum fuiſſet; Debebam enim locutus proficiſci. Subiiciendo poſtea & quæ, & qualia, & quomodo facta ſint.

IN CAPVT SEXTVM, *de elocutione amplificata.*

AMplificata oratio fit ſex modis. Primo modo, ſi pro nomine ponatur oratio, ſeu ratio, ſeu definitio, vt pro circulo planicies à medio æqualis: pro Deo diuina ratio omnia ſapienter regens: pro homine animal prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & concilii. Contrarium vero ſeruatur in contrahenda oratione vt pro oratione verbum efferatur. Quo genere conuertendi vtendum eſt, cum quid turpitudinem in ſe habet, aut dedecet. ſi enim in oratione turpitudo inerit, vt in ea, quæ declarat, quomodo fiat generatio per maris, & fœminæ coniunctionem, eam ad verbum reuocabimus, vt ad ſolum verbum generationis, ita vt dicamus tantum factam eſſe generationem, & non hoc, aut illo modo, & per illum actum turpem. Sin in verbo, illud in plura verba deducemus, vt dicam⁹ potius, neceſſitati naturæ parere, liberis dare operam, & alia eiuſmodi, quàm propria earum rerum verba. Secundo modo, ſi translationibus, & epithetis res declaretur, quæ ſuo ſplendore propemodum res illuminant, & euidentes reddunt. in quorum tamen vſu cauendum eſt, ne more poeticę elocutionis luxuriet oratio. quod vitium Alcidamanti ſupra tributum eſt. Tertio modo, cum quod vnum

numero

numero eſt, multitudinis nomine appellatur. quot quidem poetæ faciunt, qui cum vnus ſit portus, dicunt tamen portus Achaicos. & *δελτούμεναι δὲ πολύθυροι διαπτυχαί*. &, Tabulares autem multifores apertiones. Sic interpretatus eſt Lampridius, vir Græcis litteris quàm doctiſſimus. Itaque dictum eſt à poetis, Tabulares multifores apertiones, cum dicendum eſſet, Multa apertio ianuæ ex tabulis factæ. Victorius putauit locum corruptiſſimum eſſe, & primum legendum cenſuit non *δελτούμεναι δὲ*: ſed *δέλτου μὲν αἵδε*: non *πολύθυροι*: ſed *πολύθρηνοι διαπτυχαὶ*, id eſt, Epiſtolæ (vult enim epiſtolam appellari *δέλτον*) quidem hæ ſunt luctuoſæ plicationes; eamque correctionem collegit ex Euripidis Iphigenia in Tauris; quem Maioragius, & Sigonius ſecuti ſunt, dum ille vertit, Luctu ſcatentes has tibi do epiſtolas: hic vero, Epiſtolæ hæc luctuoſa volumina. Deinde in vltima editione commentarij ſui vocem *πολύθυροι* reſtituit in hunc modum; Priorem partē huius verſiculi valde corruptā olim reſtitui. Nollem poſteriorē attigiſſe, dum maiorem fidem, quam oportebat, haberē receptæ apud poetam lectioni: non dubito enim, quin, vt citat ipſum Ariſtoteles, vera lectio ſit, *πολύθυροι*, vt prius erat, & in cūctis ipſius calamo exaratis exemplarib. conſtanter legebatur. Hæc ille; qui etiam ſic conuertit; Et epiſtolæ quidem hæ ſunt multifores plicationes. Nos, vt corrigentis ingenium & ſolertiam collaudamus: ſic veterem lectionem adhuc ſequimur, & Lampridij explicationem, cuius in artem Rhetoricam manuſcriptas obſeruationes apud Matthæum Marinum, virū doctiſſimum, & nobis amiciſſimum, Parauij vidimus. Quarto modo, cum quædam non coniungimus, ſed ſingula ſingulis reddimus. Veluti Græce dicitur, *τῆς γυναικὸς τῆς ἡμετέρας*. Huius mulieris huius noſtræ. & Latine, Mea vxor, mea voluptas. Mea vxor, tuaq; vxor. Cum vero copulando contrahimus, dicendum erit Græce *τῆς ἡμετέρας γυναικὸς*. Huius noſtræ mulieris. & Latine Vxor, mea voluptas. Mea, tuaq; vxor. Quincto modo, cū dilatatur oratio coniunctionibus, vt Acceſſi, & locutus ſum. Laudo animū, & voluntatē tuā. Nā ablatis coniunctionib. contrahitur oratio, vt Accedēs, locutus ſum. Laudo animi tui voluntatē. Sexto modo, ſi dicamus, quę nō habet, vt fecit Antimach⁹ in 1. libro Thebaidos,

quemadmodum colligitur ex Stephano de vrbibus, dum ille laudaret Teumeſſum, montem Bœotiæ; quem Antimachum citat quoque Strabo lib. 9. Dicebat igitur, quæ non haberet Teumeſſus; cuius amplificationis principium erat; Eſt quidam ventoſus paruus collis &c. augetur enim ſic in infinitum. Atq; huiuſmodi amplificatio valet tum in bonis, tum in malis, vt in bonis dicantur mala, ſine quibus illa ſunt: in malis vero bona, quibus illa vacant. Et ſeruatur etiam a poetis, qui dicunt *τὸ ἄχορδον, καὶ τὸ ἄλυρον μέλος* ſine chordis, & ſine lyra concentū, pro ſono tubę, per metaphoram ex proportione. ita enim ſe habet melos, & concentus ad lyram, vt ſonus tubæ ad tubam. Sonus autem tubæ dicitur melos, & concentus per translationē, quæ quoniam duriuſcula videbatur, idcirco dictum eſt *μέλος ἄλυρον*, & concentus ſine lyra.

In caput septimum, *de elocutione decora.*

Decorum apud Platonem definitur illud, quod efficit, vt omnes actiones noſtræ videantur pulchræ. quod cū ſpectetur in actionibus, conſideratur quoque in imitationibus, & orationibus, prout ſunt quædam actiones; idcircoque de decoro agunt non ſolum philoſophi morales, dum quærunt tum in vniuerſum illud, quod cōſentaneum ſit hominum excellentiæ in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat, tū in ſingulis partibus honeſtatis illud, quod ita naturæ conſentaneum ſit, vt in eo moderatio, & temperantia appareat cum ſpecie quadam liberali: verum etiam poeticæ artis magiſtri, dū docent mores exprimendos bonos, conuenientes, æquales, ſimiles; & Rhetores, dū tradunt elocutionē decorā eſſe oportere, vt ſit affecta, & morata, ſubiectiſque rebus proportione reſpondeat. Ac quomodo quidem aliis in rebus decorum cernatur, aliorum eſt exquirere. Nobis vero, qui artem Rhetoricam explicamus, qualis ſit elocutio tum ſubiectis rebus proportione reſpondens, tum affecta, tum morata, ex doctrina Ariſtotelis explanandum eſt.

Proportione igitur ſubiectis rebus reſpondet elocutio, ſi neque de amplis ſummiſſe dicatur, neque de tenuibus grauiter,

neque

439

neque tenue nomen ornatus conſequatur. hoc enim videretur Comicum; in quo quidē peccabat Cleophon. Similiter enim aliqua proferebat, ac ſi diceret, πότνια συκῆ. Veneranda ficus. In nonnullis libris legitur, πότνια σῦς, Veneranda ſus. Iam hoc præceptum de rebus congruenter pertractandis adeo neceſſarium eſt, vt in eo poſita eſſe tota vis eloquentiæ videatur. Quare Cicero definiuit eloquentem eum, qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria tēperate poteſt dicere.

Affectus quoque dicentis rerum naturæ, de quibus agitur, debet reſpondere; ita vt ſi de aliqua contumelia agas, irati videatur oratio: ſi aliqua impia, & turpia perſequaris, indignabunde ea pertractes, & caute: laudabilia admirabunde, miſerabilia ſummiſſe, cæteraque huius modi congruenti cōmoti animi ſignificatione proferas. Perſuadet autem rem etiam accommodata ad eius naturam elocutio. capitur enim animus, quaſi ille vere dicat, propterea quod in talibus ſic homines ſe habent. Quare arbitrantur rem ita ſe habere, etiamſi non ſe habeat ita, vt dicit orator: & ſimul afficitur is ſemper, qui audit, cum eo, qui affecte dicit, etiāmſi nihil niſi fictum, & ſimulatū dicat. Quamobrē multi proclamātes perterrēt auditores.

Præterea moratam eſſe oportet elocutionem. Atq; hæc eſt tertia pars moratæ elocutionis, quæ ſpectatur in elocutione. Nam prima, quæ cernitur in oratore libri ſecundi capite primo explicata eſt. Secunda autem, quæ accommodatur ad mores auditorum, ex eiuſdem libri capite duodecimo, & ſequentibus, cognoſci poteſt. Hoc autem in loco traditur, moratam elocutionem reſpōdere debere tum generi, id eſt, ætati, vt puero, aut viro, aut ſeni; & ſexus, vt mulieri, aut viro; & nationi, vt Laconi, aut Theſſalo: tum habitui eorum, de quibus agitur, vt agricolæ, aut erudito. Ac mores quidem iuuentuti reſpōdentes expreſſit Sophocles de Neoptolemo in Philoctete, qui cum dolis Philoctetem circumuenire nollet, licet ei plurimū inſtaret Vlyſſes, mox repente ſententiam mutauit, & Philoctetem circumuenit: iuuenes enim ſunt, vt ait Horatius, cerei, & facile mutantur. Quales vero mores ſenectuti reſpondeant, declarauit Socrates apud Xenophontem in Apologia; Et videre deterius, & audire minus, & eſſe indocilem, & tardiorem, & eorū,

quæ didicit, obliuioſiorem, & quæ ſequuntur. Cum autẽ ſenex fit, vt inquit idem Horatius, laudator temporis acti, talis fingitur Neſtor apud Homerũ. Vigentis autẽ ætatis alij mores ſunt exprimendi, nempe inter mores iuuẽtutis, & ſenectutis interiecti. Quod attinet ad mores ſexuũ, alij certe fœminis, alij viris cõgruunt. idcircoq; in Poetica reprehẽditur lamẽtatio Vlyſſis in Scylla apud incertũ auctorem, tamquã viro parũ cõgruens: & mores Menalippes apud Euripidẽ, tamquã ſexui fœmineo parũ conuenientes. Nõ ſolũ igitur, vt inquit ipſe Horatius, Intererit multum, Maturusne ſenex, an adhuc florente iuuẽta Feruidus: verum etiam, Mulier ne, an vir loquatur. Quinetiã habenda eſt ratio nationis, de qua idẽ; Colchus, an Aſſyrius, Thebis nutritus, an Argis. Poſtremo habitus, de quo etiã Horatius; Dauus ne, an heros, an matrona potens, an ſedula nutrix, Mercatorne vagus, cultor ne virentis agelli. Quemadmodum igitur poeta in perſonis, quas imitatur, exprimere mores illis conuenientes debet: ſic oratorẽ quoq; dicere iis perſonis conuenientia, de quib. oratiõnẽ habet, ſine dubio oportet, ne mores vnius generis alteri generi, vnius habitus alteri habitui videãt.

Additur, quod pertinet ad præceptum affectæ elocutionis, affici aliquantiſper auditores eo ipſo, quo affatim vtuntur ſcriptores orationũ; Quis autẽ nõ intelligit? Omnes ſciũt. Aſſentiẽ.n. auditor, veritus, ne, q̃ alij omnes tenẽt, ipſe ignorare videat.

Additur quoq;, quod eſt cõmune omnib. formis, ſeu ſpeciebus decoræ elocutionis, vniuſcuiuſq; rei eſſe opportunũ, & nõ opportunũ vſum. Verũ, cũ quid minus opportune agimus, trita remedia adhibẽda eſſe, quæ in omni nimio adhiberi ſolẽt, vt nos ipſos increpemus, & corrigamus. cum enim orator ſe corrigit, & quaſi reprehendit, videtur vere loqui, quoniam eum non latet, quid egerit.

Præterea additur, quod pertinet ad præceptũ proportionis, cauendũ eſſe, ne, ſi omnia ſemper ex proportione dicãtur, artificiũ agnoſcatur. Neq; enim ſemper ſeruãda eſt proportio, vt omnia cõſentanea videantur: ſic enim fallitur auditor. Exẽpli gratia ſi nomina dura fuerint, non ſemper etiam dura voce, & vultu, & reliquis, quæ cõſentanea ſunt, debet vti is, qui dicit. alioquin aperta fient omnia. Si vero aliquid ſeruatum fuerit, aliquid non, tegetur artificium. & tamẽ idem efficietur. Verumtamen

tamen illud aduertendum eſt, ne oratio penitus a rebus diſcrepet. quod maximum eſſet vitium, vt ſi ea, quæ mollia ſunt, duriter proferantur: aut quæ ſunt dura, molliter. neque enim hoc modo oratio appoſita ad perſuadendum, quæ a rebus ipſis penitus eſſet aliena. Mediocritas igitur quædam ſeruanda eſt, & artificium occultandum.

Et additur, quod etiam refertur ad præceptū affectæ elocutionis, epitheta, & duplicia plura, & peregrina dicenti affecte maxime conuenire; veniã enim dari irato, ſi dicat, malū Cœliuagū, quod ſcilicet magnitudine ſua cœlū attingat, & Peloriū, id eſt, ingens, atq; immenſum; quam fuiſſe ſignificationē talis vocis in lingua Theſſala, in caput tertiū huius libri notauimus. Et licere his vti ei, qui iam ad ſuã cauſſam auditores cōuerterit, atq; illorum animos cōmouerit, aut laudibus, aut vituperationibus, aut ira, aut amicitia. quod fit ab Iſocrate in fine Panegyrici, dum frequentata verba congerens inquit; Famam autē, & memoriam & exiſtimationem, quantū oportet arbitrari, aut viuentes habituros, aut morientes poſteris ſuis relicturos qui in eiuſmodi negociis principatum obtinuerint? & c. Rurſus; Quis eſt enim, qui aut præſtantiores eis viros, aut Græcorum amantiores fuiſſe demoſtrare poſſit, qui quidem tolerarunt oculis ſpectare. & quæ ſequuntur. Cum enim oratores furore ſunt perciti, loquuntur talia. Quare etiam auditores ſic afficiūr, vt iam extra ſe poſiti approbent, admirentur, ac libentiſſimis auribus accipiant ea, quæ ab illis dicuntur. Taliaq; etiam poeſi conueniunt. quiddam enim diuinum poeſis eſt. Cui loco conueniunt illa verba artis poeticæ; Itaque Poetica eſt ingenioſi, vel furore perciti. Quæ verba contra Ludouicum Caſteluetriū explicauimus. Epitheta igitur, & duplicia plura, & peregrina concluditur conuenire propter affectum, aut etiam propter ironiam, & diſſimulationem, ac iocum. idque probatur exēplo Gorgiæ, & Socratis in Phædro Platonis.

IN CAPVT OCTAVVM, *de elocutione numeroſa.*

DE numeroſa elocutione traditur primo loco eius figurã oportere neq; metri compotē eſſe, neq; rhythmi expertē: quia illud fidē tollit, quod de induſtria ad capiēdas aures factū videtur, & ſimul animi intētio ab eo, de quo agiř, auertiř,

ſiquidem attendit auditor, quando ſimilis numerus iterum redeat: non ſecus ac pueri, qui præconis vocem præueniunt, ante ipſum nominantes Cleonem, ſi is, qui manumittatur, ſibi patronum eum deligat. intelligunt enim ipſum nominatũ iri; idcircoque ante præconem nominant. Quod autem ſine rhythmo eſt, ſine termino eſt, & oratio numeris non aſtricta fluit, ac vagatur. oportet vero eam terminari, ſed non metro. quod enim non terminatur, iucunditatem non habet, nec cognitioni accommodatum eſt. Et terminantur numero omnia. rhythmus vero figuræ elocutionis numerus eſt, cuius etiã ſegmenta ſunt metra. Quamobrem rhythmum oportet habere orationem, metrum autem nequaquam: alioquin poema erit. Neque vero rhythmum exquiſite, ſed quadam tenus. Idẽ probat Cicero lib. 3. de orat. & in orat. ad Brutum, & Quinctilianus, & ceteri omnes, verſum in ſoluta oratione non oportere per imprudentiam fieri. Muretus tamen in primam Catilinariam collegit multos verſus imprudenter factos in Catone, Cicerone, Saluſtio, Liuio. Secundo loco commemorantur rhythmi quidam præcipui, herous, iambus, trochæus, pæan. De heroo verba ſunt, τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς, καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. Ex rhythmis vero herous grandis, & dictioni accommodatus, & harmoniæ indigens. Sigonius; Rhythmorum vero herous grandis eſt, & canorus, & harmoniam requirens. Victorius ſuſpicatus eſt legi debere, οὐ λεκτικὸς; id eſt, non aptus ſolutæ orationi. Tamen in conuerſione ſua nihil immutare auſus eſt, ac vertit; E numeris autẽ herous grandis eſt, dignitatisque plenus, & orationi aptus, quique requirit harmoniam. Vincentius Madius in ſuis in artem Poeticã Ariſtotelis annotationibus legit, ἀλλὰ λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος, ſed ſolutæ orationis harmonia carens. Maioragius nihil immutat, & vertit; Ex numeris autem herous grandis eſt, & elegans, & indigens harmoniæ. atque hoc modo explicat, vt vterque pes & herous, & iambus appelletur λεκτικὸς: ſed diuerſa ratione; nempe iambus, quod paſſim ab omnibus vſurpetur, & in omnium orationem cadat, & quotidiano ſermoni ſimillimus ſit: herous, quod elegantem, & venuſtam orationem reddat, ſi cum iambo, reliquisque numeris quadam harmonia

tempe-

témperetur. Illud autẽ ἁρμονίας δεόμενος apud eum valet, Qui eget tẽperatione, & permixtione aliorum numerorũ, vt ſolutæ orationi ſit accommodatus: quoniam per ſe nimis eſt elatus, & grandis. Nos in tanta interpretum varietate ad verba Græca interpretationem noſtram, quam maxime potuimus, accommodauimus, & nihil immutandum duximus, ſat habẽtes, varias monuiſſe interpretum lectiones. Præterea præcipitur iambum eſſe ipſum vulgi ſermonem. Quamobrem eos, qui loquuntur, maxime omnium metrorum effundere iambica: oportere tamen, quam nos quærimus, grandiorem, & ampliorem effici, atque excitari orationem. Trochæum autem eſſe cordaciorem, & Cordaci viciniorem, quæ erat laſciua, & mollis ſaltatio; idque apparere ex Tetrametris, quæ erant volubilis rhythmus, & ex trochæis conſtabant. De iambo ſic legitur in arte poetica, μάλιστα λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖον ἐστί. apud Demetrium. ὁ δὲ ἴαμβος τῇ τῶν πολλῶν λέξει ὅμοιος. apud Ciceronem; Magnam partem ex iambis noſtra conſtat oratio. Flaccus appellat iambum alternis aptum ſermonibus. Trochæus autem minus habere dignitatis viſus eſt. De Pæane ſic; Relinquitur Pæan, quo vſi ſunt, incipientes a Thraſymacho. minime vero potuerunt dicere, quæ eſſet natura eius. Tertius autem eſt Pæan, & iis, qui dicti ſunt, coniunctus. ac tria ad duo eſt. Ex iis ille quidem vnum ad vnum: hic vero duo ad vnum. Coniuncta eſt his rationibus ſeſquialtera. Atque hic eſt pæan. Laudatur pæan inter ceteros numeros in ſoluta oratione; cuius numeri vſus a Thraſymacho cœpit increbeſcere. Dicitur tertius. Sed quomodo tertius, cum tres numeri ante ſint nominati, herous, iambus, trochæus? primus intelligitur herous: ſecundus iambus, & trochæus, qui ſunt æquales in ſyllabis, & idcirco vnum numerum conficiunt: tertius pæan. Dicitur eſſe tria ad duo, id eſt, tria tempora trium ſyllabarum breuium ad duo tempora vnius ſyllabæ longæ. Et herous vnum ad vnum, id eſt, vnum par ad vnum par, & duo tempora duarum ſyllabarum breuium, ad duo tempora vnius ſyllabæ longæ, qui ponitur inter pedes æquales habentes paria temporum interualla. Iambus vero, & trochæus dicitur eſſe duo ad vnum, id eſt, duo tempora vnius longæ ad vnum tempus vnius breuis, qui po-

numeratur inter pedes duplices. At pæan vocatur pes ſeſquialter, vel ſeſquimaior. tria enim ſunt tantundem, & dimidiũ ad duo. Tertio loco præfertur pæan ceteris numeris: reliqui enim ob eas cauſſas, quæ dictæ ſunt, & quia in verſum cadunt maxime, euitandi ſunt pedes: pæan vero aſſumendus. nam ex his, qui dicti ſunt, numeris ſolus pæan eſt, quo minime conſtant carmina poetarum. Quare, dum illo vtimur, maxime latet, quem in oratione conſectamur, numerus. Quarto loco præcipitur oportere differre finem a principio. Ac pæanis duas eſſe ſpecies inter ſe oppoſitas, alteram, quę principio conuenit, quemadmodum etiam vtuntur oratores, atque a longa ſyllaba oritur, quam tres breues conſequuntur; cuius numeri exemplum eſt in illis verbis Græcis, Δαλογενὲς, εἴτε λυκίαν, Delogena, ſiue Lyciam, vbi eſt duplex pæan, & Apollo vocatur Delogena, id eſt, Deli ortus. & in illis, Χρυσοκόμα ἕκατε παῖ Διός. Auricome ô Hecate nate Iouis. vbi etiam ſunt pæanes, & Apollo nominatur Auricomus a radiorum ſplendore; Hecatus ab emiſſione luminis in longinquas partes, Natus Iouis a nobilitate generis, quod a Deo ſol genitus fuerit; ſic enim explicatur a Maioragio: alteram, quæ tres priores habet breues ſyllabas, & vltimam longam; qui numerus in extremo optime cadere cenſetur, vt etiam in illis verbis Græcis, μετὰ δὲ γᾶν, ὕδατά τ' ὠκεανὸν ἠφάνισε νύξ. Humum, & aquam, Oceanum & occuluit horrifera nox, vbi ſunt quattuor pæanes. Itaque pæan, in quo poſtrema longa eſt, dicitur recte ſententiam terminare: quia ſi extrema ſyllaba breuis ſit, cum mutilum quid eſſe ipſa videatur, etiam infractus ſit, & amputans exitus verborum; idcircoque longa oporteat ſententiam claudi, & terminari, finemque inſignem eſſe; atque id quidem non ſtudio librarij, neque ob notam appoſitam, ſed propter rhythmum. Quemadmodum autem Ariſtoteles facit duas ſpecies pæanis: ita etiam apud Ciceronem lib. 3. de orat. pæan duplex cõmemoratur, vt vel a longa oriatur, quam tres breues conſequantur, cuiuſmodi ſunt hæc verba, Definite, Incipite, Comprimite: vel a breuibus tribus, extrema producta, atq; longa, cuiuſmodi hęc, Domuerãt, Sonipedes. Quadruplex tamen apud Diomedem conſtituitur, vnus ex longa, & tribus breuibus, vt Compulerat: alter ex breui, lon-

ni, longa,& duabus breuibus,vt Ad exitum: tertius ex duabus breuibus,longa,& breui,vt Miſerorum: quartus ex tribus breuibus,& lõga,vt Sibi malos. Atq; cum Ariſtoteles laudet pæana priorem in principio, Cicero probat omnes numeros proceros, & liberos, maxime heroum,pæana priorem,creticum. Ac per heroum intelligit Quinctilianus dactylum ex longa,& duabus breuibus: Cicero autem non ſolum dactylum,ſed etiã ſpondæum ex duabus longis, & anapæſtum, ex duabus breuibus, & longa. Creticus vero eſt ex longa, breui & longa. Præterea cum idem Ariſtoteles collaudet in fine pæana poſteriorem, Cicero pæani poſteriori dichoreum anteponit ex longa, breui,longa,& breui; affertq; illud exemplũ ex oratione Carbonis; Patris dictum ſapiens temeritas filij comprobauit. vbi Temeritas eſt pæan poſterior: & Cõprobauit eſt dichoreus: vt quilibet poſſit aures ſuas conſulere, vtrum melius cadat numerus Ariſtotelis, an Ciceronis. Probus notat Trochæum ex longa & breui, & pæana tertium in fine efficere ſtructurã Ciceroni familiarẽ,vt Eſſe videatur. Iambum vero ex breui,& lõga, in ſoluta oratione eſſe frequentiſſimũ,ſupra notatũ eſt. Et Cicero ſcribit, omnib.in locis dochimũ conuenire,qui conſtat ex quinque ſyllabis,breui,duabus longis,breui,longa, vt Amicos tenes. Omnino de numeris conſulendæ ſunt aures. Itaque legitur in partitionib.Ciceronis;Numeros aures ipſæ metiuntur,ne aut non cõpleas verbis,quod propoſueris,aut redundes.

IN CAPVT NONVM, *de elocutione fuſa, & verſa.*

DE fuſa,& verſa elocutione ſeptem præcepta tradũtur. Ac primum quidem præceptũ elocutionem in duas partes diſtribuit;alterã fuſam,& vinculo vnã,quę non habet periodorum diſtinctiones,ſed multis coniunctionib.fit vna,cuiuſmodi erant in Dithyrambis anabolæ, & dilationes, ac longæ illæ ſermonis extenſiones,quibus poetæ Dithyrambici vtebantur, Bacchũ canentes: alterã verſam, quæ habet periodorũ diſtinctiones,quales erãt antiſtrophę,& cõuerſiones veterũ poetarũ, vt Pindari,& aliorum. Secundum præceptũ fuſam elocutionẽ tribuit Herodoto Thurio,quẽ tametſi Demetrius appellat Halicarnaſſeũ: tamẽ ſcribit Plutarch.in lib.de exilio, ipſum Halicarnaſei natũ vna cum reliquis colonis Thurios migraſſe. Di-

citur autem fuſa elocutio eſſe priſca, qua vſus eſt Herodotus, cuius hiſtoria illud habet principium, Herodoti Thurij hæc eſt expoſitio, nec artificioſis periodis diſtinguitur. Huiuſmodi elocutione prius omnes: poſtea vero pauci admodum vtebantur. In qua duo conſiderantur; primum, vt nullum habeat finem per ſe, niſi res, quæ dicitur, terminetur: deinde, vt ſit iniucunda propter infinitatem. Nam omnes finem intueri volunt. Quapropter qui ſtadium currunt, anhelant, & defatigantur, dum iter flexuoſum ingredientes terminum non vident, quem cũ proſpiciunt, non laborant, priuſquam ad illas flexiones perueniant. Tertium præceptum exponit verſam elocutionem, quę habet periodos: & definit periodum, vt ſit elocutio habẽs principium, & finem per ſe, & magnitudinem facilem conſpectu: duasque huiuſmodi elocutionis virtutes recenſet, alteram, vt iucunda ſit: alteram, vt facile percipi queat. Nam iucunda quidem eſt, quia contraria eſt ei, quæ infinite fertur; & quod vt ſemper aliquid ſe tenere arbitratur auditor, cum ſemper ipſi aliquid terminatum ſit: ita illud, ex quo nihil animus præuidere, & præſentire poteſt, quodque nihil expedit, & abſoluit, iniucundum eſt. Facile vero percipitur, quod facile memoria retineri poteſt; idque quia numerum habet in periodis talis elocutio, qui omniũ eſt aptiſſimus ad memoriam. Quæ cauſſa eſt, cur metra omnes magis recordẽtur, quam ſoluta. numerũ enim habent, quo menſurantur. Quartum præceptum eſt, periodum ſententia terminandam eſſe, neque abrumpendam, vt in illo verſu, quem Philoſophus citat tamquam Sophoclis, cũ tamen ſit Euripidis in Meleagro. id quod nonnulli tribuerunt errato memoriæ. Verſus ille ſic conuerſus eſt; Calydon quidẽ hæc terra Pelopei ſoli. vbi contrarium licet exiſtimare, ſi nulla fiat diſtinctio verborum: videbitur enim Calydon eſſe in Peloponneſo, cum ſit in Aetolia; idque quia non ſit facta diſtinctio, quæ fieri debet ita, vt per ſe quidem legatur, Calydon quidem hæc: illud vero, Terra Pelopei ſoli, conſtruatur cum verbis ſubſequentibus, non cum iis, quæ antecedunt; & intelligatur ſermo fieri de duplici terra, tum de Calydona, quæ eſt in Aetolia: tum de altera, quæ eſt in Peloponneſo. Quinctũ præceptum docet vnam periodũ eſſe in colis, quæ ſunt partes eius: alteram

alteram eſſe ſimplicem, & vnimembrem. Ac in colis quidem eſſe perfectam dictionem, & diſtinctam, ac quæ facile ſpiritu comprehenditur, non in diſtinctione, vt in prædicta periodo, ſed totam, & in toto ambitu; columque eſſe alteram partẽ periodi. At periodum ſimplicem vocari, quæ vno membro continetur. Sextum præceptum eſt, nec cola, nec periodos aut mutilas, aut longas eſſe oportere. Nam quod puſillum eſt, & curtum, ac breuius, quam par eſt, facit ſæpe, vt hæreat auditor, & debito fraudetur, ac offendatur. Neceſſe enim eſt, quoties adhuc tendens ad id, quod vltra eſt, & ad modum termini, quem in ſe ipſo habet, retrahitur, quodammodo fieri offenſionem ptopter repulſionem; non aliter quam qui eius rei, veluti lapidis, in quam offenderunt, repulſu retro feruntur. Longa vero animum ad extremum tendentem relinquunt. veluti qui vltra terminum progrediuntur: relinquunt enim eos, quibuscum inambulant. Similiter vero etiam periodi, quæ longę ſunt, continuata oratio fiunt, & quiddam ſimile anabolæ, & dilationi Dithyrambicæ. Quare fit, quod iocatus eſt Democritus Chius in Menalippidem, qui fecerat pro antiſtrophis, & conuerſionibus poetarum anabolam, & dilationem Dithyrambicam, & pro elocutione verſa periodis diſtincta, & iucunda, elocutionẽ fuſam, periodis minime terminatam, & iniucundam. Cum enim dixiſſet Heſiodus, *οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων· ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη*. Nempe ſibi mala fabricat vir, alij mala fabricans: Malum vero conſilium conſultori peſſimum: Democritus vltimum verſum immutauit, & fecit *ἡ δὲ μακρὰ ἀναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη*, Longa vero anabola ei, qui fecit, peſſima. Conuenit enim tale etiam dicere in eos, qui longis colis vtuntur. Quæ vero nimis breuia cola habent, non ſunt periodi. ideo in præceps agunt auditorẽ. Septimum præceptum eſt, eam, quæ colis continetur, elocutionem aut diſtinctam eſſe, aut oppoſitam. Nam diſtincta eſt, vt in Panegyrico Iſocratis; Sæpenumero miratus ſum, & eos, qui celebres mercatus coegerunt: & eos, qui certamina gymnica inſtituerunt. Oppoſita vero eſt, cum vel in vtroque membro contrarium eſt alteri contrario appoſitum: vel idem membrum e contrariis conſtat. In oppoſita autem elocutiõe quattuor fi-

guræ obſeruantur, ἀντίθεσις, & contentio: παρίσωσις, & compar: παρομοίωσις, & aſſimilatio: ψευδὴς ἀντίθεσις, falſa oppoſitio. Contentionis primum exemplum eſt; Vtriſque autem profuerunt, & qui remanſerunt, & qui ſecuti ſunt. illis enim plura iis, quæ domi eſſent, acquiſiuerunt: his vero ſatis eorum; quæ domi eſſent, reliquerunt. Contraria manſioni conſecutio: ei, quod ſatis eſt, id, quod plus eſt. Secundum exemplum eſt, ὥστε καὶ τοῖς χρημάτων δεομένοις, καὶ τοῖς ἀπολαῦσαι βουλομένοις. ἀπόλαυσις κτήσει ἀντίκειται. Quare & pecuniarum indigentibus, & frui volentibus; Fruitio acquiſitioni opponitur. Maioragius videtur legiſſe, ἀντεχομένοις, qui vertit; Itaque & pecunias acquirentibus, & frui cupientibus. Nam acquirere, & frui inter ſe opponuntur. Si legatur δεομένοις, cogitandum eſt, an etiam legi debeat, ἀπόλαυσις χρήσει ἀντίκειται, Fruitio indigentiæ opponitur. Tertium eſt; Præterea contingit ſæpe in his, & prudentes aduerſa fortuna vti, & imprudentes recte agere. Quartum, Statim quidem fortium præmia obtinuerunt: non multo poſt imperium maris ſumpſerunt. Quinctum, Nauigaſſe quidem per terram: ambulaſſe vero per mare. Sextum, cum Helleſpontum quidem iunxiſſet: Athon vero perfodiſſet. Septimum, Et natura ciues, qui ſunt, per legem ciuitate priuari. Octauũ, Alij enim ipſorum male perierunt: alij vero turpiter ſeruati ſunt. Nonum, Et priuatim quidẽ barbaris ſeruis vti: publice vero multos ex ſociis deſpicere ſeruientes. Decimũ, Aut viuentes habituros: aut mortuos relicturos. Vndecimum, quod in Pitholaum quidã dixit, & Lycophronem in iudicio; Iſti autem vos domi manentes vendebant: profecti vero ad nos empti ſunt. In his omnibus comparãtur inter ſe contraria. Ac iucunda eſt eiuſmodi elocutio; primũ quia contraria notiſſima, & iuxta ſe poſita notiora ſunt: deinde quia videntur ſimilia ſyllogiſmo: elenchus enim eſt collectio oppoſitorum. Atque eiuſmodi quidem eſt contentio, & relatio cõtrariorum. Compar eſt, ſi ſint æqualia cola, & vnumquodq; membrũ conſtet ex pari fere numero ſyllabarũ: In prœlio mortẽ pater oppetebat: domi filius nuptias cõparabat. Aſſimilatio multiplex eſt, aut agnominatio, aut ſimiliter deſinens, aut ſimiliter cadens, aut coniugatio, aut conuerſio, aut eadẽ ſyllaba. Agnomi-

444

nario eſt ſimilitudo in principio, vt Agrum accepit ægrum ab ipſo. Placati donis, pacatique ore fuerunt. Similiter deſinens eſt ſimilitudo in fine verbi, vt Non putarunt ipſum puerum peperiſſe, ſed ipſius cauſſam fuiſſe. Similiter cadens eſt ſimilitudo in fine nominis, vt In cura quidem plurima, in ſpe vero minima. Cōiugatio eſt eiuſdem nominis caſus, vt Dignus vero, qui ſtatuam habeat æream, cum minime dignus ſit ære. Conuerſio eſt idem nomen, vt Tu illi, cum viueret, dicebas male, & nunc ſcribis male. Eadem ſyllaba eſt, vt Quidnam paſſus eſſes malum, ſi virum vidiſſes ignauum. Interdum autem cōtingit, vt in eadem verborum complexione ſint & contentio, & compar, & ſimiliter deſinens. Principia vero Periodorum ferme in Theodectiis enumerata eſſe dicuntur, de quibus Theodectis plura ſcripſimus initio horum commentariorum. Falſa vero oppoſitio eſt, quales faciebat Epicharmus; Interdum vnus ego ex illis eram: interdum apud illos eram ego.

IN CAPVT DECIMVM, *de elocutione vrbana, & locis Vrbanorum præcipuis, & in primis de translatione ex proportione.*

IN Arte Comica notauimus, ad ea, quæ dicuntur ἀςεῖα, καὶ εὐδοκιμοῦντα Vrbana, & quæ probantur, referri ea, quæ vocantur γελοῖα, καὶ εὐτραπελίαι, Ridicula, & Facetiæ, tamquam ſpecies ad genus ſuum. Nam ſi late accipiamus vrbana pro omnibus, quæcunque in vrbe vſurpantur, ea ſunt partim non ridicula, vt graues ſententiæ, quod exponit Victorius: partim ridicula, & quidem aut libero homine digna, vt facetiæ, aut indigna, vt ſcurrilitates. Omnino vrbana, & quæ probantur, aut non ſunt facetiæ, aut facetiæ, vt ibi plurib. verbis expoſuimus. De vrbanis autē ſex traduntur a philoſopho, primū, vtrū a natura, an ab arte ſint: deinde, quæ valeant ad vrbanitatē: præterea in quibus rebus ſpectentur: tū quæ ſint vrbana in ſententia: inde quæ in elocutione: poſtremo, quæ ex proportione.

Primo loco igitur præcipitur, fingere quidem vrbana, & quę probantur, eſſe ingenioſi, aut exercitati: demonſtrare vero eſſe methodi huius. Itaque ea conſiderantur duobus modis, aut in parte, aut vniuerſe. & primo modo pertinent ad naturā, vel exercitationem: ſecundo modo ad artē, & methodū, ac certam

quandam viam, & rationem, qua in arte explicantur, & vniuerſe demonſtrantur.

Secundo loco exponitur ad vrbanitatem valere nō linguas, & externa vocabula, quia ſunt incognita; nec propria, quia ſunt nimis nota: ſed tranſlata, & per imaginem dicta. Nam facile aliquid diſcere, omnibus natura iucundum eſt. Nomina autē aliquid ſignificant, & monſtrant. Quare & quodcunque nomen nobis intelligentiam aliquam præbebit, iucundum erit. Itaque nomina variarum linguarum, & peregrina ex iis ſunt, quæ ignorantur. Propria vero ex iis, quæ ſcimus. Nullum igitur horum nobis cognitionem videtur afferre. Sed tranſalatio eſt, quæ id maxime præſtat. Cum enim quis dixerit, ſenectutē ſtipulam, ex communi horum genere, quod ſcilicet ambo defloruerint, intelligentiam præſtitit, & cognitionem. Efficiunt idem & imagines, quæ quidem poetarum ſunt. Quare ſi recte adhibitæ fuerint, feſtiuitatem habere videbuntur. Nam imago, quemadmodum prius dictum eſt, translatio eſt, a qua quidem parua adiunctione differt. Ideo minus iucunda eſt, quam tranſlatio, quia eſt longior, & non dicit hoc illud eſſe, vt tranſlatio, qualis illa apud Terentium ſub perſona Thaidis in Eunucho; Sceleſta ouem lupo commiſiſti: ſed addit aliquid, vt Veluti, Sicuti, Quaſi, Tamquam, quemadmodum ſi Thais dixiſſet, Tamquam ouem lupo commiſiſti puellam. Ac ne id quærit auditoris animus, vt illud addatur, niſi cum durior videtur eſſe tranſlatio, vt aliqua mollitudine indigeat.

Tertio loco traditur, ſpectari vrbana partim in elocutione, partim in enthymemate, & ſententia, quæcunque nobis celerem præſtant intelligentiam.

Quarto loco oſtenditur, neque probari eminentia, & quæ in promptu ſunt, enthymemata, nempe illa, quæ omnibus nota ſunt, & quæ nihil opus eſt ſcrutari: neque obſcura, quæ cum dicta ſunt, ignorantur: ſed ea, quorum vel ſimul ac prolata fuerint, cognitio fit, qualis eſt illa ſententia, Nemo amator eſt, qui non ſemper amet; vel paullulum tardatur mens ad ipſa intelligenda, quemadmodum cum C. Lælius cuidam ignobili genere nato, qui dixerat, Indignus es maioribus tuis; reſpondit, Et tu tuis dignus. Ex his enim videmur quaſi aliquid diſcere; ex

illis

illis vero nihil. Propter hanc itaque rei intelligentiam, quæ aut ſtatim, aut paullo poſt fit, probantur ſententiæ.

Quincto loco tria præcipua genera receſentur vrbanorum in elocutione. Vnum ex oppoſitione, vt in oratione Iſocratis ad Philippum de pace; Et aliis communem pacem exiſtimantibus: ſuis vero priuatis rebus bellum. vbi opponitur bellum paci. Alterum ex translatione, quæ neque aliena debet eſſe, & nimis remota, vt ſi quis diceret Syrtim patrimonij, charybdim bonorum: neq; eminens, & in promptu, ac vulgaris, atque omnibus nota, vt Animo voluere, & Deſiderio teneri, & alia huiuſmodi nimis trita. illa enim priora difficile eſt contueri, atque intelligere: hæc vero nihil mouent. Tertium ex actu, qui ſignificatur in rebus ipſis, dum ante oculos ponuntur, veluti iam gerantur. Quæ enim cerni oportet, ſunt potius ex iis, quæ geruntur, quam quæ gerenda ſunt. Tria igitur in primis oportet ſpectare, translationem, oppoſitionem, actum.

Sexto loco, cum exempla oppoſitionis multa allata ſint capite nono huius libri, hic afferuntur exēpla translationis, quæ cum ſit quadruplex, vt ex artē Poetica in caput ſecundum huius eiuſdem libri ſcriptum eſt, in hac materia vrbanorum laudantur potiſſimum translata ex proportione; quorum primū exemplum eſt Periclis; Vt ſe habet ver ad annum: ſic iuuentus ad ciuitatem. Itaque dixit, iuuentutem mortuam in bello ſic ſublatam eſſe ex ciuitate, vt ſi quis ver ex anno tolleret. Alterū exemplum eſt Leptinis de Lacedæmoniis: Non oportere permittere, vt Græciæ alter oculus erueretur. Vt enim ſe habet oculus ad corpus: ſic Lacedæmonij ad Græciam. Tertium Cephiſodoti, qui ſtudēte Charete rationes reddere de Olynthiaco bello, ægre tulit, cum diceret, in furno populum habentem rationes conari reddere. Vt enim illi, qui ſunt in furno, ſe habent negligenter ad alia omnia, præter quam ad id, vt quamprimum exeant: ſic populus graui bello oppreſſus Olynthiaco ſe habebat negligenter ad rationum redditionem, & ad omnia, præterquam ad id, vt eo bello liberaretur. Itaque eo tempore Chares nō debebat rationes reddere. Quartum eiuſdem Cephiſodoti, qui cohortans aliquando Athenienſes, vt in Eubœam frumētatum irent, dixit, Oportere exire Miltiadis de-

446

περὶ ἡμιωβέλια ἱερῷ τοὺς ναοποιούς, hoc eſt, Maiores iniuriæ ſunt, quæ a maiore iniuſtitia manant. Quo fit, vt etiam quæ minimę videntur, interdum ſint maximæ. Quemadmodum Menalopum accuſabat Calliſtratus, quod eos, qui templum faciendum redemerant, in ſingula capita ſeſquiobolo fraudaſſet. Maiorē igitur improbitatē præ ſe fert is, qui in parua pecunia tenetur, quam is, qui in magna, quemadmodum furans obolum, quam aureum, furacior. Nam quæſtus magnitudo poteſt inducere homines etiam minime malos; vt etiam in rebus Venereis nequior eſt in deformi peccans; & edacior, qui ſe inſercit obſoniis vilibus. Hinc igitur videtur vinci, ad fœnerandum propenſiorem eſſe, qui minutis quibuſdam vſuris, quam qui immodicis ad fœnerandum compellitur. Sed vtrouis modo interpretemur, paullo ſecus neceſſe eſt legere, quam quomodo eſt impreſſum; tamen mutatione adeò leui, vt vix appareat. quo minus fortaſſe eſt mirum librarios id minus vidiſſe. nam pro οὐδὲν in genere neutro legendum videtur οὐδεν' cum apoſtropho in virili, & illud αὐτὸν, quod in Victoriano codice, neſcio, an alibi, eſt aſpiratum, non aſpiratum, ſed tenui ſpiritu. pro voce autem πονηρότερος, quam Victorius affirmat legi in antiquiſſimo libro, melius eſt, vt legatur πονηρότερον in accuſatiuo. Videntur autem eſſe verba eius, qui inuehatur in certum hominem, qui vt fœnerator non inhumanus, neq; admodum illiberalis diceretur eſſe eo quod decimis eſſet contentus. Quinimmo nemo hoc, inquit, improbior. Nā hic alter (deſignans alterum, qui rapaciſſimus haberetur) tertias: at vero hic noſter, hoc eſt ille, de quo erat ſermo, qui ſignificatur per illud αὐτὸν, decimas exigens; deprehenditur improbius. plus autem eſt decem, quam tria exigere. ergo & decimas plus, quam tertias, habita ſcilicet ratione nominis, nō rei. Sin autem minus diſplicet altera expoſitio, cum decimæ minores ſint tertiis, peior ſit autem, qui minore lucro mouetur, decimas exigens peior erit. His duobus modis hūc locum explicauit Io. Franciſcus Muſaptus, Patricius Patauinus, omni polita doctrina, & nobili viro digna ornatiſſimus, in primiſq; Græcarum, & Latinarū litterarum doctiſſimus, & nō ſolū in vtraq; lingua poeta excellēs, verum etiā orator egregius, omnib. propter ſummū ingeniū ſuū, ſingularē doctrinā, ſuauiſſimos

mores, maximam probitatem amabilis, mihi vero etiam admirabilis, qui ſi gloria delectaretur, vere Muſaptus, & Muſæ aptus, ac ad ſcientiam, & eloquentiam natus, omnium Patauinorum longe clariſſimus eſſet; cuius ego viri non idcirco feci mentionem, vt eius laudes egregias obſcuro hoc in loco attingerem, quas ne iuſto quidem volumine complecti pro dignitate poſſem, ſed vt quomodo ipſe hunc Ariſtotelis locum mecum colloquens explicauerit, aperirem. Decimum exemplum eſt Anaxandridæ de filiabus nubere cunctantibus. Legitimum diem tranſgreſſę mihi nuptiarum virgines. Vt enim ſe habent illi, qui non ſtiterunt, & in iudicium die præſtituta non venerunt: ſic ſe habent filiæ vetulæ, quæ non amplius nuptiis aptæ ſunt. Vndecimum Polyeucti in apoplecticū quendam Speuſippum, Eum non poſſe quietem agere a fortuna in Penteſyringo morbo colligatum. Vt enim ſe habent illi, qui ſunt conſtricti Penteſyringo, genere vinculi, cum quinque foraminibus, in quæ caput, brachia, pedes inſerebantur: ſic ſe habet is, qui apoplecticus ſit. Duodecimum Cephiſodoti, qui triremes appellabat piſtrina varia. Fortaſſe intelligendum analogiam in hoc eſſe poſitam, quod perinde in his remiges cruciarentur, ac ſerui in piſtrinis. Maxime quia τριήρεις non tam videtur fuiſſe vocabulum nauis onerariæ, vt explicat Victorius, quam bellicæ. Quam male autem ſit remigibus, intelligitur ex eo, quod homines ad pœnam eo coniiciuntur. quod etiam apud veteres eſſe factitatum videtur, vt publicarum triremium remis homines pœnæ cauſſa affigerentur. Sic quoque explanauit Maioragius. Nam Victorius ideo triremes a Cephiſodoto piſtrina dictas putat, quod frumentum Athenas comportarēt. Decimumtertium Canis, ſeu Cynici Diogenis, qui cauponas vocabat Attica Phiditia. Vt enim ſe habebant Phiditia ad Lacedæmonios, conuiuia publica, in quibus frequenter epulabantur, & quidem temperate: ſic cauponæ ad Athenienſes, in quibus frequenter verſabantur. Decimumquartum Aeſionis; In Siciliam ciuitatem effudiſſe: hoc enim translatum eſt, & ante oculos poſitum. Atque vt ſe habent illa, quæ effunduntur, & cum murmure quodam, ac ſtrepitu effluunt: ſic ſe habebāt milites, qui cum impetu mittebantur. Decimumquinctum; Vſq;

adeo, vt clamarit Græcia. Vt enim ſe habet mulier, quę clamat, & vlulat: ſic Græcia ſe habere videbatur. Decimumſextū Cephiſodori, qui cauere iubebat, ne conciones multas facerent conflictiones. Vt enim ſe habent illi, qui in bello inter ſe confligunt: ſic illi, qui in concionibus tumultuantur. Decimum ſeptimum Iſocratis ad eos, qui concurrunt in conuentib. publicis. Vt enim ſe habent illi, qui concurrunt in certaminibus: ſic illi, qui congregantur in conuentibus publicis. Decimum octauum eiuſdem in oratione Funebri; Quamobrem æquum erat in ſepulchro eorum, qui in Salamine occubuerunt, tonderi Græciam, tamquam ſimul ſepulta cum virtute ipſorum libertate. Si enim dixiſſet, æquum eſſe lacrymare, ſepulta ſimul virtute, translatio eſſet, & ante oculos. At, illud, Cum virtute libertate, oppoſitionem quandam habet. Vt autem ſe habent corpora, quæ ſepeliuntur: ſic libertas, quæ amittitur. Decimumnonum Iphicratis; Via mihi orationum per medias a Charete res geſtas eſt. Vt enim ſe habēt illi, qui iter faciunt: ſic ſe habebat Iphicrares, dum orationē haberet de rebus geſtis Charetis. Trāslatio igitur eſt ex proportione. & illud, Per medias, rem ante oculos ponit. Vigeſimum; Aduocare pericula periculis auxiliantia. Vt enim ſe habent illi, qui aduocant aliquid: ſic illi, qui tentant res periculoſas. Eſt translatio, & ante oculos. Vigeſimumprimum Lycocleontis pro Chabria; Neque ſupplicem reuerentes ipſius imaginem æneam. Vt enim ſe habent illi, qui ſupplicant: ſic ſe habere videbatur ſtatua Chabriæ. Translatio autem erat illo Chabriæ tempore, aduerſiſque ipſius rebus, ſed non ſemper. & translatio erat rem ſubiiciens oculis. cum enim fortunæ Chabriæ periclitarētur, eius ſupplicans imago inducebatur, res inanimata, veluti animata. Vigeſimumſecundum, Commentarium operum ciuitatis. Vt enim ſe habet liber, & commentarius, quo res geſtæ narrantur: ſic ſe habebat ſtatua, quam qui aſpiciebant, veterū honeſte factorum recordabantur. Vigeſimumtertium; Quoquo modo parum ſapere meditantes. Meditari enim augere quiddam eſt. ſumpta ſunt verba ex Iſocratis Panegyrico, & translatio eſt in verbo Meditantes. Nam cum meditari augere aliquid ſit, vt ſe habent illi, qui augent quippiam & meditan-

tur, toto animo cogitantes, quomodo rem augeant: ſic ſe habebant Perſæ, qui longa, aſſiduaque cogitatione ſtudebant, parum ſapere, humiliter ſentire, ſpiritus minuere, animos frangere. Itaq; meditatio rerum meliorum transfertur ad ſtudiũ, & cogitationem rerum peiorum. Vigeſimumquartum, quod mentẽ Deus lumen accẽdit in animo. ambo enim illuminant aliquid. Et vt ſe habet lumen ad tenebras: ſic mens, & intelligentia ad ignorantiam. Vigeſimumquinctum; Non enim diſſoluimus bella, ſed differimus. Ambo enim aliquid futurũ ſignificant & dilatio, & huiuſmodi pax. Et qualis dilatio, talis hæc pax. Vigeſimumſextum; pactiones trophæum eſſe multo præclarius, quam quæ in bellis fiunt. Hæc enim pro re parua, vnaque ſecundę fortunæ conditione conſtituuntur: pactiones vero omnem belli controuerſiam, contentionemq; complectuntur. Nam pactiones, & trophæa ſigna ſunt victoriæ. & vt hæc, ſic etiam illæ ſe habent. Vigeſimumſeptimum, quod & ciuitates vituperatione hominum magnas pœnas dant. Nam pœna damnum quoddam iuſtum eſt. & vt ſe habet pœna: ita vituperatio. Ac vrbana quidem ex translatione quæ propotione conſtat, & ante oculos poſitione, duci dictum eſt.

In caput vndecimvm, *de ſubiectione ante oculos, & aliis locis vrbanorum.*

EXponẽdum eſt, quid ſit, ante oculos ponere, quidq; id efficiat. Ea igitur ante oculos ponunt, quæcunq; res ita euidentes faciunt, vt agi videantur. Translatio autem quandoque eſt ſine actu, vt cum dicitur vir quadratus pro bono: quod dicitur etiam de beato lib. 1. Ethicorum: quandoque cum actu, cuius multa afferuntur exempla. Primum Iſocratis in oratione ad Philippum; Qui florentem habet vigorem. Alterum; Te vero tamquam aphetum, id eſt, ſolutum, & liberum, tamquã animal, quod ſine cuſtode vagatur. in eadem oratione ad Philippum. Tertium ex Euripidis Iphigenia in Aulide; Hinc igitur Græci concitati pedibus, id eſt, cum impetu proficiſcentes. Ea quoque rem oculis ſubiiciunt, in quibus, vt Homerus ſæpe facit, inanimata, vt animata per translationem inducuntur. Nam & ea ſumma laus eſt in omni translato verbo, vt ſenſum feriat, & rem agentem pene in conſpectu animi ponat.

Quar-

h 48

Quartum exemplum eſt ex libro vndecimo Odyſſeæ: Iterum autem ad ima voluebatur lapis impudens. Quinctum ex libro decimotertio Iliadis, Euolauit ſagitta. Sextum ex eodem libro; Attingere cupiens, ſcilicet ſagitta. Septimum ex libro vndecimo Iliadis; In terra ſtabant cupientia corpore ſaturari, ſcilicet ſpicula acuta. Octauum ex libro decimoquincto Iliadis; Cuſpis autem pectus penetrauit, ſanguinis auida. In omnibus enim his, quia animata ſunt, agentia apparent. Nam eſſe impudentem, & eſſe auidum, & alia, actus ſunt. Hæc autem applicuit ex proportionem habēte translatione. Vt enim ſe habet lapis ad Siſyphum: ſic impudens ad id, cuius ipſum non pudet. Facit vero etiam hæc in iis, quæ probantur imaginibus de inanimatis. cuiuſmodi eſt nonum exemplum ex libro decimotertio Iliadis de vndis vento concitatis; Curuæ albeſcentes nunc hinc, nunc inde recurrūt. Facit enim, vt omnia moueantur, & viuant. Actus autem imitatio eſt.

Traditum eſt in ſuperiori capite, translationem non oportere eſſe alienam, & longe petitam, nec eminentem, & omnibus notam. Quod repetitur hoc in loco, illam nempe ducendam eſſe a propinquis, & minime apertis. Vt etiam in philoſophia ſimile in longe diſtantibus cernere ſolertis eſt. Affertur exemplum Archytæ, qui dixit, idem eſſe arbitrum, & aram: ad vtrumque enim, quod iniuriam accepit, confugit. Alterum exemplum, ſi quis diceret, anchoram, & cremaſtram idem eſſe: quia ſimile aliquid habent. ſed differunt, quod in anchora dens infra vergatur: in cremaſtra, & vnco illo, ſupra. Tertium, Aequatas eſſe ciuitates. Ea, quæ æquantur, & ciuitas multis in rebus differunt: ſed vt de ſuperficie, ita de potentia æquatio dici poteſt. Sunt autem & vrbana plurima ex translatione.

Et adhuc tres præcipui vrbanorum loci ſunt declarati, vnus ex oppoſitione, alter ex translatione, tertius ex actu.

Quartus locus eſt ex præcedenti deceptione: magis enim fit perſpicuum ipſum didiciſſe, cum contra ſe habet; & videtur dicere animus, quam vere: ego autem errabam. Pontidius, cū quidam ab eo petiiſſet, qualem exiſtimaret eum, qui in adulterio deprehenditur, tardum reſpondit.

Quinctus locus eſt ex apophthegmatib. q̄ ex eo vrbana ſūt,

quia non dicunt, quod verba ſonant, vt illud Steſichori, quod ſupra quoque citatum eſt, Fore, vt cicadæ humi canant, id eſt, vt ſequatur rerum omnium vaſtatio, & ruina, ita vt ne cicadæ quidem vllam reperire arborem queant, vbi canant, ſed neceſſe habeant, humi canere.

Sextus locus eſt ex ænigmate, vt apud Virgilium;

Dic, quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cœli ſpatium non amplius vlnas.

Aenigmata igitur, quæ recte ſint ad ea, quæ ſignificari volumus, accõmmodata, ſunt iucunda propter eandem cauſſam, quod ſcilicet non videaris dicere id, quod dicis, proptereaque auditor diſcat: deinde, quod translationem habeant.

Septimus locus eſt, vt ait Theodorus, ſi noua dicantur. Fit autem hoc, cum, quod non putabatur, innuitur, & non, vt ille dicit, ex priori opinione. Sed, vt in ridiculis ea, quæ leuiter immutata ſunt. Quod valent etiam ſales ab annominatione, cum inuertitur nomen. errorem enim obiiciunt etiam in metris, & verſibus illis, qui facetiarum iocis aſperſi ſunt. nam alia, quã ſuſpicatus fuiſſet auditor, dicuntur, & ſignificantur. Cuius rei exemplum eſt; Ingrediebatur autem habens ſub pedibus perniones. Ille vero putauit calciamenta dicturum. Atque hoc ſimul ac dictum eſt, oportet manifeſtum eſſe. Annominationes autem faciunt, vt dicat, non quod dicit, ſed quod inuertit nomen, vt illud Theodori in Niconem citharœdum, θράττει σε. quo quidem verbo ſimulauit ſe dicere, Conturbat te: ſed expectationem decipiens, voluit intelligi dixiſſe, θρᾶττη σε, Threicia te, ſcilicet genuit, vt ſis ſeruus, & ignobilis. quod cum percipitur, auditorem delectat. nam ſi non ſuſpicaretur auditor, illũ, in quem id dictum fuit, Thracem eſſe, nunquam ſalſe videretur fuiſſe dictum. Simile eſt illud, βούλει αὐτὸν πέρσαι. quod a Victorio exiſtimatur obſcurum: non magno tamen negocio explicari fortaſſe poſſit, ſi accipiatur, vt par, & geminum, cum proximo ſuperiori θράττει σε. quemadmódũ enim, qui id protulit, tetorſit vocabulum θρᾶξ, aut θρᾶττη, ſignificans hominẽ, fœminamue e Thracia, in verbum θράττειν, quod eſt turbare; ſignificauitq; illum, qui Thrax eſſet, aut matrem eius, in Thracia ortam facere, quod Thraces ſolerent, vt eum conaretur decipere,

449

cipere,ita etiam videtur intelligendũ hoc verbum πέρσαι,quod eſt populari,aut deuaſtare,in hoc dicto eſſe detortum ex vocabulo alicuius gentis,quod ſono vocis ei ſit finitimum. At eiuſmodi nomen eſt in promptu. Nam Perſæ appellabantur nobiliſſima,& notiſſima gens. Videntur igitur eſſe verba hominem Perſam alloquentis, aut per interrogationem, aut ſecus, & aut interrogantis eum, num, cum ſit πέρσης velit ipſum πέρσαι, id eſt,euertere,& ſpoliare,aut inſimulantis eum velle id facere. Quæ explicatio eſt doctiſſimi,ac diſertiſſimi viri,Io.Franciſci Muſapti Patauini.

Octauus locus eſt ex homonymia. Vt apud Græcos, quia ἀρχὴ imperium, & initium ſignificat, dictum aliquando fuit, Athenienſibus maris ἀρχὴν non ἀρχὴν eſſe malorũ. principatus enim maris,quem obtinebant,non fuit principium malorum,ſed cauſſa augendi opes ciuitatis. Vel vt contra Iſocrates dixit ἀρχὴν Lacedæmoniis ἀρχὴν eſſe malorum.In vtroque enim exemplo,quod non putabat quis dici,dictum eſt. atq; cognitum quoq; vtrunq; eſſe verum,& maris imperiũ aliis fuiſſe initium opum augendarum,& aliis initium malorum. Vbi ſi imperium dictum fuiſſet imperium eſſe,nil hęc oratio docuiſſet. Sed non ita dicebatur: nec ἀρχὴ vt priore loco,ita poſteriore imperiũ ſignificat,ſed initium. In his vero omnibus ſi congruenter nomen plura ſignificans, ſiue translatum, efferetur, probabitur. οἷον ἀνάσχετος, οὐκ ἀνάσχετος. ὁμωνυμίαν ἀπέφησεν· ἀλλὰ προσηκόντως, εἰ ἀεὶ δὶς. Vt Anaſchetus non Anaſchetus. homonymiam negauit: ſed congruenter, ſi ſemper bis. In hũc locum ſic Victorius; Exemplum obſcurius: neque enim, a quo pronunciata ea ſententia ſit,dicere habeo: nec certam omnino rationem eius nominis, quod duplex eſt, & nõ eodem intellectu ambobus locis poſitum afferre poſſum. Ἀνάσχετος nomen viri eſſe poteſt: & ita ſe res habet, vt ſuſpicor: qui fortaſſe quod importunis moribus eſſet, ac petulans, intolerabilis dici potuit: id enim valet ἀνάσχετος. Eodem etiam modo intellexit Maioragius,cum conuertit, Importunus non importunus. Ego inuenio.cum ἄσχετος ſit intolerabilis,ἀνάσχετον valere tolerabilem,& commodum,vt apud Plutar.in Numa, οὐκ ἀνάσχετον ἐποιοῦντο, non tolerandum ducebant. & apud He-

rod. οὐκ ἀνάχετον ποιησάμενος, non tolerandum ratus. Itaque aſſentior Io. Franciſco Muſapto, viro litteratiſſimo, mihique amiciſſimo, qui alio modo interpretatur, vt breuiter exponam. Ariſtoteles enim ait concinne, & lepide eum, qui proprio nomine appelletur Ἀνάχετος, negari eſſe Ἀνάχετον, ſubiicitque hæc verba, εἰ ἀεὶ δὶς. Sed longe ad commodiorem ſenſum hic locus redigeretur, ſi illud ἀεὶ δὶς, coeat in vocē vnam, & pro diphthogo ει adhibeatur littera η, atque itidem pro, ι ultima, legaturque ἀηδής, & intelligatur, Ariſtotelem dicere, commode, atque feſtiue eum, cui ſit nomen ἀνάχετος, dici poſſe οὐκ ἀνάχετον, & negari ſimilitudinem nominis inter hoc proprium, atque illud alterum, quod ſignificat hominem commodum, & tolerabilem, ſi ille, de quo eſt ſermo, ſit ἀηδής, hoc eſt, moribus minime commodis, & in conſuetudine quotidiana inſuauis, ac iniucundus. quod etiam Horatius videtur expreſſiſſe ſic; Habeare inſuauis, acerbus. Aliud exemplum ſequitur; Hoſpes, hoſpes ne magis, quam te decet, ſis. atque nō magis, quam te decet, hoſpes ſis, idem eſt. & non oportet hoſpitem hoſpitem ſemper eſſe. hic quoque, vt quis alienum non ſe præbeat, intelligitur. Illud etiam laudatur Anaxandridæ; Pulchrum eſt mori, priuſquam morte agat aliquid dignum. Quod quidem idem eſt, ac ſi diceres, Dignum eſt mori, qui non ſit dignus qui moriatur, vel, dignum eſt mori, qui non ſit morte dignus. Vel qui non faciat morte digna. His enim tribus modis variat Ariſtoteles dictum Anaxandridę. Ac forma quidem elocutionis in his eadem eſt. Verum quo breuius quid, & magis contrarie dicetur, eo magis probabitur. Cuius quidem rei cauſſa eſt, quod per ea, quæ opponuntur, magis docemur: per ea vero, quæ paucis efferuntur, celerius. Atque in his breuibus ſententiis oportet ſemper eſſe, aut perſonam, in quam quadrent, aut rectam dictionem, hoc eſt, elegantem verborum ſtructuram, & ſummā elocutionis virtutē, ſi quod dicitur, verū, & non inane futurum ſit. Licet autem hæc ſeparare, cumq; eorum vtrumque aderit, tunc vrbanū dictum poterit appellari, maxime ſi contrarie bis idem verbum ponatur. Nam poteſt eſſe ſimplex ſētētia grauis, & laudabilis, quæ quadret in perſonam, de qua dicitur, vt Mori oportet nihil peccantem. quæ tamen vrbana non eſt. Item poteſt eſſe ornata,

& ele

& elegans elocutio, quæ eleganter habeat verbum bis poſitũ, quamuis non contrarie, vt Dignam oportet digno nubere. quæ ne vrbana quidem eſt. At cum habuerit vtrumque ſimul, & perſonam, in quam quadret, & elegantiã, maxime per verbum bis, & contrarie poſitum, tunc erit maxime vrbana, vt Dignum eſt mori, qui mori non ſit dignus. Breues igitur omnes ſententiæ, de quibus in præſentia loquimur, quanto plura habebunt eorum, quæ diximus vrbanitatem orationi afferre, tanto videbuntur vrbaniores, vt ſi verba tranſlata ſint, atque ipſæ tranſlationes tales, quales antea diximus, & oppoſitio, ſeu contrariorum relatio, & compar, & quæ euidentiam, atque actum habent.

Nonus locus eſt ex imagine, quam dictum eſt cap. 4. eſſe tranſlationem ſimilitudine mollitam. Imagines igitur ſemper probatæ quodammodo tranſlationes ſunt: ſemper enim ex duobus ducuntur, vt ex proportione tranſlatis. Veluti cum dicimus, Scutum poculũ eſt Martis, & arcus cithara ſine chordis. Nequaquam enim, quæ ita enuntiantur, ſimpliciter dicuntur. Sin autem arcũ appellaremus citharam, & ſcutũ poculum ſimpliciter enunciaretur tranſlatum verbum. Imagine vero & ita res aſſimilãtur, vt cum dicimus, aulœdum ſimilẽ eſſe ſimię: λύκῳ ψακαζομένῳ εἰς μύωπα· ἄμφω γὰρ συνάγεται. Lupo madido in luſcioſum: ambo enim cõtrahuntur. Aliâs legitur, λύχνῳ ψεκαζομένῳ, lucernæ ſtillanti. Delenda videtur vox εἰς in. Satis apposite explicari poteſt, hominẽ imbecilli aſpectus ſimilẽ eſſe lucernæ, quam quis identidẽ aqua, aut re ſimili aſpergat. Vtraq; enim, & lucerna, ſi aqua inſpergatur, & infirmi oculi contrahuntur, & conniuent. Fortaſſe aliter poſſit exponi, & per illud λύχνῳ ψεκαζομένῳ intelligi lucerna vitioſa, & pertuſa, ex qua oleum per aliquam rimam guttatim effluat, quæ hoc ſimilis ſit oculis laborantibus, quod ex his itidem humor quidã emanet, atque effluat. Quo modo ſi accipiamus, illud ἄμφω συνάγεται poterit ſignificare hoc, quod vtraque, id eſt, infirmus oculus, & lucerna emanans, & perfluens, in vnum ducuntur, hoc eſt, ſimilia ſunt, atque inter ſe comparantur, & congregantur. Sic explicauit Io. Franciſcus Muſaptus Patauin⁹. Probata autẽ, cõcinnaq; videtur imago, quæ e tranſlatione per proportionẽ

ducta ſit, vt ſi per imaginem diceremus, ſcutum eſſe poculum Martis. Et parietinas eſſe pannum attritum domus. Et Niceratum eſſe Philoctetem morſum a Pratye. Ducta eſt translatio a ſerpente illo, qui Philoctetem momordit. Niceratus igitur ſuperatus a Pratye in certaminibus poëtarum, erat tamquã Philoctetes morſus. Vt dixit Thraſymachus, videns Niceratum ſuperatum a Pratye in Rhapſœdia, & Poeſi illa, quæ opponitur dramati, & actioni Comœdiarum, atque Tragœdiarum, qualis poeſis eſt Epopœia; Niceratum, inquam, qui alebat adhuc comam, & ſordidatus erat. In his maxime offendunt poetæ, ſi non recte conferunt, etiamſi ceteris in rebus recte probentur. Quidam legunt, καὶ ἐὰν δὲ, εὐδοκιμοῦσι. Atque, ſi recte conferunt, probantur. Affertur exemplum illud, Vt apium diſtorta crura gerit. Quæ imago non eſt ſatis accommodata. Et illud, ὥσπερ φιλάμμων ζυγομαχῶν τῷ κωρύκῳ: Vt Philammon ſub iugo decertans Coryco. Philammon ſine dubio fuit athleta, cuius mentionem fecit Demoſthenes pro Cteſiphonte. Corycum quoque fuiſſe hominem talem arbitratur Victorius. eodemque modo Maioragius, ſcribens de Coryco athleta forti, & ſtrenuo, extare apud Græcos prouerbium, Cum Coryco luctari, de iis, qui ſumunt inanem operã, quaſi Corycus eſſet inſuperabilis. Hieronymus Mercurialis, non ſolum Medicorum his temporibus primus, verum etiam in vniuerſo liberalium diſciplinarum orbe præcellentiſſimus, omnique probitate ornatiſſimus, libri ſecundi artis Gymnaſticæ capite quarto, auctoritate Antylli apud Oribaſium docet Corycum genus quoddam pilæ fuiſſe; illaque Antylli verba recitat; Corycus in corporibus imbecillioribus grano ficulneo, aut farina, in robuſtioribus arena impletur: eius vero magnitudo ad vires corporis, & ad ætatem accommodatur. Suſpenditur autem in gymnaſiis ſuperne e culmine; tantumque a terra diſtat, vt fundum ad eius, qui exercetur, vmbilicum pertineat. hunc vtriſque manibus tenentes, qui exercentur, primum quidem quiete, poſtea vero vehementius geſtant, ita vt ipſum recedentem conſequantur, & iterum redeunti cedant, violentia compulſi. Poſtremo vero eum e manibus reiicientes emittunt, vt cum reuertitur, vehementius corpori aduentur

ſuo

ſuo occurrat. ad extremum vero in ſedem ſuam ſæpiſſime reſtituendo, dimittunt, vt ex congreſſu, ſi non valde aduertant, retrocedat. ex quo fit, vt quandoque manibus occurrant, dum appropinquat. quandoque vero pectore manibus paſſis. quandoque autem his ad terga reuolutis. Idem Mercurialis ſcribit, de hoc intelligẽdum eſſe adagiũ illud, πρὸς κόρυκον γυμνάζεσθαι.

Decimus locus eſt ex prouerbio, quod eſt translatio, cum quid a ſpecie ad ſpeciem transfertur. Vt ſi quis bonũ eſſe, quod perficiendum attentauerit, ſecum ſtatuerit, ac deinceps ex eo damnum capiat, poterit dicere, Carpathius leporem. quod vtrique, quod dictum eſt, perpeſſi ſint, & Carpathius, & is, cui idem, quod Carpathio contigit. Qui Carpathum incolebant inſulares homines, cum leporem non haberent, par leporum in inſulam ſummo ſtudio comportarunt: illi autem poſtea numero valde aucti, vt eſt fœcundum animal, fructus agrorum corrumpebãt. vt narrat Pollux libro quincto. Factum eſt prouerbium de iis, qui ſibi ipſis damno forent.

Vndecimus locus eſt ex ſuperlatione. Traditur primo loco, etiam probatas ſuperlationes eſſe translationes. Vt in ſugillatum; Putaſſetis enim ipſum eſſe mororũ calathum. Rubrum enim ſugillatum eſt. Sed nimis res tollitur, ac ſupra quã communis translatio poſtulat. Secundo loco diſtinguitur ſuperlatio ab imagine genere dicendi. Nam imago eſt, cum dicitur, Veluti Philammon ſub iugo decertans Coryco. Superlatio vero, Putaſſetis ipſum eſſe Philammonem pugnantem Coryco. Item, Veluti apium diſtorta crura ferre. Putabam autẽ non crura, ſed apia habere, ſic diſtorta ſunt. Tertio loco traditur, res ita ſupra tollere, quam fieri poſſit, adoleſcentioris eſſe, σφοδρότερον γὰρ δηλοῦσιν. Vehementius enim aperiunt. Victorius legit, σφοδρότητα γὰρ δηλοῦσιν. Motum enim vehementiorem animi declarant. Quare huiuſmodi ſuperlationes etiam conueniunt iratis. Vt illa Achillis lib. 9. Iliadis; Neque ſi mihi tot det, quot arena, & puluis, Filiam non duco Agamemnonis Atridæ; Neque ſi cum aurea Venere pulchritudine contendat: operibus vero cum Minerua. Hac forma loquendi, in qua res ita tolluntur, maxime vtuntur oratores Attici, ſed ſeniorem dedecet.

IN CAPVT DVODECIMVM, *de elocutione conuenienti.*

EXplicatur primum duplex elocutio conueniens: deinde, qualis vtraque ſit: tertio loco vbi vtraque valeat: quarto quæ elocutio admittat diſſolutiones, & repetitiones: quincto quæ conueniat generi deliberatiuo: ſexto, quæ iudiciali: ſeptimo quæ demõſtratiuo: poſtremo quæ ſuperuacanea ſint præcepta de elocutione conuenienti.

Primum igitur præceptum docet, duplicem eſſe elocutionem; vnam ſcriptionis, alteram contentionis. Rurſus elocutionem contentionis eſſe duplicem, alteram concionis, ſeu deliberationis, alteram iudicij. Nam demonſtratiua, ad eam, quæ eſt ſcriptionis, refertur. Vtrãq; autẽ ſcire neceſſe eſſe, vt emendate loqui ſcias, & ne tacere cogáris, ſi quæ volueris mandare litteris, ceteris cognoſcenda. quod quidem euenit iis, qui ſcribere neſciunt.

Alterum pręceptũ exponit in ſcriptione, & contentione diuerſam eſſe elocutionẽ; quia illic ſpectatur exactiſſima, & dilige̋tiſſime elaborata; hic cũ actione maxime cõiuncta, & actione potiſſimũ nitens. Atq; hæc rurſus duplex eſt, vna morata, ad mores, & ad omnem vitæ conſuetudinẽ accõmodata: altera affecta, qua perturbãtur animi, & concitantur. Idcirco & actores fabularum talia dramata, & actiones fabuloſas ſectantur, vt imitentur: & poetæ tales in ſcribendo intuentur, qui affectiones, & mores agendo exprimant.

Tertium præceptũ laudat duos, quorum ſcripta placebant. Talis enim fuit Chæremon, qui accuratus fuit, vt orationum ſcriptor. Talis quoq; Licymnius inter Dithyrãbicos. Præterea oſtendit, ſi ſcriptores, & oratores inter ſe cõferantur, illos quidẽ in contẽtionibus, forenſibusq; certáminib. anguſtos videri: ab his vero, quę cõmode pronunciata fuerint, cũ in manib. habentur, vulgaria apparere. Eiusq; rei cauſſam eſſe, quod hæc in acie conueniunt; ita vt cum actione valeant, ablata actione, nõ obeuntia munus ſuum, inſulſa, ſtolida, inania videantur. Altera igitur elocutio in lectione valet: altera in actione.

Quartum præceptũ eſt de diſſolutis, & repetitione. Nã quæ diſſolutionib. relaxantur, & quod ſæpius iteratũ ponitur, recte qui-

quidē in ſcriptione reprobantur: in contentionib. vero etiā ab oratoribus vſurpantur, quia actione valēt. Quod attinet ad repetitionē, neceſſe eſt varie rem eandē enunciare. quod quis dū facit, ſe in actionē inſinuat. Veluti ſi diceretur; Iſte eſt, qui vos expilauit: iſte eſt, qui decepit: iſte eſt, qui deniq; prodere conatus eſt. Vt & Philemon hiſtrio fecit in Anaxandridæ Gerontomania, ita appellata, quia ibi ſenes inſani inducebantur, dū ſcilicet Rhadamāthus, & Palamedes loquerentur. Et in Prologo eius Comœdiæ, cui nomen erat Piorum, vbi ſæpe vox Ego iterabatur. Si quis enim talia ſine actione efferret, ſimilis efficeretur trabē geſtanti, qui onere oppreſſus vno, eodemq; ſtatu corporis, & greſſu incedit. Quod attinet ad diſſoluta, ea ſunt huiuſmodi, Veni, obuiam proceſſi, rogaui. In quibus idē eueniret, niſi actione adiuuarentur. Neceſſe enim eſt, vt actio ſubſequatur: nec (veluti rem vnam tantum dicas) eodem corporis, ac animi habitu, & vocis ſono pronunciandū eſt. Præterea habent aliquid proprij diſſoluta, vt multo eodē temporis ſpatio dicere videaris. Nam coniunctiones efficiunt, vt plura vnū videantur: quæ ſi demptæ fuerint, ab vno fiet plurium deductio. Quæ igitur diſſolute dicuntur, res amplificant. Vt veni, locutus ſum, ſupplicaui. multa enim vidētur dici. Item; Verū contēnere videtur, quæcunq; dixi, quæcunq; aio. Atq; id vult facere etiā Homerus lib 2. Iliadis, in Catalogo, cum ait, Nireus Symenſis, Nireus Aglaiæ filius, Nireus pulcherrimus. De quo enim multa dicta ſunt, neceſſe eſt etiā ſæpius dictum eſſe. Igitur ſi ſæpius dictū ſit, etiā multa pariter videntur fuiſſe dicta. Quare poeta ſemel Nireū memorans, amplificatione vſus eſt, in qua plura, quam ſimplex alicuius nominis cōmemoratio exigebat, afferens, multa de eo nos fallendo voluit videri dixiſſe: atque ita eius memoriam in animis reliquit, cum de eo nullam eſſet deinceps mentionem facturus,

Quinctum præceptū eſt de elocutione deliberatiua. Nā genus elocutionis deliberationib. accōmodatum ſimile omnino eſt vmbratili picturæ. Etenim quanto maior turba fuerit eorum, quæ deſcripta ſunt, lōginquius ſpectari poſſunt, minuſq; requiruntur opera minuta, & exquiſita. Sic elocutio deliberatiua in maximo conuentu, & frequentia hominum exercetur,

In caput decimumtertium, *de partibus orationis*.

Reliquum eſt vt de partibus orationis diſputetur, quę enumerantur modo duæ, modo quattuor, modo plures; in quas ſuo loco collocatas omnes res inuentæ diſtribuuntur: nihil enim aliud dicitur eſſe diſpoſitio, niſi rerum inuentarum in ordinem diſtributio.

Primo loco igitur traditur, propoſitionem, & fidẽ eſſe partes neceſſarias. Quemadmodum enim in ſermonib. philoſophorum eſt problema, ſeu quæſtio, & præter problema ipſa demonſtratio, ſeu diſputatio: ſic in contẽtionib. oratorum debet eſſe propoſitio, & fides. Et, quemadmodum nullus ſermo inſtituitur a philoſophis, in quo primum non quæratur id, quo de agitur, deinde non demonſtretur, & probetur: ſic nulla ab oratoribus cauſſa pertractatur, in qua primum non proponatur id, quod in controuerſia poſitum eſt, deinde non probetur; vt merito propoſitio, & fidei partes neceſſariæ appellentur. Obſeruandum eſt autem propoſitionem vniuerſe eſſe neceſſariã, ita vt oratio ſine ea eſſe non poſſit: at in parte non eſſe neceſſariam. Propoſitio vniuerſe eſt, cum quomodolibet proponitur illud, quod confirmandũ eſt, vel refutandum. Propoſitio in parte eſt, quæ aut eſt longior, & totum factum exponit, proprieq; dicitur narratio, vt quomodo Clodius a ſeruis Milonis fuerit interfectus: aut breuior; & eſt aut partitio, quæ plura capita cõplectitur, vt pro lege Manilia; Primum mihi videtur de genere belli: deinde de magnitudine: tum de imperatore deligẽdo eſſe dicendum. aut ſimplex propoſitio, vt pro Milone; Vter vtri fecerit inſidias. Quemadmodum autem neceſſe eſt, vt aliquo modo fiat propoſitio: ſic non eſt neceſſe, vt magis vno modo, quam altero fiat; idcircoque notauimus eam quidem vniuerſe eſſe neceſſariam: at in parte non eſſe neceſſariam. Fides autem non accipitur hic, quemadmodum lib. 1. cap. 2. pro qualibet perſuaſione tum artificioſa, tum artis experte: nec vt lib. 3. cap. 1. pro perſuaſione artificioſa: nec, vt lib. 1. cap. 1. pro illa perſuaſione artificioſa, quæ eſt argumentatio, ſeu enthymema: ſed pro illa parte orationis, quæ dicitur confirmatio, ſi-

muſque complectitur refutationem, nempe ita appellata, quia in eam potiſſimum conueniat fides, perſuaſio, argumentatio, enthymema, quod eſt corpus, vel robur fidei, ac potētiſſimam fidem dicitur continere.

Secundo loco oſtenditur, quaſdam partes non eſſe neceſſarias, quas omnes nōnulli dicendi magiſtri ridicule cōprehenderunt. Narratio enim iudicialis orationis ſolius eſt: non demonſtratiuæ, niſi in partibus: nec deliberatiuæ, niſi aſſumpta; vt ſuo loco patebit. Nec refutatio eſt demonſtratiuę orationis. Nec peroratio eiuſdem eſt. Præterea procœmiū, & aduerſa collatio, & repetitio non eſt ſemper deliberatiuæ, ſed tunc tantū, cum adeſt, qui contradicat. Etenim in tali genere etiam accuſatio, & defenſio ſæpe adhibentur: verum non quatenus conſilium datur, ſed quatenus aliquid contra aliquem dicitur. Poſtremo peroratio non eſt omnis iudicialis orationis, vt ſi cauſſa parua ſit, aut res facile ſub memoriam cadat.

Tertio loco enumerantur quattuor partes orationis, quæ præcipuæ ſunt. Cōtingit enim ex longitudine amputari, & longiori diuiſione omiſſa præcipuas partes enumerari. Neceſſarię igitur particulæ ſunt propoſitio, & fides. Sunt enim hæ propriæ. Si vero plurimæ enumerentur, quæ præcipuæ ſint, erunt procœmiū, propoſitio, fides, peroratio. Quidā putant, hoc præceptū Ariſtotelis de quattuor partib. orationis eſſe idē cū præcepto Ciceronis in partitionibus, vbi ſcriptū eſt, orationis partes eſſe quattuor, earū duas valere ad rem docendā, narrationē & confirmationem: ad impellendos animos duas, principiū, & perorationē. Tamen cōſtat in eo diuerſum eſſe, quod Cicero loco propoſitionis, quā Ariſtoteles partē neceſſariam facit, narrationē ponit, quæ non eſt pars neceſſaria. Non enim conuenit generi deliberatiuo, niſi aſſumpta ad criminandū, vel vituperandum, ſeu contra: nec demonſtratiuo, niſi in partibus.

Quarto loco quædā partes ad præcipuas referuntur, vt refutatio, & aduerſa collatio ad fidem. Nam ad probationē illa pertinent, quæ ad refutandū, & diluendū aduerſarij argumēta afferuntur. Atq; collatio eorū, quæ a nobis, & quæ ab aduerſario fuerunt argumentis demonſtrata, auget, & amplificat illa, quæ nos probauerimus. Quare & illa quoq; pars quædam eſt fidei.

Pro-

Probat enim aliquid, qui ita argumẽtationes ſuas, & aduerſarij inter ſe cõfert. Minime vero, qui prooemio, & qui peroratione vtitur: ſed in memoriam reuocat, ſcilicet is, qui perorationẽ facit: is vero, qui prooemiũ, non probat, ſed indicat finem, cuius gratia oratio inſtituta eſt, & animos parat ad audiendũ. Accipit autem hoc in loco philoſophus ſtrictim ipſam perorationem, cui veteres tantũ enumerationẽ tribuebãt. Nam tametſi aduerſa collatio, & amplificatio probare aliquo modo videntur, & idcirco ad fidem referri queunt: tamen ipſe poſtea perorationem dilatans, & plures eius partes faciens, amplificationem quoque, & collationem argumentorum ipſi relinquit. Intelligendum eſt quoque narrationem redigi ad propoſitionem: & repetitionem ad perorationem.

Quincto loco præcipitur partes orationis non eſſe multiplicandas, ne faciamus, ὅπερ ἐποίουν οἱ περὶ Θεόδωρον, vt faciebant Theodori ſectatores. Sigonius; Vt Theodorus fecit. Et ne incidamus in errorẽ Lycimnii. illi enim fecerunt nõ ſolum narrationẽ, verumetiam ſupernarrationem, & prænarrationem: hic vero nominauit irruptionẽ, aberrationem, ramos. quod fuiſſe inane, & nugatorium monemur, cũ imponẽdum nomen non ſit, niſi noua aliqua forma, & differentia inferatur. Plures quoq; partes enumerantur apud Ciceronẽ lib. 1. de orat. nempe initium, demonſtratio, quæ accepta eſt pro narratione, conſtitutio controuerſiæ, quæ pertinet ad partitionẽ, confirmatio, refutatio, peroratio. & lib. 2. exordium, narratio, diuiſio, propoſitio, confirmatio, refutatio digreſſio, peroratio. Sed omnes ad illas quattuor præcipuas ſunt redigendæ.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM, *de prooemiis demonſtratiuis, iudicialibus, deliberatiuis.*

DIſtinguitur prooemium a prologo, & proaulio. Nã prooemiũ eſt principiũ orationis. Prologus eſt principiũ poeſis. Proauliũ eſt principiũ auleſis. Hæc enim omnia, inquit philoſophus, principia ſunt, & tamquã viæ munitio inuadẽti. Scribit Quinctil. lib. 4. Quod principium latine, vel exordium dicitur, maiore quadam ratione a Græcis nominatum fuiſſe prooemium, quaſi ante cantum, vel ante viam, & ingreſſum: quia

οἴμη cantus ſit, & οἶμος via. Hanc igitur vltimam Ariſtoteles agnoſcere etymologiam videtur.

Ac proaulium quidẽ, & procemium demonſtratiuarũ orationum inter ſe ſimilia ſunt. Etenim tibicines quodcunq; poſſunt canere, & in quocunq; ſe ipſos cognoſcunt valere, id præcinentes, cum endoſimo copulant. Endoſimum, inquit Budæus, eſt auſpicatus rhythmi, vel melodiæ, & præſcriptũ, quod datur ab ipſo chorodidaſcalo, cui accinere chorũ oportebat. quo edito, quoniã chorus incitabatur ad cantũ, ideò factũ eſt, vt endoſimũ pro inuitamento, & occaſione data ponatur. Hæc ille. Infra quoq; nominantur endoſima pro procemiis demõſtratiuis ad hunc modũ, δεῖ δὲ, ἢ ξένα, ἢ οἰκεῖα εἶναι τὰ ἐνδόσιμα τοῦ λόγου. Oportet vero aut aliena, aut propinqua eſſe endoſima orationi. Videntur igitur endoſima eſſe tota proaulia, quę poſſunt etiam eſſe aliena, quemadmodũ quoq; procemia demonſtratiua. Quod ſi ita eſt, neſcio, quomodo Victorius ſcripſerit, endoſimũ eſſe partem eam, quæ inter proluſionẽ (ſic enim appellat proauliũ) & verũ cantum poſita eſt, & tamquã copula cõiungit ambas illas valde inter ſe diſtantes res: & quomodo Maioragius endoſimũ ſequentem cantũ, & legitimum cantũ appellauerit. Iam quemadmodũ tibicines, quodcunq; volunt, ſolẽt præcinere: ſic etiam fieri poteſt in procemiis demõſtratiuis, vt, quod quiſq; velit, ſtatim dicatur, & copuletur, atq; adnectatur. cuius quidẽ rei omnes exemplũ ponunt procemiũ Iſocratis in encomio Helenæ. Nihil enim ibi cõmune eſt ſophiſtis, a quibus exorſus eſt, & Helenę, de qua erat dicendũ. Simul vero etiã, ſi a cauſſa facta fuerit digreſſio, minime dedecet. non totã orationem eiuſdẽ generis eſſę. Ducuntur autẽ procemia demonſtratiua a laude, aut a vituperatione. Vt Gorgias in Olympica oratione: Digni ſunt, inquit, qui ſuſpiciantur a multis, viri Græci. Laudat enim eos, qui illã inſtituerant ludorũ celebritatem. Iſocrates vero eoſdem vituperat, quod virtutes corporis donis decorarint: iis vero, quę ſunt animi, & prudentiæ præmiũ conſtituerint nullum. Sumuntur etiã ex iis, quibus conſiliũ datur, vt ex ſuaſione, aut diſſuaſione, cum forma conſilij ad laudẽ conuertitur. Veluti ſi quis diceret, honore oportere bonos afficere: idcircoq; a ſe laudari Ariſtidem. Vel illos cõmendari oportere,

non

non qui clari ſint, non qui mali, quod alterũ ſuperuacaneũ ſit, alterũ minime deceat: ſed quicunq; viri boni obſcuri ſint, qualis fuit Alexãder Priami filius, dum in montib. Idæ lateret. Hac enim dicẽdi forma conſiliũ datur. Præterea ducuntur a procœmiis iudicialibus, hoc eſt, ab iis, quæ referuntur ad auditorẽ, & quibus retinetur eius animus, ne a nobis alienetur, ſi de re incredibili habeatur oratio, vel de ardua, & difficili, vel de vulgari, & peruagata, vt nobis venia detur. quod quidẽ Chœrilus fecit, cum inquit; Nunc vero cum omnia ſint peruulgata, & quæ ſequuntur. Illud hac præceptione conficitur, quinque eſſe locos procœmiorũ demonſtratiuorum, vnũ a laude, alterum a vituperatione, tertium a ſuaſione, quartũ a diſſuaſione, quinctũ ab iis, quæ referuntur ad auditorẽ. Et endoſima, id eſt procœmia demonſtratiua, quæ ſunt ſimilia proauliis, poſſe eſſe & propinqua illi rei, qua de agitur, & aliena, ac ſeparata, vt quæ a Cicerone de eo vitio ſcripta ſunt, de cauſſis deliberatiuis, & iudicialibus, non de demonſtratiuis, intelligenda eſſe videantur; cuiuſmodi procœmia, & præfationes alienas, ac ſeparatas etiam admittunt Quæſtiones infinitæ, vt etiam confici poſſint, & parari, priuſquam de aliqua Quæſtione ſit cogitatũ, ac diuerſis quoque Quæſtionib. conuenire, quippe quæ ſint extra res illas, de quibus agitur; vt apparet ex his verbis Ciceronis ad Att. lib. 16. epiſt. 5. De gloria librum ad te miſi, & in eo procœmium id eſt, quod in Academico tertio. id euenit ob eam rem, quod habeo volumen procœmiorũ, ex eo eligere ſoleo, cum aliquid σύγγραμμα inſtitui. Itaq; iam in Tuſculano, qui non meminiſſem me abuſum iſto procœmio, conieci id in eum librum, quẽ tibi miſi. Cum autem in naui legerem Academicos, agnoui erratũ meũ: itaque ſtatim nouum procœmium exaraui, & tibi miſi. tu illud deſecabis, & hoc agglutinabis.

Quod attinet ad procœmia iudicialia, primo loco traditur, illa idem valere, quod valent dramatũ prologi, id eſt, illarũ poeſium, quæ habent agentẽ imitandi modũ, cum poeta nihil ex ſua perſona dicit, ſed tantum perſonas loquentes inducit, vt in Tragœdiis, & Comœdiis. Similiterq; procœmia Epicorum, id eſt, poematum heroicorum. Nam principia poeſis Dithyrambicæ, quæ canebat Bacchum, erant ſimilia procœmiis demon-

ſtratiuis; vt illud, διὰ σὲ, καὶ τὰ δῶρα, εἴτε σκῦλα, Te propter, tuaque dona, ſiue ſpolia. Sic enim legendũ, vt monuit Victorius ex veterib. libris, & veteri cõuerſione, & non quemadmodũ in multis impreſſis libris legitur, οἷον ἦλθεν εἰς σὲ, διὰ σὲ, καὶ τὰ δῶρα, καὶ εὐεργετήματα, καὶ τὰ σκῦλα, ὦ θεὲ Διόνυσε. Vt Venit ad te, propter te, & tua dona, & beneficia, & ſpolia, ô Deus Bacche. Cum igitur procemia iudicialia ſint ſimilia prologis dramatũ, & principiis Epicorum, debent præſtare illud, quod tales prologi, & talia principia præſtant. Nã in Logis, hoc eſt ſermonib. illorum dramatũ, & in Epicis, ac heroicis carminibus prologi, & principia ſunt indicia futuræ orationis, vt præuideatur, qua de re futura ſit oratio, nec ſuſpenſus teneatur animus. Quod enim terminũ non præſcribit, vagari, & errare cogit. qui vero in principio dicendi tamquã primam cognitionem in manus tradit, facit, vt hac comprehenſus auditor ſecũ conſequentem quaſi viam ſequatur orationẽ. Ideo recte factũ eſt illud principium Iliadis; Iram Diua cane: & illud Odyſſeæ; Dic mihi Muſa virum: & illud incerti poematis; Dux mihi Muſa ſis, vt alio canam carmine, quomodo in Europam ingens ex Aſia bellum venerit. Et Tragici quoque, in dramate, & actione Tragœdiarum, res illas, quę in fabulis contineantur, quamuis non ſtatim in initio indicent, vt faciunt poetæ Epici, ſed dum ipſas imitantur, vt Euripides: tamen in Prologo id faciunt, vt etiam Sophocles ibi; Mihi pater fuit Polybus. Quæ verba cum ſint in tertio actu Oedipodis, Tragœdiæ Sophoclis, & ob id notauerit Victorius Ariſtotelis μνημονικὸν ἁμάρτημα: nos in cõmentario Poeticæ in contextum 15. conſiderandum propoſuimus, an nomine prologi quodlibet argumentum, & breuis rei complexio, ac facti expoſitio, intelligi queat, etiãſi non fiat in principio, vt, quemadmodum Vlpianus Demoſthenis explicator, in primam Olynthiacam tradit, duo eſſe genera procemiorũ, vnum eorum, quæ toti orationi viam muniunt, alterum eorũ, quæ etiam fiunt in media oratione: ſic duo ſint genera prologorum, vnum eorum, qui fiunt in principio, alterum eorũ, qui etiam in media fabula. Quod autẽ dictum eſt de Tragœdiis, idẽ in Comœdiis obſeruatur. Secundo loco præcipitur duplex eſſe munus procemiorũ iudicialium; vnũ maxime neceſſariũ, & pro-

& proprium,hoc eſt,indicare finem,cuius cauſſa oratio habetur, quemadmodum etiam faciunt illi prologi dramatum, & illa principia Epicorum,quibus ſimilia ſunt; ita vt,ſi cauſſa nota ſit, vel parua, proœmio vtendum non ſit: alterum poſitum in medicamentis quibuſdam, ac communibus,quæ ducuntur ex quattuor locis, nempe ex oratore, vel eo, pro quo loquitur orator: ex auditore: ex re: ex aduerſario. Ad locum oratoris, & aduerſarij referuntur, quæcunq; valent ad criminationem diluendam, & obiiciendam. Verum nō eodem hæc ordine aguntur. Quæ enim ad criminationem pertinēt,defenſori quidem in proœmio,vt refellat: accuſatori vero in perorando, vt obiiciat, ſpectanda ſunt. cauſſa vero, cur ita fieri debeat,minime latet. Nam qui defendit, ſi ſe inſinuare in cauſſam debeat, neceſſe eſt, vt quæ obſtant, atque officiunt, amoueat. Quare criminatio prius illi diluenda eſt. qui autem criminationem obiicit,eam in perorando iacit,vt magis in memoria inſideat. Ad locum auditoris illa pertinent,quibus eum beneuolum facimus, aut iratum, atque interdum attentum, vel etiam ſecus. Non enim ſemper conducit attentum facere,ideoq; multi conantur in riſum auditorem inducere. Ad eundem locum pertinet,vt auditorem docilem faciamus.quod requirit in primis, vt boni mores exprimantur. Probi enim viri attētius audiuntur,& hoc modo etiam intelligentius. Attenti vero redduntur auditores,ſi magna ab oratore proponantur: ſi propria,& coniuncta cum iis, apud quos agitur: ſi admirabilia: ſi iucunda. Quare efficiendum eſt,vt de his oratio eſſe videatur. Attentionem autē auditoris auerteres,ſi rem paruam eſſe: ſi nihil ad ipſum pertinere: ſi moleſtam diceres. Præterea auditor aut eſt bonus, aut eſt malus. Primo modo ſatis eſt primum munus proœmij, vt oratio, tamquā corpus quoddā,habeat caput ſuū. Secundo modo requiritur etiam ſecundum, quod eſt ad improbum auditorem,& audientem ea, quę ſunt extra rē.Cumq; hoc ſecundum munus ſit poſitum in medicamentis, & communibus quibuſdam, merito inter illa cōmunia eſt attentum facere, quod conuenit omnibus partibus orationis, ſi opus ſit. Vbicunque enim magis, quam in initiis, animi langueſcunt: idcirco ridiculum eſt, confectionem attentionis in

principio ponere,cum maxime omnes attente audiunt. Quare ſiue in principiis, ſiue in aliis orationis partibus,vbicunq; occaſio dabitur,excitandi ſunt animi,atque inculcandum;Quod dico, quæſo, animaduertite. non enim mea magis, quam veſtra res agitur. Item, Exponam apud vos tam magnum facinus, vel rem tam admirabilem, vt talem nunquam audieritis. Id vero eſt, vt Prodicus dicebat, cum dormitarint auditores, inculcare ipſis aliquid eius demonſtrationis, cuius precium erant quinquaginta drachmæ. Atque hæc,quæ pertinent ad ſecundum munus procemiorum iudicialium, referri ad auditorem,nō quatenus auditor eſt,& quatenus audit, vt cauſſam intelligat,& recte iudicet,ſed quatenus improbus eſt,inde patet, quod omnes in procemiis aut criminantur, aut metus diſſoluunt. Vt in Antigona Sophoclis nuncius miſſus ad Creontem ab illis, qui cuſtodiebant cadauer Polynicis; Rex dicam quidem &c. Et in Tauris Euripidis Thoas Iphigeniam obſcure reſpondentem, & tergiuerſantem interpellat; Quid procemiaris? Idemque faciunt malam cauſſam habentes, aut qui videntur habere. vbique enim melius eſt verſari, quam in re. ideo ſerui ad interrogata non reſpondent,ſed circuitione,& procemiis vtuntur. Quibus autem ex rebus beneuolos oporteat facere auditores,dictum libro ſecundo eſt:atque reliquorum affectuum vnumquodque genus expoſitum. Et quoniam recte apud Homerum dictum eſt lib.14.Odyſſeæ ſub perſona Vlyſſis precantis Mineruam; Da, vt ad Phæacas amicus, aut miſericordiam conſecutus,perueniam:illa duo diligenter in procemiis iudicialibus ſpectanda ſunt, vt iudex nobis faueat, tamquam amicis,& miſericordia in nos moueatur. Quemadmodum in procemiis demonſtratiuis efficiendum eſt, vt auditor putet collaudari quoque aut ſe, aut genus, aut ſtudia ſua, aut quoquo modo aliter. Etenim quod a Socrate in Funebri, vel Menexeno apud Platonē dicitur,quodq; etiam commemoratum eſt lib.1.cap.9.in propoſitione 32.generis demonſtratiui, verum eſt, Non difficile eſſe laudare Athenienſes apud Athenienſes,ſed apud Lacedæmonios.

Quod attinet ad procemia deliberatiua, ea dicuntur ſumi ex iudicialibus,cum deliberationes ex ſeſe, ſuaq; natura minime ha-

457

me habeant procemia: quandoquidem ſi ſpectetur illud munus proœmiorum, quod appellatum eſt maxime neceſſariũ, & proprium, vt indicetur finis, cuius gratia oratio habetur, auditores id, de quo agatur, ſcire ſolent. ſcribit enim Vlpianus explicator Demoſthenis in primam Philippicam ad hunc modum; Tabellas quaſdam conſcribere ſolebant olim, quibus res, de qua conſultaretur, & propter quam indicta eſſet concio, contineretur, easque ante concionem proponebant, vt cognoſcerent omnes, qua de re indicta eſſet concio. Quare propter hoc munus oratio deliberatiua proœmio non indiget. Verum propter ſecundum munus poterit orator eo vti, vel ſua cauſſa ex depulſione criminis: vel propter illos, qui contradicunt, ex criminatione: vel ſi rem exiſtimari velit maiorem, quam ab aliis exiſtimatur, ex amplificatione: vel minorem, ex diminutione: vel etiam ornatus gratia, ne mutilum quid, atque inconcinnum videatur oratio. Quale eſt, quod Gorgias conſcripſit, encomium in Eleos: ſiquidem neque præmuniens, neque præparans, excitansque animos, ſtatim incipit: Elis, beata ciuitas. Atque hinc perſpici poteſt, quam recte ſit ſcriptum illud a Cicerone in Partitionibus; Principia vel non longa, vel ſæpe nulla in deliberationibus. Erunt enim mutilæ, atque inconcinnæ orationes, ſi nulla habuerint principia. Illud igitur hac præceptione conficiendum eſt, quinque eſſe locos proœmiorum deliberatiuorum, vnum ex depulſione criminis: alterum ex criminatione: tertium ex amplificatione: quartum ex diminutione: quinctum ex ornatu.

IN CAPVT DECIMVMQVINCTVM, *de criminatione pertinente ad proœmia.*

QVoniam, vt dictũ eſt, in proœmiis ſolet depelli, aut obiici criminatio, idcirco criminationis loci ſunt cognoſcẽdi. Primus igitur locus eſt ex remotione malæ opinionis. Spectandum enim eſt, vt quib. ex rebus malam quis de ſe opinionem e mentibus euelleret, aut ſuſpicionem dimoueret, ex iiſdem criminationem diſſoluat. Etenim nihil differt, ſiue aliquo dicente, ſiue nullo dicente, animis ſuis, quia audiunt, malam de nobis opinionem aliquam conceperint. quare de qua-

uis mala de nobis ſuſcepta opinione, & ſuſpicione generatim hic locus intelligendus eſt.

Secundus locus eſt ex occurſu controuerſiæ. occurrendum enim eſt, tàmquam iis, de quibus controuerſia eſt. Quam autem Ariſtoteles appellat controuerſiam, eam alij ſtatum, alij conſtitutionem nominant. quæ cum ab Hermogene, Cicerone, Quinctiliano aliis, triplex commemoretur, coniecturalis, definitiua, generalis, ſeu qualitatis: ab Ariſtotele octuplex hoc in loco, & cap. 17. quadruplex recenſetur; ita tamen, vt illæ octo partes ad has quattuor redigi queant. Controuerſia enim eſt aut an ſit, vt ſi quis controuerſetur, non feciſſe: aut quid ſit, vt non nocuiſſe: aut quantum ſit, vt non tantopere: aut quale ſit, vt non iniuſte. Quare ex doctrina Ariſtotelis quattuor ſunt ſtatus, coniecturæ, definitionis, quantitatis, qualitatis; ad quos reducuntur controuerſiæ, quæ hoc in loco ponuntur; prima, Non eſſe; quæ refertur ad coniecturam: altera, Non eſſe noxium ſimpliciter, quæ ad definitionem: tertia non eſſe noxium huic, quæ etiam ad definitionem: quarta Non tantopere; quæ ad quantitatem: quincta, Non iniuſtum; quæ ad qualitatem: ſexta, Non valde iniuſtum; quæ ad quantitatem: ſeptima Non turpe; quæ ad qualitatem: octaua, Non valde turpe; quæ ad quantitatem. De his enim ſolent eſſe controuerſiæ. Vt Iphicrates fatebatur quidem, quod dicebat Nauſicrates, factum eſſe, atque damnum attuliſſe: ſed non iniuſte egiſſe. Qui ſtatus erat qualitatis. Ad quem locum etiam pertinet compenſatio ita vt quadam comparatione, & compenſatione iniuria illata extenuetur. Vt ſi quod factum eſt, damnum apportauit: at honeſtum fuit. Si moleſtum: at vtile; vel tale aliquid aliud.

Tertius locus eſt ex purgatione, cum aliquid errore, vel fortuna, vel neceſſitate factum defenditur. Vt Sophocles tremere ſe aiebat, non vt aduerſarius criminabatur, quo ſenex videretur: ſed neceſſitate coactum: nec ſe libenti animo ferre, quod octoginta annos natus eſſet. Vbi attendendum eſt potiſſimũ, quo quis animo egerit, quid ve [illegible]erit, quæ intentio eius fuerit. ex quo loco dicitur, non ea cauſſa, quod quis nocere voluerit, aliquid factum eſſe: ſed vt conſequeretur aliud, ac minime id,

quod

quod aduerſarius criminatur: & cum damnum inde euenerit, inſtat reus, ſe id nunquam voluiſſe, aut cogitaſſe; faceturque ſe dignum odio, ſi vt id eueniret, quicquam molitus eſſet.

Quartus locus eſt ex communione criminis cum aduerſario; ſi in eodem, qui nos reprehendit, & criminatur, deprehenſus ſit errato, aut vitio, vel nunc, vel antea, vel ipſe, vel ſuorum aliquis. Quod opponit Cicero Tuberoni in oratione pro Ligario.

Quinctus locus eſt ex communione criminis cum aliis; ſcilicet ſi alij, eadem, quæ egit is, quem defendimus, deprehenſi ſint egiſſe, quos quidem aduerſarij noſtri fateantur, nullam propterea ſubite debere infamiam, οἷον, εἰ ὅτι καθαρὸς ὁ μοιχὸς, καὶ ὁ δεῖνα, καὶ ὁ δεῖνα ἄρα. Videtur legendum, εἰ ὅτι καθάρειος, μοιχὸς &c. Facile autem potuit a librariis ex καθάρειος fieri καθαρός. Eſt autem καθάρειος mundus, elegansque in ornatu, cultuque corporis, quales Ariſtot. lib. 2. cap. 4. inter amabiles refert, cum dicat, καὶ τοὺς καθαρείους περὶ ὄψιν, περὶ ἀμπεχόνην, περὶ ὅλον τὸν βίον. Et mundos in viſu, in veſtitu, in tota vita. vt etiam apud Ouidium; Munditiæ placeant Sic igitur videtur interpretandum eſſe; Si vt quiſque accuratius, ac diligentius ſe colit, atque ornat, continuo argumentemur, eum eſſe mœchum, fiet hoc modo, vt hic, & ille ſit mœchus. debemus autem nominare homines perlonge remotos ab eiuſmodi ſuſpicione, & crimine, qui etiamſi munditiarum ſint ſtudioſi, mœchi certe non ſunt. Huc pertinet etiam, quod tritum eſt apud Rhetoras, legiturque apud Hermogenem περὶ στάσεων, καλλωπίζεται, πόρνος ἄρα. Accurate ornatur, mœchus igitur. Eſt hoc igitur quodammodo illius refutatio. Et ita quoque explicauit Ioannes Franciſcus Muſaptus Patauinus.

Sextus locus eſt ex inani ſuſpicione aliâs habita, ſi alios, qui nunc criminatur, criminatus eſt, aut alius quiſpiam eos, aut etiam ſine criminatione exiſtimati ſint, culpam commiſiſſe, quemadmodum & hic nunc exiſtimatur, qui tamen poſtea ab omni culpa remoti eſſe, inuenti, atque declarati ſint.

Septimus locus eſt ex recriminatione, cum criminantem contra criminamur, atque dicimus conſentaneum non eſſe

vt fides verbis eius habeatur, qui indignus ſit, cui credatur.

Octauus locus eſt ex iudicio ante facto. Vt Euripides in eà actione, quæ a Græcis Antidoſis dicta eſt, de commutandis facultatibus cum eo, qui minus grauatus eſſet oneribus publicis, & tributis, de qua legendus eſt Budæus in Commentariis Hygiænonti ſe veluti impium accuſanti, quod peierare docens, dixerit in Hippolyto Coronato, Iuraui lingua, mentem iuratã gero: reſpondit; Iniurioſus tu quidem, & contumelioſus es, cũ quæ in Dionyſiaco certamine iudicantur, ad fori iudicia transferas: atque ego quidem ibi mei facti rationem reddidi, vel etiam reddere paratus ſum, ſi accuſare volueris.

Nonus locus eſt ex indignitate criminationis, ſi criminatio reprehendatur, & trahatur in odiũ iudicis, & oſtendatur, quantum incommodum illud ſit, quod alia iudicia efficiat, & ab eo, de quo quæritur, diſcedat, & ad rem, cuius cognoſcẽdæ cauſſa coacti iudices non ſunt, tranſeat.

Decimus locus eſt accuſatori, & defenſori cõmunis, ex notis, ſi per ſigna, & notas aliquid demonſtretur. Vt Vlyſſes in fabula, cui nomen eſt Teucer, obiicit Teucro, quod affinis fuerit Priamo, afferens notã, quod Heſione mater Teucri fuerit ſoror Priami: Teucer vero negauit, ſe propterea facere cum Priamo, afferens itidem notam, quod Telamon pater ſuus, Priamo fuerit inimicus, & quod Græcos Troiam miſſos, ſpeculandi cauſſa non indicauerit.

Vndecimus locus eſt ex cõmixtione bonorum cũ malis, vtilis tantũ criminanti, qui laudando rem paruã prolixe, magnã conciſe, hoc modo vituperat, aut multa bona afferendo, quod ad rem facit, vnũ vituperat. Qui id agunt artificioſiſſimi, & iniquiſſimi ſunt: bonis.n. nocere conantur miſcẽdo illa cũ malis.

Duodecimus locus eſt ex diuerſa cauſſa, qui etiam inter locos Topicos enumeratus eſt, cum eodem exẽplo in hunc modum; Et illud ex Aiace Theodectis, quod Diomedes prælegerat Vlyſſem non honoris cauſſa, ſed vt haberet comitem ſe ipſo minorem. Eſt autem hic locus cõmunis criminanti, & defendenti: quod idem plurium rerum cauſſa fieri cõtingat. Criminanti quidem, qui deprauatione vtitur in deteriorem partem conuertendo: defendenti vero, qui mollit, in meliorem

inter-

 u 53

interpretando. Vt cum Diomedes Vlyſſem prælegiſſet, is, qui in meliorem partem interpretabatur, dicebat, propterea factū eſſe, quod putaſſet illum virum fortē eſſe, & optimum, ac maxime ſibi accōmodatum: qui vero in deteriorem, non ita, ſed vt ſodalem haberet, qui ſolus vt ignauus, ſibi aduerſari nō poſſet, nihilque ex ipſius gloria decerpere. Quæ res quoq; tractatur apud Homerum lib. I. Iliadis.

Ac de criminatione quidem hæc dicta ſint.

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM, *de narratione demonſtratiua, iudiciali, deliberatiua.*

NVnc videndum eſt, qualis narratio fieri debeat in genere demonſtratiuo, qualis in iudiciali, & qualis etiam in deliberatiuo.

Ac narratio quidem demonſtratiua non eſt continuata, vt iudicialis, ſed in partes diſtincta, ita vt ſingulæ res narrentur, & ſimul demonſtrentur, vel amplificentur, atq; ita narratio cum confirmatione permiſceatur, vt non facile, & non niſi a peritis diſcerni queat. Nam oportet facta percurrere, ex quibus conficitur oratio. Conficitur enim tota quaſi contexta oratio partim iis rebus, quæ ad oratorē deferuntur, & artis expertes ſunt (non enim rerum geſtarum cauſſa eſt orator) partim iis, quas ipſa ars parit. Hoc autem eſt confirmare, aut rem eſſe, ſi fide careat, aut qualis ſit, aut quāta, aut ſimul omnia. Ac duas ob cauſſas interdum non oportet continenter narrare omnia; primū quia difficulter ſub memoriam cadit ſic demonſtrare, vt narratis ſimul omnibus colligatur, eum, qui laudatur, ex his fortem exiſtere, ex illis vero ſapientem, aut iuſtum: deinde quia ſimplicior quidem eſt hæc oratio, in qua omnia primum continenter narrantur, poſtea ſeorſum confirmantur; illa vero altera, in qua ita narratio cum confirmatione permiſcetur, vt ſingulis rebus expoſitis ſingulæ probationes, vel amplificationes adhibeantur, eſt varia, & non attenuata, ita vt propter varietatem, & grauitatem ſuam valde delectet. Præterea obſeruandum eſt, aut laudari aliquem virum clarum, aut obſcurū. exempli gratia aut Achillem, cuius res geſtæ ab omnibus ſciuntur; aut Critiam, cuius facta non multi nouerunt. Ac primo

quidem modo res eſſe in memoriam reuocandas, & ſine narratione tantummodo pertractandas: ſecundo autem modo, etiam narrandas. Multa, quæ ſequebantur, ex libro primo huc translata, merito deleta ſunt.

Quod attinet ad narrationem iudicialem primo loco traditur, eam perſpicuam, & probabilem eſſe oportere. ridiculeq; quoſdam requirere etiam breuem, inter quos fuiſſe Iſocratem, qui hoc in loco præcipue reprehendatur, Quinctilianus teſtatur. Quemadmodum enim quidam piſtori interroganti, durumne panem, an mollem ſubigeret: quid vero, reſpondit, an bene fieri nõ poteſt? ita hîc quoque videri debet. Oportet enim non longam eſſe narrationem, quemadmodum nec longũ procemium, nec longas probationes. Neque enim id, quod bene eſt, in eo conſiſtit, vt breuiter, aut ſummatim dicatur, ſed vt mediocritas teneatur, hoc eſt, vt ea dicantur, quæ rem declarent, vel quæ efficiant, vt auditores exiſtiment aliquem aliquid feciſſe, aut nocuiſſe, aut iniuſte egiſſe, aut factum tantum eſſe, quantum voluerit orator videri: ab eo vero, qui contradicit, eatenus dicatur, quoad contraria oſtendantur. Secundo loco præcipitur, narrationi attexenda eſſe ea, quæcunque ad noſtram virtutem pertinent, vt Ego ſemper iuſta loquens admonebam, ne filij ab ipſo deſererentur. Aut quæ ad improbitatem alterius, vt Ille vero reſpondebat, vbicunque ipſe eſſet, alios ſibi liberos futuros. quod & Herodotus Aegyptios a Pſammeticho Rege deficientes, & transfugas, cum filios reliquiſſent, reſpondiſſe ſcribit. Aut quæcunque iudicibus iucunda eſſe videbuntur. Tertio loco exponitur defenſori minus narrandum eſſe. Cum enim ſibi cum aduerſario controuerſia ſit, quod aliquid aut non ſit factum, aut non nocuerit, aut non iniuſtum fuerit, aut non tantum, quantum aduerſarius criminatus eſt: horum ſi quæ fatebitur, in ipſis non eſt immorandum; ideoq; narratione ſuperſedendum eſt, niſi quid ad id, quod fatebitur, quale ſit, demonſtrandum conducat; vt ſi quid factum fuiſſe fateretur, negaret autem iniuſte fuiſſe factum, proptereaque vt quale illud eſſet, oſtenderetur, narratione vteretur. Δεῖ δὲ πεπραγμένα λέγειν, ὅσα μὴ πραττόμενα ἢ οἶκτον, ἢ δείνωσιν φέρει. Cõmoda nobis videtur explicatio Io. Franciſci Muſapti Patauini

viri

viri eruditiſſimi,ac diſertiſſimi,cum duo ſint narrandi genera; alterum ſummatim, & paucis, aut vno verbo, quemadmodũ, ſi quem a latronibus interfectum eſſe dicamus: alterum ſingillatim,ea,quæ facinus anteceſſerunt,aut conſecuta ſunt,perſequens, latronum inſidias,improuiſum impetum,comitum aliorum fugam,aliorum cædem,ipſum pauentem,diuum,atque hominum fidem implorantem, conantem euadere, circumuentum,petitum vndique,confoſſum,necatũ,ſpoliatum, cetera; hæc ſi quis perſequatur,eum πεπεπλέγμένα λέγειν, hoc eſt, rem oculis,quaſi tum geratur,ſubiicere: ſin autem vno verbo, quis defungatur, eum πεπραγμένα λέγειν. Præcipere igitur Ariſtotelem, vt ſuperſedeamus hoc ſingillatim narrandi rem modo, ni facinus eiuſmodi ſit, vt ſingulis perſequendis poſſimus aut miſericordiam, aut indignationem mouere. nam quid attinet excitare Tragœdias in re parum atroci? Affertur exemplum Alcinoi Apologus apud Homerum in Odyſſea, qui apud Penelopen triginta verſibus factus eſt, cum factus eſſet quattuor libris apud Alcinoum. Correximus autem ex aliorum notatione, Triginta verſibus, rotundato numero, qui tamen ſunt duo, & triginta, vel, vt cenſet Euſtathius, vnus & triginta. Alterum exemplum eſt prorſus ignotum, vt Phayllus Circulum. hic enim non extat auctor. Tertium exemplum eſt Prologus in Oeneo; quam Tragœdiam ſcripſit quidem Euripides, ſed iniuria temporum non habemus. Quarto loco docet philoſophus narrationem oportere eſſe moratam, ad quam pertinent quinque, exprimere præelectionem: exprimere motibus conſequentia: exprimere magis præelectionem honeſtatis, quam rationem vtilitatis: ſubiungere cauſſam: pro cauſſa naturã adducere. Primum igitur mores ſignificabimus,ſi,vt cuiuſque ſit animus ſiue in virtutes,ſiue in vitia propẽſus,aperiemus. Tales enim erũt mores,qualis fuerit animus. qualis autẽ ſit animus, & præelectio,ex fine, ad quẽ propendet,apparet. Quare Mathematicorum oratio non eſt morata, quæ non eſt de rebus præeligendis, nec dirigitur ad aliquem actionis finem. At Socratica morata eſt: nam hæc fines bonorum, & malorum ſpectat, & eſt potiſſimum de moribus. Deinde,quæ ſingulos mores conſequuntur,indicabimus,

Vt, Simul dicens incedebat. Talem enim inceſſum conſequitur audacia, & ruſticitas. Præterea morata fit narratio, cum exprimimus magis prælectionem in honeſtate perſequenda, quod eſt viri boni, quam commodi rationem in vtilitate perquirenda, quod eſt viri prudentis. Ego vero volebam (etenim id præeligerem, etiamſi quæſtum non facerem) quod melius, & honeſtius eſt. Tum ſi res fide careat, in morata narratione cauſſa eſt ſubiungenda, vt Sophocles exemplum ſuppeditat in Antigona, cui maiori curæ erat frater, quam maritus, vel liberi. Nam hi, dicebat illa, reparari poſſunt, ſi amittuntur. Pater vero, & mater ſi ad inferos migrauerint, iam fieri non poteſt, vt quiſquam alicui vnquam renaſcatur frater. Huiuſmodi autem ratione ante Sophoclem vſa fuerat Itaphernis, cum data ſibi a Dario electione, prætulit vitam fratris vitæ mariti, & filiorum apud Herodotum lib. 3. Poſtremo ſi cauſſam nullam habebis, quam reddas, dices, te non ignorare, non admodum credibilia eſſe, quæ loqueris: ſed natura te talem eſſe, vt ad illa propenſior ſis. non enim ita facile credunt homines aliquem quicquam aliud, quam quod vtile ſit, agere voluiſſe. Propterea aut cauſſa adiungenda eſt, aut eius loco aliquid aliud dicendum. Quincto loco tradit philoſophus, narrationem oportere eſſe affectam, indicantem affectibus conſequentia & quæ qui audiunt ſciunt, & quæ ſeparatim accuſanti, & defendenti adſunt. Vt, Ille vero abiit, me reſpiciens. Nam reſpicere, & ſubaſpicere, ac frequẽter oculos in aliquem conuertere animum ſignificat perturbatum. Et vt de Cratylo Aeſchines, quod Exſibilans, & manibus explodens. Hæc enim ſigna ſunt inſolentiæ, & petulantiæ. Et appoſita ſunt ad perſuadendum, quia indicia fiunt ea, quæ ſciunt, illorum, quæ neſciunt. Horum autẽ plurima ab Homero ſumi poſſunt exempla, vt ex libro 19. Odyſſeæ; Sic ait: anus vero obtendit manus faciei. hoc eſt, Euryclea nutrix Vlyſſis heri ſui memoria commota manibus faciem continebat. Qui enim flere incipiunt, manus ad oculos admouent. Ac dum, quæ ad animorum motus pertinẽt, tractas, confeſtim induc te ipſum ira permotum, vt te veluti eum, pro quo loqueris, intueatur auditor: aduerſarium ſimiliter talem, qualem videri volueris: ſed hoc obſcure

facies,

facies, ne auditor ſe falli a te putet. Facile vero eſſe, oportet perſpicere ex nunciantibus. de quibus enim nihil ſcimus, tamē de iis aliquid ſuſpicamur. Aſſentior Io. Franciſco Muſcpto Patauino, hæc non eſſe referenda ad ea, quæ nuntiantur, ſed ad nuntiantes ipſos. Videtur autem alludere ad nuntios Tragicos, qui ſolent induci homines obſcuri, & ignoti, vt ne nomine quidem vllo proprio, ſed nuntij vocentur. hi, inquit, ſimulatque in ſcenā prodeunt, in conſpectumq; ſe dant, ſolemus de iis opinionem quandā imbibere, idq; ex aſpectu, primisq; verbis, qua eos aut frugi exiſtimamus eſſe, aut contra. Sexto, & vltimo loco monemur, multis in locis narrandum eſſe, & quandoque non in principio, vt in oratione pro Milone.

In orationes deliberatiuas narratio non cadit: nam deliberatio eſt rerum futurarum: narratio vero præteritarum; vt inter ſe minime cōueniant. Sed ſi quando in tales orationes narratio inciderit, erit illa quidem rerum præteritarum, vt illis memoria repetitis, facilius de futuris conſulatur; non tamen deliberatiua, licet in orationibus deliberatiuis facta, ſed aſſumpta ab aliis generibus, aut ad criminandum, aut ad laudādum. quod qui facit, non eius, qui conſilium dat, partes agit.

Si vero quid, dum narratur, minus credibile videbitur, polliceri debemus nos probaturos, & cauſſam, quæ id probabile faciat, mox allaturos: deinde omnia accommodaturos ad ea, quæ qui audiunt, plana ſibi fieri volunt. quod Iocaſta apud Carcinum in Oedipode facit, quæ, dum is, qui filium quærebat, ab ipſa percunctaretur, ſemper pollicebatur. Hæc autem Carcini Tragœdia interiit. Similiter Aemon Creontis Regis Thebarum filius cum vitam Antigonæ ſponſæ ſuæ contra edictum ipſius Creontis tueretur; pollicetur tamen apud Sophoclem, ſe facturum eſſe, quod pater voluerit.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM, *de fide, ſeu confirmatione, & refutatione.*

Fides eſt illa pars, quæ demonſtrat, & argumentatur. Debet autem demonſtrare aliquid illorum quattuor, de quib. eſt controuerſia. Nam controuerſia, vel ſtatus eſt quadruplex ex

doctrina Ariſtotelis, An ſit, cum quis contendit non feciſſe. Quid ſit, cum controuerſatur non nocuiſſe, & non fuiſſe noxium illud, quod factum eſt: Quantum ſit, cum ait, non tantopere nocuiſſe, non valde iniuſtum fuiſſe. quod factum eſt, non valde turpe: Quale ſit cum dicit non iniuſtum fuiſſe, non turpe. Nos autem non lateat, neceſſe eſſe in hac ſola controuerſia, id factumne ſit quod quæritur, alterum eorum, qui controuerſantur improbum cenſeri. Qui enim malam cauſſam ſuſcepiſſe iudicatur, excuſatione vti non poteſt, quod per ignorantiam fecerit, quemadmodum vti poſſet, ſi iuris controuerſia eſſet. Quamobrem cum de facto contenditur, in eo probando diu commorandum eſt: in aliis vero controuerſiis minime. Hæc quidem philoſophus: ſed dubitant nonnulli, quod tametſi reus non niſi mentiendo negare poteſt ſe feciſſe, id, quod fecerit: tamen fieri poteſt, vt accuſator credat aliquem feciſſe aliquid, qui tamen non fecerit, & idcirco eum accuſet, cũ propterea mentiri dicendus non ſit. Nam mentiri proprie dicitur, cum quis ſciens falſum dicit, non qui putat ſe verum dicere. Sed reſpondetur, talem accuſatorem vitare culpam mentiendi, quam excuſat ignorantia: ſed non iniquitatis, qui non debet turbare alterum, niſi rem notiſſimam, & exploratiſſimã, ac luce ipſa clariorem habeat. Rurſus dubitatur, quod fieri poteſt, vt aliquis aliquid mali commiſerit, & neſciat, ſe id commiſiſſe, & idcirco neget ſe feciſſe, qui propterea non mentietur. exempli gratia ſi ex feneſtra lapidem iaciens hominem occiderit, aut percuſſerit, cumque id non cognouerit, tamen ob id ſit accuſatus. Videtur enim ſe ipſum poſſe defendere, & liberari non ſolum a culpa mentiendi, ſed etiã iniquitatis, qui nõ ſponte, ſed fortuito occidit, an vt percuſſit. Tamẽ reſpondetur, poſſe quidẽ eum excuſare, & defendere qualitatẽ facti, oſtendentem tale factum non eſſe appellandum iniuſtum: ſed non poſſe negare ſe ſciuiſſe talem lapidem fuiſſe a ſe proiectum. quod ſi faceret, ſine dubio improbus eſſet in ſtatu coniecturali. Atque hæc de controuerſiis, & ſtatibus vniuerſe.

Secundo loco exponitur ſtatus generis demonſtratiui, vbi plerunq; aliquid eſſe honeſtum, vel vtile amplificatione exaggeratur: res ſiquidẽ geſtæ creduntur, atq; raro probãtur. quod tum

tum euenit,cum fide carent:aut cum alius eiuſdem rei videtur actionem habere.

Tertio loco perpenditur ſtatus generis deliberatiui,vbi cõtrouerſia eſt,vel aliqua non futura:vel futura quidẽ,quæ ſuſcipi iubentur,ſed iuſta non eſſe:vel non vtilia: vel non tanta,quãta exiſtimãtur. Neq, vero ſolũ in iis,quæ poſita ſunt in cõtrouerſia:verum etiã in iis,quæ procul a quęſtione remota ſunt,ſi aliqua quis mẽtitus ſit,intueri oportet.hæc enim argumẽto erũt, etiam cetera ad cauſſam pertinentia mentita, ac falſa eſſe.

Quarto loco, quemadmodũ amplificatio dicta eſt generi demonſtratiuo maxime cõuenire,ſic exempla dicuntur maxime eſſe accõmodata deliberationi: enthymemata vero iudicio. Deliberatio enim eſt futurorũ. Quare ex præteritis neceſſe eſt exẽpla colligere. iudicia vero eorũ,quæ facta ſunt,aut nõ facta ſunt. ideo in his magis neceſſe eſt argumentis probare, nam quæ iam facta ſunt, neceſſitatem habent, vt confirmari enthymemate queant.

Quincto loco agitur de vſu enthymematũ. Ea enim nõ ſunt cõtinuanda,ſed aliis oratoriis ornamẽtis permiſcẽda. alioquin ipſa ſe mutuo illidunt, atq; obſcurant. nam eſt terminus quidã multitudinis argumentorũ,quẽ trãſilire nõ oportet. Ideo ſcite apud Homer.lib.4.Odyſſeæ,Menelaus Piſiſtratũ Neſtoris filiũ laudat a modo ſeruato in rerũ quantitate, cũ inquit, O amice, nõ talia,ſed tot cõmemorasti, quot cordatus homo attuliſſet. Præterea non de omnibus enthymemata ſunt quærẽda; ne id agas,quod nõnulli philoſophi, qui ſyllogiſmo cõcludunt notiora,& certiora,quã ea,ex quib.dicunt. Nec,cũ affectus cõcitatur, enthymematibus vtendũ eſt. enthymema enim vel elidit affectũ,vel temere adhibetur cũ affectu: quandoquidẽ ſi animũ ad plura ſimul impuleris, veluti vt tibi cauſſã adiudicet auditor,& ad affectum impellarũr, & rationibus moueatur; hæc ſe viciſſim extrudẽt,aut omnino inania,aut infirma reddẽtur. In morata etiam oratione enthymemata ſunt relinquenda.nam argumentatio neque mores, neque prælectionem complectitur. quemadmodum morata oratio. Loco autem enthymematum in affecta, & morata oratione multum valent ſententiæ, quæ conueniunt narrationi, & fidei, ac pertinent tum ad mores, tum ad affectus. Morate ſic dicitur;

Ego ei illa credidi, & cōmiſi, quamuis optime ſcirem, non temere eſſe credendū. Affecte ſic; Adhuc me mei facti nō pœnitet, quamuis iniuria affectum. iſti enim ſupereſt lucrum: mihi vero iuſtum. Habet vim ſententiæ, vt iniuriam faciens lucrum conſequatur: iniuriam accipiens laudem habeat iuſtitiæ.

Sexto loco oſtēditur difficilius eſſe in deliberatiuo genere, quā in iudiciali verſari. Prima ratio ſumpta eſt a tēpore, quia illud de futuro: hoc de præterito ſit, quod iam ſciri poteſt etiā a vatibus, vt dicebat Epimenides Cretenſis. is enim nunquā futura vaticinabatur: ſed de præteritis reſponſa dabat, illis tamē, quæ obſcura eſſent. Altera ratio eſt ducta a fundamento legis, quia in genere iudiciali ponitur tamquā fundamentum lex, ad quam omnia, quæ dicuntur, referri debent. quæ quidem cum, vt principium, habeatur, facile eſt oratori argumentationem concludere. Non ſic in genere deliberatiuo. Tertia ratio eſt ſumpta a plurib. diuerticulis, quia qui verſatur in deliberando, non habet multa diuerticula, vt in iudiciis, quæ dicuntur ad offenſionem aduerſarij, ſiue ad cōmendationem noſtri, ſiue ad iudicum animos permouendos: ſed omnibus omnino nudatur, niſi e natura deliberationis egrediatur. Quamobrē ſi ſuaſori, vel diſſuaſori materies deerit, ad alterius generis præſidia confugiendum eſt quod quidem oratores Athenienſes faciūt, & Iſocrates, qui dum conſilium dare ſtatuit, accuſat, vt Lacedæmonios in Panegyrico, & Charetem in Sociali.

Septimo loco ſumpta occaſione a varietate, quam dictū eſt in deliberationibus quandoq; adhiberi, traditur etiam in demonſtratiuis orationib. varietatem laudum vſurpari. vbi, dum vnus laudatur, aliorum quoq; laudes intexuntur, vt Iſocrates facit. ſemper enim aliquē, quem ſimul laudat, inducit. propterea dicebat Gorgias, nunquam ſibi orationē deeſſe. Etenim ſi de Achille orationem habet, Peleum laudat, deinde Aeacum, tū Iouem: ſimiliterque fortitudinem commendat: ἢ τὸ, κỳ τὸ ποιεῖ, ἢ τοιόνδε. vel hoc, & illud facit, id eſt, ſimul virtutem, & genus exornat, vel tale aliquid efficit.

Octauo loco præcipitur, cum habebimus rationes, quibus cauſſam confirmemus, illa duo proſequenda eſſe, quibus & amabiles mores ſignificando conciliantur, & argumentis pro-

bando docentur animi auditorum. ſin rationes, per quas probemus,nos defecerint,ad mores, & vitam orationem conuertendam: propterea quod viro bono conuenit potius, vt ipſe bonus,quam vt eius oratio exquiſita videatur.

Nono loco materia refutationis pertractatur,& de ea quatuor præcepta traduntur. Primũ præceptum eſt enthymemata ad refutandũ magis probari,quam ad demonſtrandũ: quoniã, quæ contrariũ ei,quod aduerſarius vult,fieri conuincũt, acrius concludunt: quandoquidẽ inter ſe comparata cõtraria magis perſpicua fiunt. Secundum præceptũ eſt refutationẽ reduci ad fidem,ſeu confirmationem.nam ea,quibus aduerſariũ refutamus,non ſunt alicuius generis diuerſi ab iis, quæ fidẽ faciunt, ſeu confirmant: ſed & ipſa quoq; demonſtrant, & perſuadent. Quare quibus ex locis res aliqua fuerit cõfirmata, ex iiſdẽ poterit infirmari,& refutari. Diluimus autem,& ſoluimus argumenta aduerſariorũ aut obiectione,aut ratiocinatione. Nam vel obiectionem afferimus,& reprehendimus,quæ ſumpſerit aduerſarius:vel contra ratiocinamur,& vtimur argumẽtis firmioribus, vel æque firmis. quod eſt declaratũ in fine lib. 2. vbi agitur de diſſolutionib.enthymematũ. Tertium præceptũ eſt, qui priore loco dicit,eũ debere prius cõfirmare,& poſtea refutare,niſi multiplex ſit cauſſa. Oportet igitur tũ in conſultatione,tum in iudicio,qui priore loco cauſſam dicit, prius ſua confirmare,& fidem facere,deinde cõtraria refellere, diluendo, & infirmando. At ſi multiplex ſit aduerſa cauſſa, prius contrariis occurrere,vt in Meſſeniaca concione Calliſtratus fecit.nã quę alij dicebant,cũ prius refutaſſet,tũ demũ ipſe ſua attulit. Quartum præceptũ eſt,qui poſteriore loco dicit,eum debere primũ refutare,deinde cõfirmare, niſi argumẽta aduerſarij parũ probata fuerint.Qui igitur poſteriorem locũ habet in dicendo,primum debet ad ea,quæ cõtra dicta ſunt, reſpondere diluẽdo, & contra ratiocinando, maxime vero,ſi vim maximã habere videantur. Vt enim hominẽ ante in crimẽ vocatũ non recipit animus:ſic & tuam aſpernatur orationẽ auditor,& reſpuit,ſi aduerſarius probabiliter dixiſſe videatur. Oportet igitur munire viã,vt futuræ quoq; orationi locus ſit apud auditorẽ;qui quidem erit,ſi contraria euerteris. Quare cũ vel contra omnia,vel

præcipua, vel quæ probari videbuntur, vel etiam leuia pugnatũ fuerit, tum noſtra ſunt confirmanda. Propugnationem, inquit Hecuba apud Euripidem, in Troadibus, Dearum ſuſcipiam: Ego enim Iunonem defendam. In his leuiſſima primum attigi. Ac de fide, quæ argumentis fit, hæc dicta ſint.

Decimo loco, ne orator incurrat aut in inuidiam, aut in loquacitatem, aut in obtrectationẽ, ſi de ſe ipſo dicat: aut in conuicium, aut in ruſticitatem, ſi de alio loquatur; mouet philoſophus alterum inducendum eſſe. quod pertinet ad moratã orationem. Ad mores igitur declarandos, quoniam nõnulla cũ de nobis dicimus, vel inuidiam habent, vel loquacitatẽ arguunt, vel contradictionem inueniunt: & cum de altero aut conuiciũ indicant, aut ruſticitatem; alium oportet loquentem facere. quod Iſocrates facit in Philippo, cum fingit alios ea in Philippũ dicere: & in Antidoſi. & veluti Archilochus vituperat. inducit enim patrem de filia dicentem in iambo; Rerũ inſperata nulla eſt, neque iuramento negari poteſt, & quæ ſequuntur: & Charonem fabrum in carmine iambico, cuius initium eſt; Mihi non ſunt bona Gygis. & veluti Sophocles Aemonem, qui Antigonam commendabat, cõmemorantem induxit patri, quid de ipſa alij prædicarent.

Vndecimo loco docet philoſophus non eandẽ ſemper tenendam eſſe formã dicendi, ſed enthymemata immutanda, & ſententioſe dicendũ. Ac ſententioſe quidẽ ſic dicitur; Oportet pactiones facere, qui mentẽ habent, cũ proſpera fortuna vtuntur: ita enim optima fuerint conditione. Enthymematice vero ſic; Si oportet, quoties pactiones ſunt commodiſſimæ, & meliorem afferunt conditionem, tunc paciſci, certe proſpera fortuna vtentes oportet paciſci.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM, *de interrogatione, & reſponſione, & ridiculis.*

PRima ratio interrogationis eſt, cum quid contra aduerſarios elicitur. Interrogare enim opportunum eſt, maxime quidem, cum re vna interrogata, aliquid, quod quis pronũciauit, abſurdum fieri contingit. Vt Pericles non initiatus ſacris interrogauit de myſteriis, & initiis ſacrorum Soſpitæ Lampo-

nem itidem non initiatum ſacris. Cum autem ille diceret, non poſſe non initiatum audire, interrogauit, num ipſe ſciret. Cum Lampo affirmaret, Pericles intulit, Quomodo tu ſcire potes non initiatus?

Secunda ratio eſt, cũ concluſio abſurda infertur: nã cum alterum quidem manifeſtũ eſt, alterum vero interroganti daturum eſſe aduerſarium intelligis, poſteaquã vnam propoſitionem interrogaueris, non debes præterea interrogare, quod manifeſtum eſt, ſed ſtatim concludere. Vt Socrates, dicẽte Melito, eum cenſere, deos non eſſe, dixit, num dæmoniũ aliquod eſſe affirmaret. Cum autem ille confiteretur, interrogauit, an non eſſent dæmones aut deorum filij, aut diuinum aliquid. Aiente illo, Eſt igitur, inquit, qui deorum filios arbitratur eſſe, deos autem non eſſe.

Tertia ratio eſt, cum poteſt demonſtrari, aduerſarium dicere aut contraria, aut quæ præter opinionem ſint. Vt, An vero quem laudabas, nunc vituperas? Audesne dicere patriam adiuuandam non eſſe?

Quarta ratio eſt, cum reſponſio futura eſt ſophiſtica, & captioſa. Si enim ita reſponderet aduerſarius, vt diceret aliquid tum eſſe, tum non eſſe: & hæc quidem, illa vero non: & partim ſic, partim ſecus; perturbarentur auditores, quid hæc ſibi vellent, hæſitantes.

Aliter vero, niſi cum hæc quattuor opportuna tempora inciderint, interrogandi, non eſt vrgendus aduerſarius. nam ſi interrogationibus reſiſteret, videretur potiorẽ partẽ obtinere. Minimeq; licet præterea eum pluribus interrogare, cum auditor propter imbecillitatem plurima ſimul argute diſputata intelligentia ſubſequi non queat. Ideo & enthymemata pluribus non ſunt efferenda.

Quod attinet ad reſponſionem, prima eius ratio eſt, vt ambigua diſtinguantur non conciſe: reſpondere enim oportet ad ea, quæ ambigua videbuntur, continuata oratione diſtinguendo, non conciſa breuitate.

Altera ratio eſt, vt ad ea, quæ ſunt cõtraria, ſolutio adhibeatur: reſpondendum enim eſt ad ea, quæ nobis aduerſari putabuntur, reſponſione ſtatim illa præueniendo, ac infirmationem afferendo, priuſquam aliquid nos, quod abſurdum ſe-

quatur, aduerſarius interroget, aut concludat. Non enim difficile eſt præuidere, vbi inſit ratio, qua reſiſtere, & præcauere queamus. Verum hoc agendi, ac ipſa diluendi ratio manifeſta nobis ex Topicis eſſe poterit.

Tertia ratio eſt, vt ſi interrogatio faciat concluſionem, interrogationem eludamus, allata cauſſa, quod declaratur duobus exẽplis, Sophoclis, & Laconis cuiuſdam. Sophocles enim interrogatus a Pyſandro, an viſum eſſet ipſi, vt & aliis præcõſultoribus de conſtituendis Quadraginta: affirmauit. Quid vero, nonne praua eſſe tibi hæc videbantur? affirmauit. Nonne igitur hæc praua ipſe commiſiſti? Sane affirmauit: non enim erant alia meliora. Laco autem reddens rationem ephoratus, interrogatus, an viderentur ipſi iuſte periiſſe alij, affirmauit. Nonne tu hæc cum eis decreuiſti? affirmauit. Nonne igitur iuſte & tu peribis? Minime vero, inquit: illi enim cum pecunias accepiſſent, hæc fecerunt: ego vero nequaquam, ſed ex ſententia.

De interrogatione autem duo in primis vitanda ſunt; primum ne fiat interrogatio, poſtquam concluſum ſit: deinde ne ipſa concluſio interrogetur, niſi id, quod interrogatur, ita ſit apertum, & clarum, vt non niſi impudentiſſimus quiſquam ipſum denegare queat.

Hæc igitur duo ſatis ſint explicata, quæ pertinent tum ad interrogationem, tum ad reſponſionem.

Tertio loco probatur habendã quoq; eſſe rationẽ ridiculorum, tum quod multũ valeant in contentionibus: tum vero, quod Gorgias dixerit, ſeria ridiculis, ridicula ſeriis eſſe diſcutienda. Idcirco dicitur enumeratas eſſe ſpecies ridiculorũ in iis, quæ tradita ſunt de Poetica; nempe in ea parte Poeticæ; quæ iniuria temporum interiit. Ipſorumque ridiculorum quædam homine libero digna eſſe: quædam vero minime; ita vt ſumere ſibi quiſque poſſit; quod ſibi conuenire, & pro ſe facere arbitrabitur. Eſſe autem ironiam, & diſſimulantiam ſcurrilitate, & ſcurrili ioco liberaliorem, & venuſtiorem: propterea quod homo facetus, & ironia vtens, ſui cauſſa ridiculum fingit, & riſum mouet: ſcurra vero alterius cauſſa. de quibus agitur etiã lib. 4. Ethicorum.

IN

IN CAPVT VNDEVIGESIMVM, *de peroratione.*

PEroratio quattuor ex rebus conſtare dicitur: primum vt bene erga nos, male contra aduerſarios comparetur, & cõſtituatur auditor: deinde vt res amplificentur, & extenuentur: præterea vt animi eorum, apud quos agimus, ad quemcunque voluerimus motum, & affectum, moueantur, & impellantur: Poſtremo vt quæ dicta fuerint, in memoriam reuocentur. Hęc enim ſunt quattuor munera perorationis.

Quod attinet ad primum munus, natura ita fert, vt cum vera nos, falſa aduerſarios dixiſſe demõſtrauerimus, ſimiliter etiam laudemus, & vituperemus, & expoliamus. Duorum autẽ alterum neceſſe eſt nobis proponi, quod intueamur; vel vt iis, apud quos dicimus, iudicibus: vel vt ſimpliciter boni viri videamur. item vt aduerſarij vel ab iis, qui iudicant: vel ſimpliciter mali habeantur. vt vero & nos, & aduerſarij tales demonſtremur, & quibus ex rebus bonus quis, & malus videri poſſit, expoſiti ſunt loci.

Quod attinet ad ſecundum munus, cum res demonſtratæ fuerint, naturę ordo poſtulat, vt augeantur, & extenuentur. neceſſe eſt enim prius, quæ facta ſunt, confiteri, ſi quanta ſint, dicturi ſumus. nam etiam incrementa corporum, ex aliqua, quę prius fuerit, materia conſtant. atque vnde ſumenda ſint illa, quibus rem aliquam amplificari, & extenuari oporteat, traditi ſunt quoque prius loci.

Quod attinet ad tertium munus, poſtquam manifeſtum fuerit, & qualia, & quanta in cauſſa agantur, tum is, qui audit ad animorum motus eſt deducendus, vt ad miſericordiam, indignationem, iram, odium, inuidiam, æmulationem, contentionem; quorum pariter loci prius commonſtrati ſunt.

Quod attinet ad quartum munus, nihil præterea reſtat, niſi, vt de iis, quę ante dicta fuerint, auditoris memoria redintegretur, & renouetur. Id autem ita facere conuenit, vt in procemiis nonnulli aiunt dicendi magiſtri. non recte quidem id præcipientes eſſe faciendum. quo enim facilius, quæ cauſſa agatur, intelligi poſſit, idem ſæpius repeti, iubent. Verum ibi quidem oportet, ne, qua de re iudicium fieri debeat, ignoretur, eam

indicare, quod ſatis eſſe debet: hic vero per quæ probata ſint, breuiter ſummatimque enumerare. Caput autem enumerationis eſt, demonſtrare, quæ polliciti fuimus, nos præſtitiſſe. Quare dicendum eſt, & quæ illa fuerint, & quibus rationibus ſint comprobata. Fit autem enumeratio, & repetitio duobus modis, aut per aduerſam collationem, aut per ordinem naturæ. Et collatio fit ſi non ex regione, ita vt ſingula argumenta ſingulis conferantur: at ſic; Aduerſarius quidem de hac re hoc dixit: ego vero hoc demonſtraui, & per hæc planum feci. atque in collatione quandoque adhibetur diſſimulatio. vt, Hæc ſcilicet ab eo dicta ſunt: a me vero illa. Quid iam faceret, ſi hæc, ac non illa demonſtraſſet? & adhibetur interrogatio, vt, Quid a me non eſt demonſtratum? hic quid planum fecit? Si collatio non fiat, res poterunt repeti, & enumerari ex ordine naturæ, prout expoſitæ ſunt, primum noſtræ, & rurſus, ſi voluerimus, ſeparatim, quibus vſus ſit aduerſarius. Fini vero, & extremæ parti dictionis conuenit diſſolutio, vt peroratio ſit, non oratio. Dixi, audiuiſtis, tenetis, iudicate.

LIBRI PRIMI ARTIS RHETORICAE ARISTOTELIS

Cap. *Pag.*

1. De Rhetoricæ ſimilitudine cũ Dialectica, & de vtilitate 11
2. De natura Rhetoricæ, de fide duplici, de fide artificioſa triplici, de argumẽtatione duplici, enthymemate, & exemplo, de materia, & forma vtriuſque 31
3. De tribus generibus orationum 79
4. De quibus ſit deliberatio 87
5. Ex quibus ſit deliberatio, quid ſit felicitas, quæ ſint partes felicitatis 98
6. De bonis confeſſis, & controuerſis 116
7. De bonis comparatis 121
8. De moribus Rerump. 1[illegible]
9. De genere demonſtrat. & reb. honeſtis, ac laudabilib. 135

10. De genere iudiciali, & primũ de cauſſis iniuriarum 150
11. De rebus iucundis pertinentibus ad cupiditatem, vnam de cauſſis iniuriarum 157
12. Qui faciant iniuriam, quibus faciant, in quibus potiſſimum rebus faciant 164
13. De iuſtis, & iniuſtis diſtinctis tùm ratione legum, tùm ratione hominum, & de æquis 170
14. De maioribus iniuriis 173
15. De fide artis experte, poſita in quinq;, in legib. teſtibus, pactis, quæſtionibus, iureiurando 176

LIBRI SECVNDI

Cap. Pag.
1. Agendum eſſe de morib. & affectib. qui mores in perſona oratoris ſint exprimendi: qui ſint affectus: quæ de ſingulis affectibus ſint cognoſcenda 185
2. De ira 197
3. De delinitione 204
4. De amore, & odio, & quid interſit inter irã, & odium 207
5. De metu, & fidentia 211
6. De pudore 215
7. De gratia 218
8. De miſericordia 220
9. De ſtomachatione 224
10. De inuidia 226
11. De æmulatione 228
12. De quattuor generibus morum, qui ſpectantur in auditoribus, & de moribus iuuenum 230
13. De moribus ſenum 232
14. De moribus virorum 234
15. De moribus nobilium 235
16. De moribus diuitum 236
17. De moribus potentium & fortunatorum 237
18. Cur de moribus ſit diſputatum, & de propoſitionibus communibus 238
19. De poſſibili, de facto, de futuro, de magno 240
20. De exemplis 242

21. De ſententiis 244
22. De modis quærendorum enthymematum,&c. 247
23. De locis enthymematum verorum 256
24. De locis enthymematum adumbratorum 274
25. De ſolutionibus enthymematum 279
26. De amplificatione, de enthymematibus appoſitis ad refellendum, de obiectione 281

LIBRI TERTII

Cap. Pag.
1. In quot partes Rhetorica ſit diſtributa: de actione relata ad elocutionem: de elocutione oratoria diuerſa ab elocutione poetica 282
2. De elocutione perſpicua, non humili, non elata, de tranſlatis, de epithetis, de diminutiuis 287
3. De elocutione frigida 292
4. De imagine, ſeu ſimilitudine mollita. 294
5. De elocutione emendata 296
6. De elocutione amplificata 298
7. De elocutione decora 300
8. De elocutione numeroſa 303
9. De elocutione fuſa, & verſa 307
10. De elocutione vrbana, & locis vrbanorum præcipuis, & in primis de tranſlatione ex proportione 311
11. De ſubiectione ante oculos, & aliis locis vrbanorum 318
12. De elocutione conuenienti 326
13. De partibus orationis 329
14. De proœmiis demonſtratiuis, iudicialibus, deliberatiuis 331
15. De criminatione pertinente ad proœmia 337
16. De narratione demonſtratiua, iudiciali, deliberatiua 341
17. De fide, ſeu confirmatione, & refutatione 345
18. De interrogatione, & reſponſione, & ridiculis 350
19. De peroratione 353

FINIS.



LABORATORIO RESTAURO
A. Lombardi
VIA VALSOLDA N. 169
TEL. 8 25608